



R.49.853
UNIVERSIDAD
IN VERITATE LIBERTAS
SAN PABLO BIBLIOTECAS
JA 173

FERRER, Vicente (O.P.)

Epitome cursus theologici ad mentem
D. Thomae complectens controversias
omnes - / opera Fr. Vincenti Ferrer,
S. Ord. Praedicatorum IV
Valentiae: apud Josephum Garcia.
1759

[14] 485 p.; 8°

[*] A-298, 2H⁴

Tal de port.

CCPB00022ASSY

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI
REGIBUS PROGNATO,
D. D. JOANNI A DEO,

MENDOZA , HARO , GUZMAN , SANDO-
val de la Vega , Roxas , Aragon , & Luna , Ducis
Infantanis , Lermæ , Pastranæ , Extremeræ , & Fran-
ca-Vilæ : Marchioni Santillanæ , Zeneti , Almena-
ræ , & Ceæ : Comiti Saldañæ del Cid , & Regalis
Manzanarensis : Magno Principi Meliti , & Eboli:
Domino Provinciae de Liebana , & de las Herman-
dades in Alva , & Oppidorum de Torrelavega ,
Ita , Xadraque , Arenas , San Martin , Mentrida , el
Prado , & annexorum : Baroni de Ayora , & Albe-
rique in Regno Valentino : Patrono Insignium
Collegialium Pastranæ , Lermæ , &
Ampudie , &c.



IX dūm ad metam extremus hic
Lucubrationum mearum Tomus
pervenerat (EXCELLENTISSIME
PRINCEPS) cūm ea animis stetit
sententia , nulli nisi Tibi illum sa-
cramendum , ut in fronte ipsius ,
Celsiora Religionis Mysteria com-
plectentis , Nominis Tui splendor affulgeat .
illa unicè cordi est . Extollant alii , ut Tu
biant Patrocinium , præclarissima illa , s

R
BIL
W
animi , ingenii , virtutis , generis , fortunæ , or-
namenta , quibus cunctorum , aures , oculos , men-
tesque tenes , & vel ipsos malignos rerum æsti-
matores Tibi devincis . At nos ista (longissimam
factura orationem , si vel delibare liberet singu-
la) ultrò omittimus : quid enim ea commemo-
mus , quæ una voce Populi Hispani , unō Orbis
terre testimoniō in Cœlum laudibus efferuntur ?
Ea solum appingam , quibus meum Tibi placendi
votum , non modò gratitudinis , sed & justitiæ
dignoscatur officium , plurima , inquam , & ma-
xima in Ordinem nostrum collata beneficia . Tu
quidem communis reliquorum Mecœnas jure au-
dis ; at nostri adeò proprius , ut in ejus sola-
tium , & auxilium , totum Te propensissimè fundens ,
munificentiam ipsam superasse videaris , non
qualemcumque , sed Tuam . Agnoscis sanè illum
Tibi necessitudine conjunctissimum , vel ab ipso
Parente Maximo Dominico , Consanguineo Tuo .
Cujus rei tot sunt locupletissimi Testes , quot
Conventus (sunt autem plures) sub Tuo auspi-
catissimo degentes Patrocinio . Sed potissimè
Magnus iste Conventus noster , verè Tuus , cui
singulis annis quinque , & viginti supra quingen-
tos aureos lubentissimè elargiris : Amplissimarum
perinde hæres fortunatarum , ac pietatis in Nos ,
Celsissimæ illius Cognatæ Tuæ Menciæ Mendociæ ,
Zenetanæ , Naslaviæ , & Calabriæ Principis . Cui ,
leüssimæ fœminæ , Piisque Parentibus , superbum
ex marmore pario extruxit Mausoleum Ludovi-
cus Requesentius , Militiæ Jacobæ Commenda-
tarius Maximus , in Regio Augusto illô Tuô Sa-
cel-

cellō , cui Panteon cederet , & quod ab Alfonso
Magno Aragonio erectum , potentiae , & artis mi-
raculum stupent omnes , & ubi laudatis Clarissi-
mis Tuis jugiter parentamus . Tot igitur , tantis-
que obstricti nominibus , levidense hoc munuscu-
lum Excelso nomini Tuo sacramus in obsequiis
debiti , ac demissae observantiae monumentum , &
pignus . Suscipe igitur illud , EXCELENTISSIME
PRINCEPS , ea fronte , qua Tibi addictissimos bea-
re soles . Deus O. M. Te , in Patriæ Ornamen-
tum , Ordinis nostri , Reique Publicæ salutem
diu servet incolumem . Valentia è Regio Prædi-
catorum Conventu , duodecimō Kal. Augusti , an-
nō à Partu Virginis M.DCC.XXX.

Tibi devotissimus , & obsequentissimus

Fr. VINCENTIUS FERRER.

FACULTAS ORDINIS.

NOs Fr. Philippus Sanchez, Sacrae Theologiae Professor, in Cæsar-Augustana Academia Vespertinæ Cathedræ perpetuus Moderator, Provinciae Aragoniae Ordinis Prædicatorum humilis Vicarius Generalis, & Provincialis electus, & Servus. Harum serie nostriique auctoritate officii, licentiam concedimus, & facultatem R. A. P. M. Fr. Vincentio Ferrer, Sacrae Theologiae Doctori, & Professori Valentino, ac S. Officii Qualificatori, Typis mandandi Tomum quartum Epitomes Cursus Theologici; dummodò recognitus, & approbatus fuerit à RR. A. PP. MM. Fr. Thomaso Francisco Martin, & Fr. Vincentio Insa. Servatis aliis de jure servandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Datum Valentie in nostro Regio Conventu Prædicatorum, die 30. Maii 1730.

Fr. Philippus Sanchez, Vic. Gen.
& Prov. electus.

Registrata fol. 2.

Fr. Laurentius Sanchez,
Mag. pro Socius.

CENSURA RR. A. PP. MM. Fr. FRANCISCI THOMÆ
Martin, Regii Præd. Conventus jam Prioris, & secundum
Studiorum Regentis, & Fr. Vincentii Insa, ejusdem Conventus
quondam Prioris, Collegii, & Universitatis Orzelit. secundo
Rectoris, & Cancellari, &c.

D E mandato R.A.P.N. Fr. Philippi Sanchez, Sac. Théo-
log. Mag. Vespertinæ Cathedræ in Universitate Cé-
saraug. Moderatoris perpetui, ac Provinciae Aragoniae Pro-
vincialis, confpeximus hunc Tom.4. *Epitomes Cursus Theologi-
ci*, à R. A. P. M. Fr. Vincentio Ferrer, in Academia Valen-
tina Philosophiæ Mag. Theol. Doct. utriusque Facultatis
Censore, ac Ethicæ Professore, S. Officii Qualificatore. Ac
sta-

statim comperimus, summam eloquentiae Auctorem atti-
gisse, multa paucis, seu omnia potius vel minitorum Theo-
logorum scrupula, expectatisimo labore finu brevi com-
pleteantem; in juvamen equidem studiosae juventutis: quæ
enim prolixioris paginæ spatiō, nodis questionum intrinca-
tissimis, ac gracilis styli fastidiō à sanctissimæ disciplinæ
cursu detinebatur; in hoc medulato Opere ferventis genii
laxabit habendas: in eo quippè invenitur stylus brevis qui
non deterreat, grata facundia quæ delectet, ac demùm clা-
ra, firma, celsa tententia, quæ mentem alliciat. Porrò cùm
Divi Th. vestigia ubique præmat, & Magistrum fidelissimus
Interpres docentem inducat; ab omni nævo contra fidem,
aut bonos mores, alienissimus est, nec à veritatis tramite,
in aliquo invenietur deviasse. Datum Valentiae, in Regio
Prædicat. Conventu quinto Kal. Junias 1730.

Fr. Thomas Franciscus Martin,
Mag. & Reg.

Fr. Vincentius Insa, Mag.

APPROBATIO DOCTORIS PETRI ALIAGA, PRESBYTERI,
in Academia Valentina Phil. Magistri, ac secundò Professoris,
Sac. Theol. Dect. &c.

Dum imperiō Perillustris D.D. Josephi de Rius Cano-
nici Barchinonensis, & Archiepiscopatūs Valentini
Vicarii Gen. ac Gubernatoris, &c. diligenter perlegerem
Tomum hunc quartum, qui *Epitomen Cursus Theologiae* felici-
ter absolvit; solidè, & eruditè compactum à Rmo. & Sap.
P.M. Fr. Vincentio Ferrer, Incliti Prædicatorum Ordinis,
in celebri Valentinorum Academia Philosophiae Mag. Sac.
Theologiae Doctore, utriusque Facultatis Censore, Ethi-
ces perpetuo Professore, S. Officii Qualificatore, atque
Almi Valentini Cænobii jam Studiorum Præfecto: non
modò probandum (ut par est) verumetiam extollendum
duxi: Est enim opus verè aureum, & gemmeum, in quo
exi-

eximia elegantia styli , & venustas brevitati conjuncta , mi-
rabilis perspicuitas , dexteritas in abstrusa quæque expli-
cando , puritas doctrinæ , firmitas sententiarum , sublimitas
sapientiæ , ac eruditionis profunditas , ceu pretiosæ gemmæ,
certatim micant . Quid multis moror ? Deo Optimo Ma-
ximo immortales gratias rependo , qui opus hoc Theolo-
gis tam necessarium , tamque fructuosum in lucem prodire
disposuit . Hęc non assentandi cupiditate (scio enim quan-
tum Modestissimo Auctori , quem in Sacra Theologia Præ-
ceptorem naclum me fuisse in Domino gloriabor , dispiceat
adulatio) sed animi mei gratitudinem testandi gratiā dix-
erim . Cumque nihil in toto hoc volumine deprehenderim ,
quod Fidei puritatem , aut motum honestatem , offendere
possit , prälō , & cedrō dignissimum judico .

Petrus Aliaga , Presbyter.

Imprimatur.
De Rius , Vic. Gen.

JUDICIUM D. FRANCISCI ORTI , ET FIGUEROLA , IN
Scholis Valentiniis Doctoris Theologi , ad Sanctum Inquisitionis
Tribunal Qualificatoris , Valentina Metropolitanæ Ecclesiæ Ca-
nonici , & Universitatis Valentinae Rectoris .

JUSSU Regii Supremi Senatus legi perquamlibenter Par-
tem hanc IV. Epitomes Cursus Theologici , Authore R. P.
Mag. Fr. Vincentio Ferrer , Ord. Præd. in Scholis nostris
Valentinus Lib. Art. Mag. Sac. Theol. Doct. pro utraque
Facultate Censore , Ethices Cathedræ Moderatore perpe-
tuo , & in regio sui Ordinis Valentinô Cœnobiô Studio-
rum Præfecto. Utile opus istud Theologis omnibus futu-
rum esse , nemo , me judge , jurè ambiget. Abundè id com-
probant priores Compendii ejusdem partes ingenti plau-
su , nec minore fructu evulgatae , & exceptæ. Itaque mira
in toto hoc Opere splendet brevitas , non quæ abrupto di-
cen-

cendi genere Legentem transvolet , sed quæ multa pau-
cis dilucidè complectens , plenè instruat. Res est olei , at-
que Opere , cognitioni , aut utilitati cùm nihil detrahas ,
breviter agere , aut potius circumcisssè. Mitto allia benè
multa , quæ hanc Epitomen apprimè commendant. Ego
sanè brevitati ut consulam , qua Author mirificè delecta-
tur , & injuncto muneri satisfaciam , illud tandem subjun-
gam , Regiis juribus consona omnia esse , & ut ajunt , ex
perpendiculo. Sic sentio. Valentiæ , prid. Kal. Jan. Anno
ab O. R. M.DCC.XXIX.

Dr. D. Franciscus Orti,
& Figueroala.

Fl

FIDES CORRECTIONIS.

PAG. 6. LIN. 14. *nnione*, lege *unione*. PAG. 7. LIN. 28. & 29.
communieare, lege *communicare*. PAG. 10. LIN. 12. & 13.
satisfacientam, lege *satisfacientem*. PAG. 11. LIN. 23. *quaudam*,
 lege *quandam*. PAG. 13. LIN. 28. *disparem*, lege *disparata*.
 PAG. 14. LIN. 21. *si*, lege *sit*. PAG. 17. LIN. 12. *satisfactio*,
 lege *satisfactio*. PAG. 18. LIN. 31. *jeuuium*, lege *jejunium*. PAG.
 21. LIN. 5. *idempticate*, lege *identitate*; & LIN. 28. *alrerum*,
 lege *alterum*. PAG. 22. LIN. 14. *eedit*, lege *cedit*. PAG. 23. LIN.
 14. *reedentes*, lege *recedentes*; & LIN. 24. *peøter*, lege *præter*.
 PAG. 34. LIN. 34. *persena*, lege *persona*. PAG. 46. LIN. 24. *dis-
 posierat*, lege *disposuerat*. PAG. 47. LIN. 17. *introduceum*, lege
introduc eum. PAG. 56. LIN. 25. *potuir*, lege *potuit*. PAG. 59.
 LIN. penult. *communi*, lege *communi*. PAG. 83. LIN. 21. *docen*,
 lege *docent*. PAG. 87. LIN. 18. *earo*, lege *caro*. PAG. 90. LIN. 1.
eadem, lege *eandem*; & LIN. 4. *eadem*, lege *eandem*; & LIN. 35.
radicaliter, lege *radicaliter*. PAG. 94. LIN. 29. *habitualis*, lege
habitualis. PAG. 105. LIN. 14. *speierum*, lege *specierum*. PAG.
 107. LIN. 29. *et doni*, lege *& doni*. PAG. 111. LIN. 23. *Beariss*.
 lege *Beatiss*. PAG. 145. LIN. ultima, *sensibns*, lege *sensibus*. PAG.
 147. LIN. 9. *prroprius*, lege *propriis*. PAG. 149. LIN. 18. *ordinctur*,
 lege *ordinetur*; & LIN. 25. *specierum*, lege *specierum*; & LIN. pe-
 mult. *dassibilem*, lege *passibilem*. PAG. 150. LIN. 23. *in hanc*,
 lege *in hac*. PAG. 153. LIN. 23. *cujns*, lege *cujus*; & LIN. 29.
sicus, lege *secus*. PAG. 154. LIN. 13. *instrimiensum*, lege *instru-
 mentum*. PAG. 158. LIN. 28. *stagellis*, lege *flagellis*. PAG. 159.
 LIN. 23. *mei*, lege *meus*. PAG. 164. LIN. 9. *spacies*, lege *species*.
 PAG. 165. LIN. ult. *vireutem*, lege *virtutem*. PAG. 167. LIN. 8.
petpetuo, lege *perpetuo*. PAG. 168. LIN. 19. *affentioni*, lege *af-
 fectioni*. PAG. 169. LIN. 6. *in peccatum*, lege *ei peccatum*, *e imper-
 fecta*; & LIN. 14. *humanita*, lege *humanitate*. PAG. 170. LIN. 15.
ejut, lege *ejus*. PAG. 175. LIN. 15. *peccari*, lege *peccati*. PAG.
 176. LIN. 6. *natum: est*, lege *natum est*. PAG. 177. LIN. 20. *for-
 mitis*, lege *fomitis*. PAG. 184. LIN. 23. *Ptima*, lege *Prima*. PAG.
 185. LIN. 21. *peccatis*, lege *peccati*. PAG. 186. LIN. 1. *mutuum*,
 lege *mutuam*; & LIN. 4. *pescha*, lege *pascha*. PAG. 187. LIN. 19.
adimam, lege *animam*. PAG. 188. LIN. ult. *movure*, lege *movere*.

Pag. 194. lin. ult. *eēt*, lege *est*. Pag. 202. lin. 7. *sed*, lege
seu. Pag. 203. lin. 3. *eum si*, lege *cum sit*. Pag. 204. lin. 26.
creature, lege *creatura*. Pag. 209. lin. 14. *humauitatem*, lege
humanitatem. Pag. 213. lin. 8. *gencrica*, lege *generica*; & lin.
15. *solen*, lege *solent*. Pag. 219. lin. 19. *binc*, lege *hinc*. Pag.
220. lin. 6. *nnumerō*, lege *numero*. Pag. 223. lin. 9. *adeoqne*,
lege *adeoque*. Pag. 226. lin. 5. *quoad*, lege *quoad*. Pag. 229.
lin. 22. *fontalis*, lege *formalis*. Pag. 231. lin. 15. *imapſibilitas*,
lege *impassibilitas*. Pag. 237. lin. 20. *christm*, lege *Christum*.
Pag. 239. lin. 17. & 18. *adoprivus*, lege *adoptivus*. Pag. 247.
lin. 6. *ſicut*, lege *sicut*. Pag. 256. lin. penult. *telationum*, lege
relationum. Pag. 259. lin. antep. *naſuræ*, lege *naturæ*. Pag.
260. lin. 5. *innoceutie*, lege *innocentie*. Pag. 265. lin. 16. *cir-
cusionis*, lege *circuncisionis*; & lin. 34. *ſiguum*, lege *ſignum*; &
lin. ult. *ob*, lege *ab*. Pag. 276. lin. 3. *Sacramenra*, lege *Sacra-
menta*. Pag. 279. lin. 16. *uude*, lege *unde*; & lin. 22. *Sacra-
mentalı*, lege *Sacramentalis*. Pag. 291. lin. ult. *diverit*, lege *di-
xerit*. Pag. 294. lin. 12. *aceedit*, lege *accedit*; & lin. 23. *habi-
tuelis*, lege *habitualis*. Pag. 302. lin. 10. *hæreοicis*, lege *hæreti-
cis*. Pag. 320. lin. 8. *multas*, lege *multis*. Pag. 322. lin. 4.
ecrlesiæ, lege *eclesiæ*. Pag. 328. lin. 15. *nundatur*, lege *munda-
tur*. Pag. 334. lin. 34. *pto*, lege *pro*. Pag. 333. lin. 7. *fine*, le-
ge *fine*. Pag. 338. lin. 9. *manum*, lege *manuum*. Pag. 338. lin.
21. *zonſigno*, lege *conſigno*. Pag. 341. lin. 14. *engeddi*, lege *en-
gaddi*. Pag. 344. lin. 17. *conclndit*, lege *concludit*, Pag. 347.
lin. 25. *hæreti*, lege *heretici*. Pag. 350. lin. penult. *ipſæ*, lege
ipſe. Pag. 352. lin. 26. *fir*, lege *ſit*. Pag. 355. lin. 23. *amen*,
lege *tamen*; & lin. 26. *omuium*, lege *omnium*. Pag. 357. lin.
11. *liblto*, lege *libito*; & lin. 22. *ccertiūs*, lege *certius*. Pag. 358.
lin. 8. *eonversione*, lege *conversione*; & lin. 11. *ſeutentiam*, lege
ſententiam. Pag. 360. lin. 16. *vitge*, lege *Virgæ*. Pag. 363. lin.
31. *manentibus*, lege *manentibus*. Pag. 365. lin. 18. *manducave-
runt*, lege *manducaverunt*. Pag. 367. lin. 1. *ſanctificatipnem*,
lege *ſanctificationem*. Pag. 368. lin. 11. *divinitas*, lege *divinita-
tis*. Pag. 369. lin. 7. *menm*, lege *meum*. Pag. 370. lin. 12.
Profer, lege *profert*. Pag. 371. lin. 30. *pto*, lege *pro*; & lin. 32.
effendetur, lege *effundetur*. Pag. 373. lin. 19. *peadiſta*, lege *pra-*
di

ditta. Pag. 374. lin. penult. *eiusqne*, lege *eiusque*. Pag. 380. lin. 13. *licet*, lege *licet*; & lin 16. *Christnm*, lege *Christum*. Pag. 381. lin. 29. *illa*, leg. *illa*. Pag. 385. lin. 20. *liberit*, lege *bi-berit*. Pag. 387. lin. 7. *deficit verbum* \vdash *peccaret*. Pag. 389. lin. 3. *increnta*, lege *incriuenta*; & lin 26. *incrementum*, lege *in-criuentum*. Pag. 390. lin. 5. *penitiorem*, lege *peritiorem*. Pag. 394. lin. 9. *vere*, lege *veræ*. Pag. 401. lin. 29. & 30. *disposi-tionis*, lege *dispositiones*. Pag. 405. lin. 9. *accusaratorio*, lege *accusatorio*. Pag. 406. lin. 32. *invenicibilis*, lege *invencibilis*. Pag. 414. lin. 1. *occessitate*, lege *necessitate*; & lin. 22. *confite-rl*, lege *confiteri*. Pag. 416. lin. 10. *consideratur*, lege *conside-rantur*; & lin 21. *exiguiur*, lege *exigitur*. Pag. 418. lin. 17. *fartum*, lege *furtum*. Pag. 424. lin. 25. *qnod*, lege *quod*. Pag. 429. lin. 20. *moralirer*, lege *moraliter*. Pag. 432. lin. 19. *Sa-cerdos*, lege *Sacerdos*. Pag. 446. lin. 14. *cacns*, lege *cacus*. Pag. 454. lin. 20. *contnctus*, lege *contractus*. Pag. 458. lin. 11. *qui*, lege *quia*. Pag. 470. lin. 20. *particulris*, lege *particularis*.

Cùm accuratè perlegissèm Tomum quartum Epitomes *Cursus Theologici* à R. P. Fr. Vincentio Ferrer elaboratum, inveni esse conformem cum exemplari pro Originali exhibito, si salventur menda hujus fidei, & sic testificor Matriti die vigesima secunda Martii anno Dñi millesimo septingen-tesimo quinquagesimo nono.

D r. Don Emmanuel Gonzalez Ollero,
A. C. M. Generalis Corrector.

DON

DON JUAN DE PEÑUELAS , SECRETARIO
*de Camara del Rey N. Señor , y de Govierno del
Consejo , por lo tocante à los Reynos de la Co-
rona de Aragon.*

Certifico ; que por los Señores de él se ha conce-
dido Licencia al Prior , y Religiosos del Orden
de Predicadores de la Ciudad de Valencia , para que
por una vez pueda reimprimir , y vender el libro inti-
tulado : *Epitome Cursus Theologici ad mentem Divi Thomae
Doctoris Angelici , complectens controversias omnes , que hac
tempestate exagitari solent in Scholis , in gratiam , & juva-
men studiosæ juventutis* ; compuesto por Fr. VICENTE FER-
RER , de dicho Orden , è hijo de su Convento de la
Ciudad de Valencia : con tal de que la reimpresion
se haga en papel fino por el impresso , que sirve de
Original , que està firmado , y rubricado de mi mano;
y antes que se venda , se trayga al Consejo , junto con
él , y certificacion del Corrector de hallarse conforme,
para que se tasse el precio à que se ha de vender , guar-
dando en su reimpresion lo dispuesto por Leyes , y
Pragmaticas de estos Reynos. Y para que conste doy
esta Certificacion en Madrid à diez y siete de Noviem-
bre de mil setecientos cincuenta y ocho. □ *Don Juan de
Peñuelas.*

DON

DON JUAN DE PEÑUELAS , SECRETARIO
*de Camara del Rey N. Señor , y de Gobierno
del Consejo , por lo tocante à los Reynos de la
Corona de Aragon.*

Certifico , que haviendose visto por los Señores de
él , el libro intitulado : *Epitome Cursus Theologici complectens controversias omnes , que hac tempestate exagitari solent in Scholis in gratiam , & juvamen studiose juventutis;*
Opera Fr. VINCENTII FERRER , S. Ordin. Prædic. Phil. & Theol. Magistri , Doctoris , & Professoris Valentini : que con
licencia concedida al Prior , y Religiosos del Orden de
Predicadores de la Ciudad de Valencia , ha sido reim-
presso , le taflaron à seis maravedis cada pliego , el qual
parece tiene treinta , que à dicho respecto importa cien-
to y ochenta maravedis de vellon , à cuyo precio , y no
à mas mandaron se vendiesse , y que esta Certificacion
se ponga al principio de cada libro , para que se sepa
el à que se ha de vender . Y para que conste la doy en
Madrid à tres de Abril de mil setecientos cinquenta
y nueve .

Don Juan de Peñuelas.

PRÆ



PRÆFATIO.



ONSIDERATIS ultimō fine humānē vitæ, virtutibus, ac vitiis, quibus ad illum sternitur, vel occluditur iter: de ipso omnium Salvatore Christo Jesu, viam veritatis nobis in se ipso demonstrante, ac de beneficiis ejus humano generi præstitis, opus est ut differamus cum Ang. nostro Doctore III. P. Quam in tres præcipuas subsecaverat partes,

ut ex operis fronte liquet. Prima quidem de D.N. Jesu Christo, usque ad q. 60. protenditur. Secunda verò de Sacramentis, inde inchoans, imperfecta relicta est, ob immaturam Sanctissimi D. mortem. Tertia demùm de immortali vita resurgentium, omnino deficit. Prima pars subdividitur in 6. Prima de Incarnatione, seu Unione hypostaticâ, & concomitantibus ipsam, usque ad 15. quæst. Secunda de consequentibus unionem, à 16. usque ad 26. Tertia de ingressu Salvatoris in mundum, a 27. ad 39. Quarta de progressu ejusdem in hoc mundo, à 40. ad 45. Quinta de exitu illius ex hoc mundo, à 46. ad 52. Sexta demùm de exaltatione ipsius post hanc vitam, à 53. ad 59. Secunda deinde principalis pars de Sacramentis, in octo subdistinguitur partes, quarum prima de Sacramentis in communi, reliquæ de singulis septem sigillatim tractant. Nos autem ut scholæ morigemur, omisimus quæ ad vitam, mortem, resurrectionem, & ascensionem Domini pertinent, de quibus Theologia expositiva differit, reliqua omnia sequentibus Tractatibus perlustrabimus. Sit igitur

TRACTUS I.

DE DIVINI VERBI Incarnatione.



AUSTISSIMUM hunc Dominicæ Incarnationis Tractatū sex prioribus quæstionibus feliciter absolvit Ang.D. Quæst. 1. differit de concernentibus Incarnationis existentiam , nempè, de illius convenientia , necessitate , & motivo. Deinde quidditatem ejusdem , seu Unionem hypostaticam extemplò rimatur, à toto ad partes ordinatè procedens. Quæstione igitur 2. contemplatur Unionem ipsam in se , ostendens , quid & qualis fit , & quomodò facta. Quæst. 3. considerat extremum assumens, seu Personam divinam. Quæst. 4. extremum assumptum, seu Naturam humanam. Quæst. 5. de istius partibus. Quæst. demùm. 6. de ordine , quô fuerunt assumptæ. Quæ omnia sequentibus Disp. elucidabimus. Sit igitur.

DISPUTATIO I.

De convenientia & necessitate In- carnationis.

Magnum illud pietatis Sacramentum , seu ineffabilis Assumptio humanitatis ad Verbum , Incarnationis nomine jurè significant PP. & Theologi, ab ipso Joanne Evangelista edocti , his verbis illud exprimente: *Et Verbum caro factum est.* Noc novum no-
mi-

mine carnis totum hominem significari, nam Gen. 6. dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam. Psal. 144. Benedicat omnis caro nomini sancto ejus.* Exprimitur insuper hoc loquendi modō immensa Dei bonitas, qui adeō exinaniri voluit, ut etiam carnem ad nos redimendos assumere non horruerit. Confunditur demū hōc vocabulō perfida Manichæorum aliorumque hæreticorum infania, blasphemantium, Verbum carnem non assumpsisse.

DUBIUM I.

Utrum convenieus fuerit Deum incarnari?

1 **C**onclus. est affirm. Et prob. rat. D. Th. a. 1. Quod rei competit secundum propriā naturam, est illi conveniens; sed incarnari competit Deo secundum suam naturam: ergo. Prob. min. De natura Dei est summa bonitas, cuius est summè communicari, quod maximè fit per Incarnationem, quā ita se creaturæ communicat, ut una persona fiat ex tribus, scilicet, ex Verbo, anima, & carne, ut ait Aug. 13. de Trinit. cap. 17. ergo. *Præterea:* Conveniens est Deo ut per visibiles effectus sua invisibilia ostendat attributa, ad hoc enim totus mundus factus est, ut habetur Rom. 1. sed per incarnationem demonstravit Deus bonitatem, non despiciendo infirmitatem nostram: *justitiam,* quia homine victō, per hominem vicit tyrannum: *sapientiam:* quia difficillimi pretii decentissimam invénit solutionem: *Omnipotentiam* demū, quia nihil est majus, quam Deum fieri hominem: ergo. Hāc ratione (quae est argumentum in oppositum, & quam fusè expendit opusc. 60. a. 1.) ostenditur congruitas, & decentia incarnationis; primā autem, convenientia Incarnationis ab intrinseco, ex essentia divinæ bonitatis: Vide Joann. à S. Th. & Illust. Marinis.

2 Cūm autem possibilitas Incarnationis in ejusdem convenientia includatur, superfluum visum fuit S. Doctori de illa disceptare, ut Cajet. appositi notat. Nec modō Deo

ipſi fuit cōveniens incarnatio, ſed etiam humanitati, & universo. Humanitati quidem, *Tum* quia adeò hōc mysteriō ſublevata eft, ut quō altius attollatur non habeat, ut Aug. loquitur. *Tum* ob immensas utilitates inde nobis provenientes, quas referre longum eſſet, ſed aſſiduè meditari, valdē cōveniens. *Fuit* inde toti universo cōveniens incarnatio, quia omnibus creaturis in homine, ut in epilogo totius universi collectis, nova dignitas & excellentia ex unione hypostaticā accessit: Ideōque Ephes. 1. omnia in Christo iſtaurata eſſe dicuntur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

3 Opp. 1. Imposſibile eſt Deum intrinſecē mutari; ſed per incarnationem intrinſecē mutaretur: ergo imposſibile eſt, adeoque non cōveniens, Deum incarnari. Prob. min. *Tum* quia mutatio eſt transitus de non eſſe ad eſſe; ſed per incarnationem transiret de non eſſe hominem ad eſſe hominem: ergo. *Tum* quia mutari eſt aliter ſe habere intrinſecē nunc, quam prius; ſed per incarnationē aliter ſe haberet Deus intrinſecē, ac prius: ergo. N. min. Ad 1. prob. omiſſis variis ſolut. Dift. maj. ex D. Th. hīc a. 1. ad 1. & q. 16. a. 6. ad 2. & alibi. Eſt transitus per potentiam paſſivam, ſeu receptivam novi alicujus eſſe, C. per potentiam activam, vel purē terminativam, quae nullius novi eſſe ſit receptiva, N. & ſic dift. m. N. conf. Ad 2. prob. Dift. paritē maj. Eſt aliter ſe habere intrinſecē, per hoc, quod reducatur ad actum potentiae aliquā paſſivā, C. Activā, ſeu terminativā, N. & dift. ſic min. N. conf. Itaque ad mutationem requiri-
tur, quod ſubjectum tranſeat de potentia paſſiva ad activam: Unde ut denominatio de novo adveniens arguat mutationem, concernere debet potentiam re verā paſſivam, quam non concernit denominatio hominis in Deo, licet intrinſeca.

4 Dūm autem D. Th. infrā q. 16. a. 6. ad 2. ait. *prædicata absoluta non dici de novo, ſine intrinſeca mutatione ſubje-cti*, loquitur de prædicatis, tam quoād rectum, quam quoād connotatum absolutis: Prædicatum autem homo dictum de Deo, eſt quidem abſolutum quoād rectum, ſed con-

notat essentialiter unionem, quae est relatio quædam, ut inquit S.D. ideoque, infert ibidem, quod esse hominem prædicatur de novo de Deo absque ejus mutatione. Sed bene nota, ut instantias præcludas, quod sicut non omnia prædicata relativa dicuntur de novo sine mutatione subiecti: ita nec omnia absoluta relationem connotantia; sed ea dumtaxat, quæ versantur erga subiectum incapax recipiendo novum esse. Et sic intelligendus est S.D. loco laudatō.

5 Dices nihilominus cont. princip. solut. Ad mutationem sufficit transitus de non esse ad esse per potentiam pure terminativam: ergo. Prob. ant. 1. Si Angelus per suam subsistentiam terminaret naturam humanam, verè mutaretur; sed transiret ad esse hominem per potentiam pure terminativam: ergo. Secundò: Si subsistentia naturæ creatæ produceretur à Deo separata ab ipsa natura, & deinde uniretur illi, utraque mutaretur; sed in subsistentia solum potest esse transitus per potentiam terminativam: ergo. N. ant. Ad 1. prob. N. min. Quia ultra transitum de non terminando ad terminandum humanitatem, transiret de non esse ad esse per potentiam passivam, transiret enim de non recipiendo ad recipiendum unionem cum humanitate: Unde per hunc transitum mutaretur, licet non per primum. Quòd si secundum falsò neges; dicemus, non mutari. Ad 2. Dist. min. In subsistentia divina, C. In creata, N. Hæc enim cùm recipiat esse à natura quam terminat, & unionem sui cum natura in se recipiat; ex duplo capite habet potentiam passivam.

6 Opp. 2. Si Deus posset incarnari, posset habere rationem formæ respectu humanitatis; quod repugnat, ob impræscindibilem formæ imperfectionem. Eſſet insuper habens humanitatem: ergo eſſet subiectum receptivum illius, quod implicat. Ad 1. N. ant. nam Deum incarnari, est uniri humanitati per modum actuantis & terminantis per intimam adhæſionem, absque ullo inhaſionis, dependentiæ, aut informationis defectu: Sicut de unione divinæ essentiæ per modum speciei cum intellectu beati, diximus tom. 1. N. 199. quippè nec adhuc species, &

stantia creatæ afferunt dictas imperfectiones ex formalis conceptu speciei, aut subsistentiæ; sunt enim perfectiones simpliciter simplices, de quibus tom. 1. à N. 147. Ad 2. N. cons. Nec enim esset, nec revera est habens humanitatem receptivè, sed purè terminativè: Forma enim totalis, qualis est humanitas, non respicit subjectum in quo recipiatur, sed suppositum in quo subsistat.

7 Opp. 3. & instabis cont. dicta: Paries terminans visionem, non dicitur illam habere: ergo ut Deus dicatur habere humanitatem, non sufficit illam terminare, N. cons. Paries enim terminans visionem, neutiquam visioni unitur; Deus autem intimè uniri potest, & de facto unitus est humanitati. Dices 1. Si Verbum solùm terminaret humanitatem, hæc (non obstante nnione) foret illi extrinseca, sicut visio parieti; denominaret quippè Verbum, in quo non esset: ergo. Præt. Nihil alteri unitur, quin perficiatur: ergo si Deus uniri possit humanitati, perfici posset, adeoque mutari. Ad 1. Dist. ant. foret illi intrinseca, id est, non in ipso recepta, C. omnino extrinseca, N. Quod enim intimè alteri unitur, nequit dici omnino extrinsecum, quantumvis in eo non recipiatur: Unde & humanitas, in aliquo vero sensu dicitur intrinseca Verbo divino, & vici sim Verbum dicitur intrinsecè homo. Ad 2. Dist. ant. si quod unitur, sit finitum & ulterius perfectibile, C. si infinitum, N. Hinc habes, quòd solùm unibile per potentiam passivam, est mutabile. Et quòd uniri non est pati, nam Deum uniri humanitati, nihil est aliud, quam illi dare suam subsistentiam.

8 Opp. 4. directè cont. concl. Conveniens & bonum idem sunt; sed incarnari non fuit Deo bonum, Tum quia nullam ei attulit perfectionem: Tum quia quod est Deo bonum, est illi necessarium, quale non fuit Deo incarnari, sed liberum: ergo. R. cum Cipullo, permisâ maj. & concessâ min. N. cons. Quandoquidem virtualiter arguitur in quatuor terminis. Datò enim, conveniens & bonum esse in re idem; non continuò omne alicui conveniens, est illi bonum, aut perfectio respectu illius: Bifariam enim di-

dicitur aliquid conveniens alicui : Vel quia illi *commodum*, vel quia *consentaneum* & juxta propriam inclinationem; quamvis inde nulla ei *commoditas*, vel *perfectio* nascatur: qualiter calefacere est igni conveniens. Et hōc secundō modō est Deo conveniens & maximē *consentaneum* incarnari, & quālibet alia *communicatio* ad extra, ob primam rat. *conclusionis*. Et sanē si *creaturæ* propendent non solum in bonum proprium, sed etiam ad suam *perfectiōnem* aliis *communicandam*, ut exp̄resse docet D. Th. I. p. q. 19. a. 2. ad 1. & 1. cont. Gen. c. 75. adeōque id illis conveniens seu *consentaneum* est: quid de summo bono censendum erit?

9 Opp. 5. cont. I. rat. Falsum enim est, quōd *communicare* se aliis, pertineat ad rationem boni: ergo. Prob. ant. *Tum* quia pertinens ad rationem boni, *perfectio* quādam est; sed *communicare* se aliis, nullam dicit perfectionem, aliās aliqua *perfectio* defuisset Deo ab æterno: ergo. *Tum* quia quod pertinet ad rat. boni, competit Deo necessariō; adeōque necessarium foret Deo se *creaturis* *communicare*. Pr̄et. Ex quo Deus sit summum bonum, solum sequitur, esse aliis *communicabilem* per modum finis, ut contingit in visione beata; etenim bonum & finis idem sunt, imō bonum solum per modum finis est sui diffusivum, ut docet D. Th. I. p. q. 5. a. 4. ad 2. & q. 2. de veritate, a. 1. ad 4. Tandem Adamō non peccante, summa Dei bonitas immobilis permaneret: ergo in ea hypothesi adhuc Deus fuisset *incarnatus*, vel ratio non subsistit.

10 Ad 1. N. ant. Ad 1. prob. N. min. Nam *communicare* se aliis, dicit perfectionem, quamvis non diversam ab ea quam dicit potentia se *communicandi*; cui proinde non perfectionem aliquā, sed meram *creaturæ* connotatiōnem addit *actualis* *communicatio*: quemadmodū *creatio* solam connotationem addit decreto, seu æternæ voluntati creandi: Unde non sequitur inconveniens inductum. Ad 2. prob. Dist. ant. Competit Deo necessariō, si habeat rationem actūs primi, C. si habeat rationem actūs secundi, ut contingit in pr̄alentī, N. Tunc enim arbitrahit

à libero, & necessario : Deus enim se communicat, & necessariò ad intrà, & liberè ad extra ; & hæc libera communicatio convenit Deo ratione suæ bonitatis, quia huic valdè consona.

11 Ad 2. N. ant. Cùm enim Deus secundum suam naturam sit omne bonum, potest te aliis communicare omnibus modis nullam includentibus imperfectionem; adeòque communicabilis est aliis, non solum finaliter, sed etiam efficienter, & terminativè. D. autem Th. loquitur ibi de bono sumpto pro appetibili, non verò secundum se, ut optimè respondeat Ferrar. 1. cont. Gen. c. 37. in fin. Ad ult. N. cons. Quia Deum incarnari, est liberum Deo: Solum ergo infertur, quòd si tunc fuisset incarnatus, fuisset incarnatio illa convenientis Deo ratione suæ bonitatis. Vide alia argumenta apud Greg. Cippulum.

DUBIUM II.

*Utrum purus homo, seu qui non sit personaliter Deus, possit de condigno satisfacere pro sua,
vel aliena letali offensa?*

12 **S**tabilità a. 1. Dominicæ Incarnationis convenientiâ, inquirit D. Th. a. 2. de illius necessitate, non quidem absolutè, sed ad certum finem, scilicet ad humani generis reparationem; & resolvit, non fuisse simpliciter necessariam, cùm nos multis aliis modis reparare potuerit; benè tamen secundum quid, quia, ut Aug. ait, *sananda miseriæ nostræ convenientior alius modus non fuit*, Tum ad promotionem hominis in bonum quintuplex, scilicet, fidei, spei; charitatis, operis recti, & divini consortii; Tum ad remotionem mali, etiam quintuplicis, nempè servitutis diabolicæ, dejectionis propriæ, præsumptionis, superbiæ, & servitutis peccati, ut multis explicat S. D. in Corp. adjiciens in fine, quòd sunt & aliæ plurimæ incomprehensibiles homini utilitates. Ostendit

autem maximam Dominicæ Incarnationis utilitatem ad liberandum nos à servitute peccati : quia purus homo exhibere non potest condignam pro peccatis humani generis satisfactionem , quæ est utique convenientior modus illud reparandi. Ad cuius rationis penetrationem & propositi dubii resolutionem.

13 Concl. est neg. Et quidem quoad 1.p. (quam eò solum h̄c stabilimus , ut Scholaisticis Recentioribus morem geramus , tametsi impertinentem ad præsentem disp. de Incarnationis necessitate ad humanam redemptionem.) Est com. PP. & Theol. si Alensem , Ricardum , Paltidanum , & Ruardum excipias , quibus oppositum tribuitur. Prob. autem à Vazquez , & quibusdam aliis: Quia nequit purus homo condigne satisfacere pro debito carendi auxiliō , ad actum contritionis exactō. Hæc tamen ratio est nulla , Tum quia tale debitum , non peccatum aut offensa est , sed solum poena. Tum quia alias nec Christus pro peccatis hominum satisfecisset , cùm satisfacere non potuerit pro contracto per peccatum debito carendi Redemptore , quod supponi debet dimissum antequam donetur Redemptor ; adeoque ad omnem Redemptoris operationem. Hæc igitur ratione rejecta , Prob. Tum rat. D.Th.N.15.adducendā , quæ hanc p. pariter convincit. Tum quia satisfactio essentialiter supponens gratis remissam offensam , nequit esse pro hujus remissione condigna , ut ex terminis liquet ; sed quælibet puri hominis satisfactio est hujusmodi , nec enim æquare potest in valore gravitatem offensæ , quin ab homine justo , seu existente in gratia , offensam remittente , procedat : ergo.

14 Quoad 2. verò p. (quæ est hujus loci propria) etiam est com. PP. & Theol. Et quidem si offensa mortalis supponatur simpliciter infinita in aliquo saltem determinatō genere , juxta valdè probabilem Thomist. sent. facile ostenditur : Cùm enim nulla satisfactio puri hominis esse possit valoris simpliciter infiniti , nulla æquare poterit lethalis offensæ gravitatem. Quod si offensa lethalis solum secundum quid infinita afferatur (id quod pluribus , nobisque magis arri-

arridet) Convincitur imprimis loquendo de originali, à posteriori: Si enim pura creatura potuisset ad æqualitatem pro illo satisfacere, gratis, & sine urgenti necessitate assumpsisset Verbum naturam humanam, & pro nobis mori voluisset. Quô argumentô videtur usus Apost. dum ad Gal. 2. ad ostendendam invaliditatem Mosaicæ legis ad justificandos & ad vitam æternam perducendos homines, ait: *Si enim per legem justitiam: ergo gratis Christus mortus est.*

15 A priori autem prob. universaliter de quolibet alieno peccato rat. D. Th. ad quam hîc ad 2. ubique recurrit S. D. cuius vis in eo consistit, quòd offensa contra personam infinitam, necessariò requirit personam satisfaciéntam infinitam. Et sic proponitur: Æqualitas inter satisfactionem & injuriam, exigit æqualitatem inter personas, ita ut satisfaciens tantæ sit dignitatis, quantæ persona injuriata, seu offensa; sed talis æqualitas dari nequit inter purum hominem & Deum: ergo. Prob. maj. Nam injuria, sicut & satisfactio, non est major, vel minor ex ratione specifica actionis, sed ex majori, vel minori dignitate personæ offendæ, vel satisfaciéntis; utraque enim illa, quâ talis, crescit aut decrescit, invariatis specificè actionibus, variatis tamen personis: ut igitur tantum honoris tribuatur alii cui, quantum injuriæ fuit illatum (quod condigna satisfactio exigit) æqualitas inter personas desideratur: Quòd vulgari patet exemplô: rusticus enim, qui contumeliâ Regem affecerit, nunquam lanè honoris tantum ei deferset, quantum injuriæ intulit, quantumcùmque illi postea humiliaretur.

16 Hæc profectò est ratio D. Th. in qualibet sententia Thomistarum circa qualitatem infinitatis offendæ, valitura, quam his verbis tradit hîc a. 2. ad 2. *Peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet* (seu absolutè, seu secundum quid tales) *ex infinitate divinæ majestatis: tanto enim offensa est major, quanto major est ille in quem delinquitur: unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfaciéntis haberet efficaciam infinitam, ut potè & Dei, & hominis existens. Eadem habet alibi sàpè, sed præcipue in*

3.d.20. q.1. a.2. ubi afferit, peccatum originale habere infinitatem quandam ex tribus, nempè, ex infinitate maiestatis divinæ, ex bono quod per illud aufertur, & ex ipsa natura quæ corrupta erat: cuius capit is etiam hic meminit.

17 Hinc omnino vitanda est inadvertentia cuiusdam Sapientissimi ex nostris, in M. S. qui, ut probet conclusionem, suppositâ absolutâ finitate offensæ (omissâ hâc rat. D. Th. imò rejectâ tanquam alienâ) unicè innitur impossibilitati puri hominis ad condignè promerendum alteri primam gratiam peccati remissivam. Vitanda inquam est: *Tum* quia ratio D. Th. omnibus aliis præferenda est. *Tum* quia principium illud, cui unicè fidelis, est valde controversum inter Thomistas, & rejicitur ut fallsum à Soto, Araujo, Serra, Joanne à S. Th. Cippullo, Godoy, pluribusque aliis Thomist. adeòque prorsùs inutile (quidquid sit de veritate illius) ad communem conclusionem roboram. *Tum* demò, quia datò illò, adhuc consequentia reputatur nulla ab aliquibus, ut videre est apud Cippulum hic, a.2. dub.3. N.60. & Joan. à S. Th. disp.1.a.2. §. Ad 6.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

18 Opp.1. cont.1.p. D.Th. in 4.d.15. q.1. a.2.ad 1. dicentem, quòd sicut offensa habet quaudam infinitatem ex infinitate divina maiestatis, ita & satisfactio accipit quandam infinitatem, ex infinitate divina misericordiæ, prout est gratiâ informata: ergo satisfactio puræ creaturæ æquat gravitatem peccati proprii: N. conseq. vel Dilt. conf. æquat secundum quantitatēm (prout requirit satisfactio perfecta & condigna) N. secundum proportionem, quod sufficit ad satisfactionem imperfectam, & ad quod desideratur quædam extrinseca infinitas, ex divina misericordia acceptante, C. Solutione constat ex corp. illius a. quod his verbis absolvitur: *Vnde non potest homo satisfacere, si ly fatis æqualitatem quantitatis importet; contingit autem, si importet æqualitatem proportionis.* Et hoc, suut sufficit ad rationem justitiae, ita sufficit ad rationem satisfactionis, imperfectæ scilicet: nam ut docet hic, a.2. ad 2. satisfactio potest dici duplicitè sufficiens. Unò mo-

dō perfectè , quia est condigna per quandam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ... Aliò modō imperfectè , scilicet secundūm acceptationem ejus , qui est eā contentus , quamvis non sit condigna .

19 Opp. 2. & instabis cont. sol. Nam D.Th. ibidem ad ult. exp̄sē docet , quòd peccatum originale per unius hominis puri satisfactionem expiari non potuit , sicut actuale : ergo pro isto potest purus homo condigne satisfacere ; nam imperfectè , potest & pro originali. N. cons. & prob. Loquitur enim S. D. de satisfactione æquali , non quidēm secundūm quantitatem , sed solūm secundūm proportionem , quam dicit impossibilem respectu peccati originalis , secūs actualis , seu personalis ; quia nimirūm , non est proportio inter debitum Deo à tota natura ratione culpæ originalis , & id quod potest pura creatura præstare ; benè tamen inter id quod quis ratione propriæ culpæ debet Deo , & id quod ille præstare potest per gratiam. Äequalitas enim proportionalis (quam S. D. quantitativæ contraponit) in eo confitit , ut ex corp. liquet , quòd sicut se habet quod Deo est debitum ad Deum ; ita se habet ad hominem , quod homo reddere potest .

20 Opp. 3. cont. eandem p. Actus charitatis est essentia liter incompatibilis cum peccato lethali : ergo illum eliciens , satisfacit condigne pro peccato. Præt. Ad satisfactionem de congruo non requiritur in satisfaciēte status gratiæ : ergo neque ad condignam ; adeoque ruit 2. rat. hujus p. Prob. cons. Quia ad meritum de condigno requiritur in merente status gratiæ ; etiam requiritur , juxta plures , ad meritum congruum : ergo idem de satisfactione : ergo si ad congruam non requiritur , nec ad condignam. Ad 1. omissis variis solut. datō ant. N. cons. Quamvis enim actus charitatis afferatur essentia liter incompatibilis cum lethali offensa ; non tamen ratione valoris , prout exiguntur ad condignam satisfactionem ; sed aliunde , ratione scilicet physicæ entitatis. Sic D. Godoy. Ad 2. N. cons. Ad prob. N. causalem ; omnes enim afferunt , requiri statum gratiæ ad meritum condignum , quantumvis ad congruum non

requiratur: Non igitur requiritur ad iitut, quia ad illud desideratur; sed quia requiritur ad meritum ut sic, vel quia eadem currit de utroque ratio.

21 Opp.4. cont.2.p. Eò satisfactio puri hominis nequit esse condigna pro peccato proprio , quia non est à subiecto iustificato per gratiam , ut N. 13. arguebamus: ergo poterit justus pro alieno peccato condigne satisfacere. *Prat.* Actus charitatis habet etiam quandam infinitatem extrinsecam ex ipso Deo dilecto : ergo. *Affectivè* insuper restituit Deo rationem ultimi finis, affectivè per peccatum ablata: ergo. *Demùm*: Quia juxta Thomist. N. 16. laudatos, potest purus homo iutus de potentia absoluta mereri aliis de condigno gratiam justificantem: ergo & pro illorum peccatis condigne satisfacere. Tenet cons. *Tum* quia Christus non aliter pro peccatis nostris satisfecit , quām nobis condigne merendo gratiam justificantem. *Tum* quia tale meritum extinguit debitum ex offensa contractum , quod est condigne pro illa satisfacere. *Tum* deinùm , quia solā condignā satisfactione ablata , obligari potest creditor ex iustitia ad remissionem offensæ ; sed meritum condignum gratiæ remissivæ peccati obligat Deum ex iustitia ad offensæ remissionem : ergo est condigna pro offensa satisfactio.

22 Ad 1. Dist.ant. ly *quia* dicente causam sufficientem, C. adæquatam, seu necessariam, N. Nam illa deficiente, semper subsistit ratio D.Th. de inæqualitate satisfactionis cum offensæ gravitate. Ad 2.N. cons. sunt enim infinitates disparatae , neque una adæquat , quod altera tollit ; infinitas enim charitatis solūm est ex parte objecti infiniti , supponendo finitatem ex parte Personæ . quæ subjicitur Deo; ideoque non facit æqualitatem cum infinitate injuriaæ, consistente in eo quod persona infinita subjicitur , & postponitur creature : Valor autem satisfactionis non sumitur ex infinitate ejus cui offertur , sed ex parte ejus quod offertur; Injuria igitur Deo illata , lœdens divinum jus , non resarcitur per hoc quod habeatur pro fine ultimo ab illo, qui lesit tale jus; hoc enim debebat facere, etiam si non lœserit; sed

per

per hoc quod sicut persona divina per peccatum est offensa, & humiliata in jure suo, seu diminuta: ita detur aliqua persona divina, quae in natura assumpta diminuatur in jure suo, & se humiliet ipsi Deo offenso. Et per hoc sit aequalitas, non autem per actum charitatis, quoniam habeatur pro ultimo fine, quantumcumque intensissime. Hinc.

23 Ad 3. N. conf. Cum enim actus charitatis in ratione satisfactionis, & obsequii, non adaequat gravitatem offendae, nec tantum honoris Deo tribuat, quantum per peccatum ablatum est (gravius quippe, & atrocius est, Deum subjicere creaturae, quam sit honorificum Deo, creaturam ei subjicere) quamvis forte dici possit sufficiens restitutio, ad quam sufficit redditio aequivalentis; nequit tamen esse condigna satisfactionis, ad quam requiritur aequalitas valoris obsequii ad gravitatem injuriae, ut liquet exemplum adductum N. 15. Ad ult. Datō ant. N. conf. ob longe diversam rationem meriti, & satisfactionis: Ratio enim meriti respicit retributionem, pertinetque ad justitiam distributivam; ratio autem satisfactionis respicit recompensationem aequalitatis, pertinetque ad justitiam commutativam, si si perfecta, quam laesum jus alterius resarcitur, & adaequatur. Datō igitur quod possit quis condigne mereri alteri gratiam justificantem, & facere debitam ex justitia distributiva; non infertur, quod possit pro illius peccato perfecte satisfacere, & debitam reddere offendae remissionem ex vi justitiae commutativa.

24 Ad 1. cons. prob. Dist. ant. quam nobis condigne merendo, &c. per obsequia adequantia, immo excedentia gravitatem offendae, C. per opera inferioris valoris ad offendae gravitatem, qualia sunt quaelibet purae creaturae, N. Ad 2. Dist. ant. Extinguit debitum, &c. ratione physisce oppositionis termini meritorie causati per ipsum cum offendae, C. ratione valoris aequalis cum gravitate offendae, quod requiritur ad condignam satisfactionem, N. Ad ult. Dist. maj. Solā, &c. per viam satisfactionis, & solutionis, C. per viam incompossibilitatis, N. Per hanc enim potest creditor ex justitia obligari ad remissionem offendae a non satisfaciens te

te condignè pro illa. Itaque licet condignè merens alteri gratiam justificantem, offert pro offendæ remissione condignum valorem, condignitate meriti; non tamen condignitate satisfactionis; nec enim offerret valorem condignum recompensativum, cui respondeat evacuatio debiti: Unde tunc Deus non tolleret culpam ut satisfactus ex vi compensationis sibi factæ; sed potius ipse vellet recompensare actum meritorium sibi exhibitum, per condonationem, & remissionem offendæ. Vide Joan. à S. Th. ubi suprà. Et D. Godoy disp. 2. §. 9.

25 Ex dictis infertur cont. Ven. Petrum de Soto, & M. Cippullum, hominem justum posse condignè satisfacere pro peccato veniali. *Tum* quia istud, ad differentiam mortalis, est ab intrinseco reparabile, quia relinquit in homine principium intrinsecum reparationis, ut docet D. Th. 1. 2. q. 88. ergo & relinquit principium intrinsecum satisfactionis, ad illius reparationem exactæ. *Tum* quia justus habet jus ad gloriam: ergo & ad removenda venialia, impedientia gloriæ consecutionem: ergo & potest pro illis satisfacere, quia sine satisfactione non est jus, ut removeantur. *Nec* obstant dicta suprà; quia tunc solum requiritur æqualitas inter personam satisfacentem, & offendam, quando offensa est gravis, quia per levem non tollitur amicitia, quâ permanente, potest amicus, hoc ipso quod est persona grata, resarcire levem injuriam. *Nec* peccatum veniali violatur simpliciter jus divinum, privando affectivè Deum dignitate ultimi finis; sed solum secundum quid, retardando extensionem talis juris ad omnia opera peccantis venialitè.

DUBIUM III.

Utrum satisfactio Christi fuerit ex se, & ab intrinseco valoris simpliciter infiniti, con digna, & superabundans?

26 Concl. est affirm. & com. contra Scotum, &

Cquosdam Nominales, quorum sent. male apud plures audit. Et quoad 1. p. traditur à D. Th. híc ad 2. & infra q.48. a. 2. & alibi sàpè. Et prob. Tum ex Extravag. Unigenitus, de Pœnit. & remiss. ubi Clemens VI. docet, thesaurum satisfactionum Christi, Ecclesiæ relictum, exhaustiri non posse, quia (inquit) *infinita sunt Christi merita*. Et paulò superiùs ait: quòd modica sanguinis Christi gutta, propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis humani suffecisset. Ubi non ad extrinsecam Dei acceptanceiem, sed ad intrinsecam unionem ad Verbum recurrit Pont. ad ostendendum infinitum valorem satisfactionum Christi. Tum rat. fund. Dignitas enim personæ Christi satisfacientis est simpliciter infinita: ergo & valor satisfactionum ejus, qui ex satisfacientis dignitate pensatur. Nec limitari potest ex humanitate, hujusque potentiis, unione, gratiâ, & operationibus; quia licet physicè finitæ sint (sicut & valor ipse) infinitè tamen pariter significantur in genere moris ex coniunctione ad Verbum, ut docet D. Th. infrà q. 48. a. 2.

27 Quoad reliquas verò pp. constat ex illo Rom. 5. Si enim unius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Et paucis interpositis, concludit: *Ubi autem abundavit malitia, superabundavit & gratia*. Quæ verba exponens Chrysost. ait: *Multò plura quam debebamus, Christus pro nobis solvit; tantòque plura, quanto guttulam exiguum excedit pelagus immensum*. Prob. deinde rat. Tum quia satisfactio Christi adæquat, imò superat gravitatem injuriæ interrogatæ Deo,

Deo, sive utraque simplicitet finita, sive infinita astruatur in genere moris: nam hæc respicit personam offenditum *ut objectum*, vel *ut subjectum solum extrinsecum*; illa vero respicit personam satisfacientem, ut principium *quod intrinsecum*: Offensa affectivè solum postponit creaturæ Deum; satisfactio vero Christi effectivè submisit Deo personam Verbi in naturâ assumpta. *Tum* quia aliâs Incarnatio non fuisset necessaria ad redemptionem humanam; potuisset enim purus homo pro nobis exhibere satisfactionem, ex divina acceptatione condignam, cum posset Deus satisfactionem, ex se inæqualem acceptare, ut æqualem. *Tum* demum, quia aliâs Christi satisfactio fuisset imperfecta, quod Scripturæ illam *copiosam* prædicanti adverfatur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

28. Opp. i. cont. i.p. Objectum infinitum non infinitat actum elicitem mediò principiō finitō, aliâs visio beata, actus charitatis, ac reliqui theologici, essent infiniti: ergo nec persona infinita Christi, satisfactionem elicitem mediò principiō quo finitō, scilicet humanitate donis gratuitis exornatâ. *Præt.* Valor satisfactorius operationum Christi consequitur earum bonitatem moralem; sed hæc est simpliciter finita, vel ob finitatem objecti in aliquibus, vel saltē modi tendendi: ergo. *Tandem:* Valor satisfactorius non crevit semper juxta incrementum personæ satisfacientis, actus enim charitatis ejusdem intensioñis, à viris sanctitate inæqualibus procedens, perfectione æqualis est: ergo.

29. Ad i. N. cons. A nullo enim negari potest, plus ad satisfactionis dignitatem, personam satisfacientem, quam objectum, conducere; operationes enim Regis, & Christi D. regia, & theandrica, seu *Dei viriles* dicuntur; secùs habentes pro objecto Regem, aut Christum. Disparitas ergo est, quod objectum, cum sit mensura extrinseca operationis, non præbet huic esse nisi dependenter à causa efficiente; unde si hæc finita sit, operatio infinita esse non potest. Persona autem satisfaciens se ipsâ est forma valorans, & principium *quod effectivum*, & receptivum satisfactionis à se elicite, in quam proinde infinitatem moralem refundit, si illa infinitæ digni-

tatis sit. *Potest* etiam negari supp. consequentis: Nam licet humanitas Christi, ejusque potentiae operativae, & gratia habitualis, finitae physicè sint; moraliter tamen censendae sunt infinitae: Docet enim D.Th. infrà q.48. a.2. ad 3. carnem Christi ex conjunctione ad Verbum, & quatenus est caro Dei, habere dignitatem infinitam. Paritas ergo undequaque corruit.

30 Ad 2.Dist.maj. Consequitur earum bonitatem moralem inadæquatè, C. adæquate, N. Duplex enim erat valor in operationibus Christi; alter *essentialis*, seu *objectivus*, ab objecto desumptus, adeoque finitus, & inæqualis juxta majorem, vel minorem objecti dignitatem: Alter *personalis*, qui licet requirat bonitatem objectivam, ut conditionem, à sola tamen persona satisfaciente desumitur, tanquam à principio formalí, & effectivò *quod*; ac proinde infinitus evadit, & in omnibus operationibus prorsus æqualis. Unde satisfactio Christi duplici gaudet bonitate morali; alterâ finitâ, desumptâ ex regulis morum, quam valor personalis excedit: alterâ infinitâ, desumptâ ex dignitate Personæ, & ab ipso valore personali indistincta. Vide Godoy disp. 3. n. 46. *Ad ult.* N. cons. Quia gratia, cum sit habitus, subditur voluntati iusti quoad usum, adeoque non significat opera juxta suam intensionem, sed juxta influxum, quem ex libito iusti præstat in illa: Persona autem Christi necessariò informat moraliter, ac significat ejus operationes, quantum potest, adeoque infinitè.

31 Opp.2.cont. eandem. Quia aliás sequeretur 1. Christum unicā operatione sufficienter pro peccatis nostris satisfecisse, ac redemptionem consummasse, adeoque reliquias superfluisse. Secundò omnes Christi operationes simul sumptas, non fuisse magis satisfactorias, quam solum jeuuium, cum non posset dari unum infinitum majus aliō in eodem genere. Tertiò majorem fuisse exactam à Christo satisfactionem, quam fuerat debitum; cum offensa sit probabilitate finita. *Ad 1.N.ant.* Licet enim quaelibet Christi operatio, & passio, sufficeret ad nostram redemptionem, liberè tamen voluit omnes illas ad hunc finem ordinare & applicare.

re. Ad 2. Dist. ant. Non fuisse magis satisfactorias , &c. intensivè, C. extensivè, qualiter non repugnat unum infinitum majus aliò, N. Ad 3. C. ant. Justè tamen exigitur excessus, ubi æqualitas sine excessu repugnat , & maximè ab eo , qui voluntariè se obtulit ad satisfactionem , qualiter in præsen-
ti contingit.

32 Opp. 3. cont. reliquas partes: Christus non satisfe-
cit pro morte, aliisque poenis , quibus post ejus passionem sumus obnoxii ; nec pro pena carendi Redemptore : ergo.
Præt. Christus satisfecit ut homo: ergo ejus satisfactio æqua-
re non potest gravitatem offendæ , Deo quæ tali irrogatæ:
Tandem, quia alias satisfactiones nostræ escent superfluæ , &
Christo injuriosæ , quod est hereticum , & proscriptum à
Trident. l.6. cap. 14. ergo. Ad 1. N. ant. quoad 1.p. pro
quolibet enim reatu pœnæ abundè satisfecit Christus : sed
ut ejus satisfactio habeat effectum in nobis , oportet, nos ei
configurari , qui per passionem ad gloriam immortalitatis
pervenit; ac proinde corpus passibile & mortale habere , ut
passionibus & morti Christi configurati, in gloriam immor-
talem perducamur. Sic. D.Th. infrà , q.49. a. 3. ad 3. Pro
pœna autem carendi Redemptore non satisfecit Christus,
quia supponi debuit condonata , non autem ob defectum
valoris; potuit enim condigne mereri Incarnationem Pa-
tris, aut Spiritus Sancti.

33 Ad 2. Dist. ant. satisfecit ut homo elicitivè, C. digni-
ficiativè, N. Vel aliter: satisfecit ut homo , ly ut, reduplicante
supra principium quo, C. supra principium quod , N. Sic
enim satisfecit ut Deus. Itaque Christus satisfecit , ut Deus
homo, humanitate ut quod eliciente substantiam operationis,
& Deitate ut quod , & ut formâ , se ipsâ illam valorante. Ad
ult. N.seq. Quamvis enim Christi satisfactio fuerit condigna,
& superabundans; ut suum tamen sortiatur effectum , vult,
eam nobis applicari per Sacra menta , aut per contritionem,
& dilectionem Dei super omnia; vel per indulgentias , aut
opera nostra penitentia. Cujus rationem assignat D. Th. ubi
suprà, a. 1. ad 4. dicens, quod Christi passio est causa univer-
salis remissionis peccatorum ; unde necesse est quod singu-

lis applicetur, ad deletionem propriorum peccatorum, per Sacra menta, quæ habent virtutem ex passione Christi: Causa enim universalis non fortitur effectum, nisi applicetur per particulares, per quas illius virtus descendit in effectum.

DUBIUM IV.

Utrum Christi satisfactio fuerit ex toto rigore justitiae?

34 **C**oncl. est affirm. com. Thomist. & frequentior in Scholis cont. negantes satisfactioni Christi condignitatem, nonnullosque illam afferentes, ut Vaz. Les. Mol. quibus novissimè adhæret Platel. Prob. autem 1. ex Script. in quibus Christi satisfactio sàpè vocatur *emptio*, *pretii solutio*, atque *redemptio*; quæ sanè designant actum strictæ, & rigorosæ justitiae. Dicitur etiam frequenter *justitia*. Nec ullum sequitur inconveniens, imò maxima satisfactionis Christi commendatio, quòd locutiones istæ propriè accipiuntur: ergo. Accedit PP. consensus, afferentium illam debitum nostrum adamussim justitiae exequasse.

35 Prob. deinde rat. & ostenditur inconsequentia Vazquez, & sequacium: Satisfactio Christi ita fuit perfecta, ut nullò indiguerit creditoris seu offensi favore, illam pro sufficienti acceptantis, ut contra Scotistas suprà ostensum est, nec dissentit Vazquez: ergo fuit ex toto rigore justitiae: Ubi enim omnes conditiones ad rigorosam justitiam exactæ non servantur, recurrendum est ad creditoris favorem, ut suppleat, ipse enim illas omnes de rigore juris exigere potest: ergo. Præt. Omnes strictæ, ac rigorosæ justitiae conditiones in Christi satisfactione sunt servatae; fuit enim ad alterum, nec fundata in creditoris gratiâ valorem supplente, ex propriis, & ex non debitis: ergo. Conseq. tenet, & ant. constabit ex argumentorum solutione.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

36 Opp. 1. Satisfactio Christi non fuit ad alterum; sa-

tif-

tisfecit enim Deo , à quo Christus non est alias. *Dift. ant.* Non fuit ad alterum, alietate suppositi , C. alietate naturæ, N. Verbum enim ut subsistens in natura humana,satisfecit sibi ipsi ut subsistenti in natura divina. Hæc enim alietas (etiam si cum idemptitate suppositi) sufficit ad strictam justitiam; sicut sufficit ad strictam religionem,& obedientiam, quas exercuisse Mediatorem nostrum , fides docet. *Dùm autem D.Th. 2.2. q.58. a.2.* requirit ad justitiam *diversitatem suppositorum*, loquitur (ut ex contextu liquet) juxta legem naturæ, juxta quam diversæ naturæ diversa secum ferunt supposita: ideoque docet, quod in uno eodemque supposito unius dumtaxat naturæ, salvari nequit vera justitia, penè diversas potentias , vel actiones , quarum una alteri obediatur, vel ab ea dirigatur.

37 *Opp.2.* Satisfactio Christi in Dei creditoris gratia fundatur, scilicet unionis hypotheticæ , & auxiliis , gratis à Deo humanitati collatis: ergo. *Dift. ant.* Fundatur in creditoris gratia , supplente defectum valoris , & ultra illum acceptante, N. significante & valorante satisfactionem , C. & N. conseq. Rigor quippe justitiae in satisfactione , excludit quidem creditoris favorem ; supplementem dignitatis defectum in actu satisfactorio ; non autem gratiam , tribuentem illi valorem adæquantem offensæ gravitatem ; sicut condignitas meriti non tollitur per dependentiam operis meritorii à gratia habituali tanquam à radice , vel forma valorante.

38 *Opp.3.* Operationes Christi satisfactoriæ, quia creatæ, erant sub Dei creditoris supremo dominio: ergo Christi satisfactio non fuit ex propriis, nec ad alterum alteritate juris & dominii, prout ad strictam requiritur justitiam. *Dift. ant.* Erant sub Dei supremo dominio , excludente particolare satisfaciens, N. istud permittente & compatiente , C. & N.conseq. Sicut enim Deus est prima & universalissima causa omnis effectus creati , quin strictum secundarum influxum in eundem excludat: sic etiam est supremus creaturarum dominus , permittens proprium & rigorosum creatum dominium : alijs homines non possent de bonis suis primitias & sacrificia Deo offerre , nec strictam invicem

exer-

exercere justitiam. Operationes igitur Christi satisfactoriae, erant bona ipsius, ut potè actiones humanae, liberè ab illo elicite; quibus proinde potuit de rigore justitiae satisfacere.

39 Opp.4. Ex bonis aliò titulò debitis fieri nequit satisfactio ex rigore justitiae, ut expreßè docet D. Th. communiter receptus in 4.d.1 5.q.1.a.2. sed omnes Christi actiones erant Deo creditorì pluribus titulis debitæ: ergo. *Omissionis* variis solutionibus, explicò majorem: fieri nequit satisfactio ex rigore justitiae, obligans creditorem (secluso pacto) ad illam acceptandam, C. secùs, N. & concessâ min. N. conseq. Vel Dist. conf. dist. maj. Salvatur quippè rigor justitiae in satisfactione modò adæquet gravitatem offensæ, & pro illa acceptetur; tunc enim nihil creditor supplet in satisfactione, quò eam reddat æqualém, sed spontè eedit iuri suo, quò poterat rem sibi aliò titulò vendicare. Hinc si operatio in qua stat satisfactio de rigore justitiae, sit aliis titulis creditorì debita, nequit illum (secluso pacto) ad debiti remissionem obligare, cùm possit aliis titulis eam exigere.

40 Ex dictis inferes, satisfactionem Christi pertinere ad justitiam commutativam: hujus quippè est debitum solvere, redimere, & ablatum honorem restituere; quæ utique Christi satisfactioni convenient. Hoc autem non tollit quod operationes Christi quasi materialiter ad alias virtutes, à quibus eliciuntur, non pertineant; formaliter tamen ut *satisfactoriae*, ad justitiam commutativam pertinebant. Et per hæc facile Doctorum sententiae conciliantur. Quamvis autem Christus non teneretur Deo pro offensa satisfacere per modum principalis debitoris; benè tamen per modum fidejussoris, sponsoris, seu vadis.

DISPUTATIO II.

De motivo Incarnationis.

DUBIUM I.

Utrum , si homo non peccasset , Deus incarnatus fuisset?

41 **C**ONCL. est negativa D. Th. hic a. 3. & ferè comm. cont. Scotif. Cather. Pigum. Suarez, & quodam Societ. quorum opinionem probabilem judicavit D. Th. in 3.d.1. q.1. a.3. Supponit autem ut certum, potuisse Deum incarnari in ea hypothesi. Et loquitur in vi præsentis decreti. Quid verò facturus esset Deus in vi alterius decreti, nemo, nisi temerè divinando, determinare potest. Quis enim novit consilium Domini, aut quis consiliarius ejus unquam fuit, aut quid tunc Deus faceret, noscat? Prob. autem concl. rat. D. Th. Ea, que ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturæ (cujusmodi est incarnationis) nobis innotescere non possunt, nisi per Scripturas, & Ecclesiæ Catholicæ traditionem; sed in Scrip. & PP. (incorruptis traditionis testibus) ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur: ergo peccatō non existente, incarnationis non fuisset. Prob. min. apertif. Scrip. & PP. testim. Nam ipse Redemptor (quem utique motivum sui adventū non latebat) ait Lucæ 15. Non egent, qui sani sunt, medicō, sed qui male habent: Non veni vocare justos, sed peccatores. Et c. 19. Venit filius hominis querere, & salvum facere quod perierat. Paulus etiam, cui divina consilla revelata sunt, testatur 1. ad Timot. 1. Venit filius hominis in hunc mundū peccatores salvos facere. Quin, non aliā ratione promittebatur oīlī Messias venturus, quam ut mederetur contritis corde, ut consummaretur prævaricatio, ut finem acciperet peccatum, & de-

leretur iniquitas, ut patet Isaì. 61. & Dan. 9.

42 Accedit totius Ecclesiæ sensus dūm publicè canit in symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de Cœlis, & incarnatus est.* Et in benedictione Cerei Pasch. *O certè necessarium Adæ peccatum!* nimirūm ad hoc ut veniret filius Dei. *Astipulantur universi PP.* quorum inumerā testim. adducunt Theolog. Iren. l. 5. adv. hæreles c. 14. *Si non haberet caro salvati, nequaquam Verbum caro factum esset.* Athan. ser. 3. cont. Arrian. *Ut Verbum fieret homo, numquā destinatum fuisset, nisi hominis necessitas id postulasset.* Amb. l. de Incar. c. 6. *Quæ erat causa incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, redimeretur?* Cyrill. dial. 5. de Trin. *Si non peccassimus, non esset factus similis nobis.* Aug. ser. 8. de verb. Apost. *Si homo non periuisset, filius hominis non venisset.* Chrysost. hom. 5. in Epist. ad Hebr. *Propter hoc carnem assumpsit nostram, propter misericordiam solam, ut misereretur nostri: non est enim alia quæpiam causa dispensationis, quam hæc sola.* Bern. demùm ser. 1. Adv. Nec sanè (inquit) laborandum est in hac parte, cùm manifestè adventus ejus causam, & verba ipsius, & opera clament: *Ad quærendam quippe ovem centesimam, quæ erraverat de montibus, properavit, &c.*

43 Ex quibus rectè perpensis, penitus corruit omnis adversiorum evalio. Si enim Verbum, non existente peccato, adhuc venisset, vel in carne impassibili, ut Scotistæ volunt, vel ob excellentiam unionis hypostaticæ, ut Suarez aliique docent, falsa esset absolutè illa communis PP. locutio, absolutè, sine restrictione, & tantâ asseverantiâ affirmantium, *Verbum, Adamò non peccante, non venturum.* Itæ enim propositiones sibi invicem apertè contradicunt. *Adamò non peccante, Verbum non venisset: Adamò non peccante, Verbum venisset in carne impassibili, vel ob excellentiam hypostaticæ unionis;* non secùs ac istæ: *Petrus non currit: Petrus currit in platea:: Christus non est in Cœlo: Christus est in Cœlo in carne impassibili:* ergo si eorum opinio esset vera, communis PP. locutio esset absolutè falsa, quod nefas est dicere. Præt. Decretum illud ad solam incarnationis substantiam terminatum, & præscindens à circumstantiis carnis pas-

pansibilis, vel impassibilis, non foret efficax, quale est decretum incarnationis, sed inefficax; sicut voluntas illa antecedens salutis omnium: ergo implicat quod ex vi illius Verbum venisset. *Talis* insuper decreti nulla est in Script. aut PP. vel levis mentio: ergo sine fundamento astruitur.

44 Ut autem omnis tollatur æquivocatio, adverte, nos defendere, motivum unicum primarium decreti Incarnationis esse nostram redemptionem; ipsam verò incarnationem, seu unionem hypostaticam, esse rem volitam per hoc decretum, & in ordine ad illum finem. Ex quo rectè deducitur, quod incarnatio non fuisset ex vi hujus decreti, non stante fine redemptionis nostræ. Recentiores autem, qui Scoto subscribunt, ab illius tamen doctrina quadantenus reedentes, asserunt, decretum incarnationis duplex habuisse motivum adæquatum, nempè, dignitatem unionis hypostaticæ, & redemptionem nostram, confundentes motivum rei volitæ cum re ipsa volita ex tali motivo: Quod videtur implicitorum, nam redemptio nostra nunquam esset motivum adæquatum incarnationis, siquidem eâ solâ subsistente, & non stante dignitate hypostaticæ unionis, implicat quod decernatur incarnatio; hæc quippè essentialiter stat in tali unione.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

45 Opp. 1. Peæter redemptionem nostram, alia assignantur in Scrip. Incarnationis motiva, scilicet, nimia Dei charitas, & ostensio gloriæ suæ, & divitiarum: ergo cessante fine redemptionis nostræ, adhuc fieret incarnatio. *Prat.* Juxta D.Th. 2.2. q. 2. a. 7. incarnatio fuit revelata Adæ in statu innocentiae, qui sui casus præscius esse non potuit, sicut nec Angelus, ut docet August. super Gen.ad lit. ergo. *Ad 1. resp. ex D. Th.* hic a.3. ad 1. omnia alia Incarnationis motiva nobis manifestata, pertinere quodammodo ad remedium peccati. Nec ostensio gloriæ & charitatis Dei, aliorumque attributorum, est incarnationis motivum proximum, seu finis effectus illius, de quo hic est sermo; sed talis manifestatio est quasi finis ultimus, & primarius, finis causa, seu *cujus gratiâ* in omni opere Dei ad extrâ: Redemptio

tio autem nostra est proximus, & formalis, seu finis effectus incarnationis, quasi determinans & particularizans ipsum motivum decreti divini, ita ut sine illo non fieret incarnatio: vult enim Deus ostendere gloriam & charitatem suam, non utcumquè, sed in tali effectu, scilicet redemptione nostra, & non sine illo.

46 Et sic Scriptura loquitur de ostensione gloriæ & charitatis Dei, ordinatâ, & determinatâ ad talem redemptio- nis effectum, & non aliter. Ideòque Apost. Ephes. i. post- quām dixit: *Prædestinavit nos per Jesum Christum in laudem gloriae gratiae suæ*, adjecit: *In quo habemus redemptions*, &c. Ad 2. resp. ex D. Th. h̄c ad 5. nihil prohibere, revelari ali- cui effectum, cui non reveletur adæquata causa illius: ideo- que potuisse revelari Adg incarnationem, quin esset præ- scius sui casūs. Post factam autem explicitè revelationem Christi in carne passibili, & ut Redemptoris, inconveniens est dicere, occultasse Deum causam principalem sui adven- tūs, propter quam veniret, & sine qua non veniret: reve- lavit siquidem omnes circumstantias incarnationis, & pas- sibilitatem ac mortem, munusque Redemptoris.

47 Opp. 2. Prædestinatio Christi fuit prior decretō pro- ducenti creaturas intra ordinem naturæ, vel gratię, ut fre- quenter dicitur, & habetur ex illo ad Colos. i. *Primogenitus omnis creaturæ*: ergo etiam fuit prior decretō permisivō peccati: ergo non stante peccatō, Christus venisset; prius enim, quā tale, non dependet à posteriori. En præcipuum Scoti fundatum, sed ab ipso æquè solvendum. Nam præde- stinatio Christi in carne passibili fuit prior decretō permisivō peccati, juxta sententiam cui innitur: ergo non stante peccatō, Christus venisset in carne passibili. Resp. autem N. ant. juxta sententiam Cajet. plurimumque Thomist. afferen- tium, Deum priùs decrevisse omnia pertinentia ad ordinem nature, quām quę sunt de ordine gratiæ; adeòque priùs voluisse permettere Adæ peccatum, quām Verbi Incarna- tionem. Et ad locum Pauli dicunt, non intelligi de priori- tate futuritionis aut existentiæ, sed dignitatis, & excellentiæ respectivè ad omnia creata, à Deo volita.

48 Juxta aliam opinionem (valdè etiam frequentem inter nostrates) N. 2. conseq. Quamoptimè enim potest Deus velle decretō efficaci intentivō aliquid, ad cuius completam futuritionem, vel existentiam, aliquid aliud requiratur, posteā volendum, vel permittendum; ut sequentibus patet exemplis: Decretō enim efficaci intentivō vult Deus dare gloriam per modum coronæ, antequām velit aut prævideat merita, propter quæ danda est in executione gloria per modum coronæ; adeòque decretum divinum veriatum erga merita, sub aliquo signo posterius est decretō intentivō gloriæ per modum coronæ. Similiter Deus vult efficaciter pœnitentiam in his quos prædestinat ad gloriam per pœnitentiam, antequām permittat, aut futurum prævideat peccatum; ac proinde decretum permisivum peccati pro aliquo signo posterius est decretō pœnitentiae.

49 Ut piures importunas instantias & objectiones præcludas, bene nota, quod Deus voluit incarnationem Verbi propter nostram salutem tanquam propter finem effectum; non autem cuius gratia. Finis enim causa, seu cuius gratia decreti incarnationis, fuit gloria ipsius Dei, falsus quippè nostra ad Christi exaltationem, & utraque ad Dei gloriam ordinatur, juxta illud 1. Cor. 5. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Eodem igitur decretō indivisibiliter voluit Deus redemptionem nostram, incarnationem Verbi, & gloriam suam; illam quidem ut finem effectum, has autem ut finem causam, seu cuius gratia. Cum igitur incarnatione Verbi, non solum fuerit medium, sed etiam finis salutis aut redemptionis nostræ, non sequitur, quod salus præstet incarnationi, aut quod Deus plūs illam, quam istam amaret. Nec salus nostra est finis cuius gratia incarnationis, quamvis sit finis propter quem illius; nam finis propter quem, & finis cuius gratia sunt idem, si ly propter dicat præcipuum motivum, tēcūs si solum dicat præcipuum effectum.

50 Nota præt. quod cum medicina nullum alium respiciat finem, quam sanitatem ergo præstandam; hæc est finis cuius gratia respectu illius. Deus autem in decernenda incarnatione, præter nostram salutem, alium habuit finem,

& quidem præcipuum, suam videlicet, & Christi Redemptoris gloriam. Unde hec est finis *cujus gratia*; salus, seu redemptio nostra, finis effectus; & homo redimendus finis *cui*. Nota demum quod Authores oppositi dum afferunt, *omnia esse volita à Deo propter Christi dignitatem, & gloriam*, considerant gloriam Christi in ipsa dignitate hominis Dei, & unione hypostatica præcisè; ideoque dicunt, Christum fuisse volitum propter hanc dignitatem, adeoque venturum fore, seclusâ necessitate redimendi. Nos autem dicimus, finem decreti incarnationis non fuisse nudam unionis hypostaticę dignitatem, sed gloriam Christi ut Redemptoris, juxta nobis revelata: cumque *gloria Redemptoris* stare non possit sine interventu peccati, ideo inferimus, Christum non fore venturum, Adamō non peccante.

DUBIUM II.

Utrum solo existente peccato originali, vel solis existentibus actualibus, futura esset Incarnatio ex vi praesentis decreti?

51 **C**oncl. Solō existente peccarō originali, Christus venisset ex vi praesentis decreti; secūs solis existentibus actualibus. Prima p. est contra Cabreram, Nazarium, & Godoy. Secunda verò cont. P. Granad. adducentem pro se Medinam, & Suarez; qui tamen non loquuntur in vi præsentis decreti. Utraque autem est comm. à qua solus quem viderim recedit, prēter laudatos, Illust. Marinis hic a. 4. cap. unicō versus finem. *Ante prob. supp. cum D. Th.* hic a. 4. quod quamvis Christus venerit ad auferenda omnia peccata, cùm pro omnium deletione sanguinem fuderit; principalius nihilominus venit propter originale delendum; cùm illud fuerit extensivè majus, utpotè inficiens totam naturam, cui Deus per opus incarnationis succurrere voluit.

52 Prob. autem concl. quoad utramque p. rat. fund. ex dictis: De ratione motivi primarii, seu principalioris aliqui-

ius decreti, est, quod illō deficiente, deficiat ab executione decretum, & quod illō permanente, executioni mandetur decretum; sed motivum primarium, seu principalius decreti incarnationis, fuit remedium solius peccati originalis, cum in Sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, ut loquitur D. Th. hic a. 3. ergo. Præt. illud Ecclesiæ: O certè necessarium Adæ peccatum! neutiquam verificatur, si illō non existente, adhuc Christus venisset. Deinde si illō existente, deficiente tamen quolibet actuali, non venisset (ut afferit Godoy, satis consequenter) pronuntiatum illud æquè verum esset de quolibet actuali, quod Ecclesiæ menti adversatur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

53 Opp. i. contra i.p. fundamentum Illust. Marinis, & Godoy. Motivum totale, & adæquatum decreti incarnationis fuit remedium peccati, tam originalis, quam actualis, seu personalis; fuit enim tale motivum perfecta hominum salus, & plena redemptio: ergo alterō deficiente, motivum non subsisteret. Dist. ant. si motivum adæquatum intelligatur prout coalescit ex primario, & secundario, C. si intelligatur de motivo primario, seu principaliori dumtaxat, N. Itaque dum motivum primarium, seu principalius coalescit ex duplii parte, deficiat necesse est, alterā deficiente. Motivum autem principalius decreti incarnationis est remedium solius originalis, ut expressè docet D. Th. hic a. 4. deletio autem personalium, motivum quidem fuit, sed secundarium; quod proinde deficiente, subsistente primariō, decretum foret executioni mandandum, ut patet in deletione venialium, quæ etiam fuit motivum talis decreti; quod tamen certum est, exequendum fore, illis deficientibus. In quo evidenter instatur argumentum.

54 Sed instabis: Motivum principale, & primarium decreti incarnationis fuit perfectissima hominum redemptio à captivitate diaboli; sed hęc non subsisteret, si homines non redimerentur etiam à peccatis actualibus lethalibus, quibus æquè captivi tenentur à diabolo, ac originali: ergo. N. maj. Quamvis enim redemptio perfectissima à servitute dia-

boli, contracta per quodvis peccatum, fuerit motivum decreti incarnationis; non tamen primarium, & principalius; sed hoc solum fuit hominum salus universalis, seu liberatio totius naturae humanae, per peccatum originale corruptae, ut docet D. Th. a. 2. ad 2. & a. 4. & 5. in corp. Datâ autem maj. adhuc minor esset falsa in hypothesi quæst. nempè, existentiae solius originalis. Ecquid enim derogat redemptionis plenitudini, quod non redimantur peccata, quia non existunt, & quæ, si existerent, redimerentur? Nunquid plenior esset redemptio, si plura forent actu peccata?

55 Opp. 2. contra 2.p. illud Chrysost. Hom. 3. in Acta: *Unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo: ergo veniret Christus ob delendum unius hominis peccatum, et si alia non forent. Id quod deduci potest ex illo ad Gal. 2. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Resp. his, & similibus testim. commendari ineffabilem charitatis Christi fervorem erga nos, quo ita erat comparatus, ut vitam pro uno solo peccato expiando libenter impendisset, si Deus ita voluisse, & decrevisset: hoc tamen de facto Deum non decrevisse, constat ex dictis.*

DISPUTATIO III.

De unione Verbi incarnati, seu de quidditate Incarnationis.

Expositis quæstione 1. Incarnationis convenientiam, necessitate, & motivis (ad illius an est, seu existentiam pertinentibus) ejusdem quod quid est, seu essentiam agreditur explicandam S. D. q. 2. differens de unione duarum naturarum, divinæ, & humanæ, in una Persona, in quo tota Incarnationis ratio consistit. Ad cuius elucidationem, fit

DUBIUM I.

Utrum Persona, vel Hypostasis Christi post Incarnationem sit verè composita?

56 **A** Nte resolut. supp. ut fide certum id quod D.

Th. docet tribus primis art. nimirūm, unionem Verbi incarnati non fuisse factam in natura, sed in persona, supposito, vel hypostasi. Quibus extremi Nestorii, & Eutichetis exploduntur errores. Ille siquidem duas in Christo personas accidentaliter unitas commentitus est: Hic verò, declinandę Nestorianę impietatis pretextu, ambas Christi naturas ita confundit, ut in unicam mutuā commixtione coaluisse dixerit. Uterque autem error pluriès ab Ecclesia proscriptus est, sed præcipue in III. & IV. Synod. Gen. quarum prima contra Nest. secunda verò adversus Eutichetum congregata est, iuxta dicta tom. 3. N. 839. Uterque simul damnatur in Symbolo Athan. his verbis: *Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus: unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate persone.* Hoc supposito,

57 Concl. est affirm. & quidem, Christum esse personam compositam, à nullo negari potest. *Tum* quia id expressè afferunt CC. & PP. *Tum* quia ex terminis patet: Est enim Christus unum per se, & non per simplicitatem: ergo per compositionem. *Quòd* verò sit persona verè, & propriè composita, est D. Th. hic a. 4. communis Thomist. & reliquorum Theologorum, adversus Scotistas, D. Bonav. Duran. Ricardum, & nonnullos alios veteres, quibus favet D. Th. in 3. d. 6. q. 1. Prob. autem primò ex CC. & PP. absolute affirmantibus, *Christum esse personam compositam*, ut videre est in V. Synodo Gen. coll. 8. can. 4. ubi relatà extrémâ Nestorii, & Eutichetis hæresi, ait: *Sancta verò Dei Ecclesia, utriusque perfidia impietatem rejiciens, unionem Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur.* Et can. 7. *Christus habet duas naturas, ex quibus est compositus.* In C. Lateran. frequen-

quentissimo (non tamen OEcumenico) sub Martino I. can. 8. & in VI. Synodo Gen. act. 4. 11. & 13. Idem videre est apud Dion. Athan. Aug. Greg. Damasc. Bern. aliosque PP. apud Cippull. & Godoy; sed præfata Conciliorum, & PP. locutio propriè, & strictè accipienda est, nam in laudato Lateran. C. can. 17. anathematizantur negantes, propriè, & secundùm veritatem dicta esse ea, quæ de Christo in his CC. diffinita sunt: ergo.

58 Prob. deinde rat. Quidquid verè constat ex pluribus, verè, & propriè distinctis, & unitis, est verè, & propriè compositum ex illis; compositio enim nihil est aliud, quam distinctorum positio, sive unio; sed persona Christi verè constat ex pluribus, verè, & propriè distinctis inter se, & unitis, nempè, personâ Verbi, & humanitate, naturâ Divinâ, & humanâ: ergo. *Relationes* autem divinæ (ut evasionem præcludamus) nullam, nè impro priam quidem, efficiunt compositionem realem in Deo, quia non uniuntur inter se ad constituendum aliquod unum tertium, à quo realiter distinguantur, sed potius idem pfectantur in tertio, scilicet in essentia Divina.

59 Hinc propositio ista, *Persona Christi est composita*, ab solutè, & sine ulla expositione, vel addito, concedenda est; non secùs ac ista, *Christus est compositus*, quidquid dicat Tiphanus. Illam enim absolutè pronuntiant CC. & PP. ut memoratos extremos errores excludant: Modò enim Christum, modò personam dicunt esse compositam, sine ulla distinctione. Imò Damasc. dicit, quòd *Christus* est nomen personæ. Cajet. autem hic, ad vitandum imperitorum scandalum, addendum judicavit, esse compositionem *ineffabilem*; sed id nimis scrupulosum judicatur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

60 Opp. i. cont. rat. quâ D. Th. a. i. probat i. supp. nempè, unionem Verbi incarnati non fuisse factam in natura: Humanitas enim potest in divinitatem converti absque hujus mutatione: quemadmodùm corpus Christi absque sui intrinseca mutatione terminat conversionem in ipsum: ergo ex immutabilitate divinitatis, non recè probat S.

S. D. non posse humanitatem in illam converti. *Resp. D.*
 Th. non loqui de conversione totali, & transubstantiativâ,
 qualis est adducta in exemplum; sed de formalî, de cuius
 essentiali conceptu est mutatio intrinseca termini. Sic Cajet.
 Naz. Godoy, aliique plures. *Nec Eutychetis error erat de*
conversione totali, nec enim dixit, humanitatem esse in di-
vinitatem conversam; sed unam esse in Christo naturam; ita
quod quamvis ante unionem essent duas nature distinctas, divina,
& humana; in unione tamen coierunt in unam naturam, ut
refert D. Th. 4. Cont. Gen. c. 45. cui potius standum, quam
aliis eruditionem affectantibus.

61 *Opp. 2. cont. concl. D. Th. in 3. d. 6. q. 2. a. 3. in corp.*
 & ad 5. apertè docentem, Personam Christi *non esse simpli-*
citer compositam quantum ad perfectam compositionis rationem.
Præt. 1. p. q. 3. a. 8. ait, Deum in nullius rei compositionem
 posse venire: quod non staret, si Christus esset persona com-
 posita. *Ad 1. R.* loqui ibi S. D. de compositione secundum
 leges quas exigit in creatis, non autem excludere essentialia
 compositionis ut sic, seu veram unionem plurium distincto-
 rum in aliquo esse. *Ad 2. R.* repugnare quidem, venire
 Deum in compositionem alterius *sicut principium formale,*
aut materiale, ut S.D. ait ibidem; secùs per modum termi-
 ni, aut actùs trahentis ad suum esse aliud extreum. *Videsis*
dicta t. 1. N. 200.

62 *Opp. 3.* Omne compositum, cùm sit totum, con-
 stat ex partibus, quarum singulis est perfectius, & quæ si-
 mul sumptæ, de ipso verè prædicantur; sed Verbo, & divi-
 nitati repugnat ratio partis, ob impræscindibilem hujus im-
 perfectionem incompletionis, & subordinationis; & Christus
 non est Verbo, aut Divinitate perfectior, nec huma-
 nitas, & divinitas, simul sumptæ, prædicantur verè de Christo,
 hæc enim propositio, *Christus est humanitas, & divinitas,*
 damnatur inter errores Joannis Hûs sess. 15. C. Constan-
 tiensis: ergo. *N. maj.* Ad rationem enim compositi verè, &
 realiter talis, nō requiritur quod sit totum, sed sufficit quod
 sit unum ex multis, realiter distinctis, & unitis, habentibus
 rationem extremi. In illa igitur ineffabili compositione Per-

ionæ Christi, nec compositum est totum, nisi negativè, quatenus scilicet, non est partiale, aut incompletum; nec extrema componentia sunt partes; nec compositum est singulis componentibus perfectius, aut majus; quia alterum ex his est infinitum, eminenter continens totam perfectionem alterius: qua de causa totum universum cum Deo, non est perfectius aut majus, ne extensivè quidem, Deo solò, ut diximus tom. I. à N. 150.

63 Nota autem, quod dum PP. usurpant propositionem illam à C. Constant. proscriptam, loquuntur in sensu causali, & contra Eutychianos, confundentes naturas in Christo. Vide omnino M. Medinam hìc a. 4. Nec omittendum est, Joannem Uvicleph. & Joann. Hùs docuisse, Christum esse naturam divinam, & humanam divisim, & in hoc sensu fuit damnata propositio illa à C. Const. ut author est Thom. Uvald. t. I. l. I. a. 3. c. 24. *Nihilominus* propositio illa falsa est absolutè, quia Christus nō solùm includit divinitatem, & humanitatem, sed etiam subsistentiam, quæ excluditur in illa propositione, propter sensum formalem quem faciunt prædicta illa abstracta *humanitas*, & *divinitas*; unde neque idempicè est vera. Si autem ex parte prædicati importetur subsistentia, erit vera formaliter; unde vel in utroque sensu est vera, vel in neutro, quidquid Cippullus cum alliis dicat.

64 Opp. 4. Prædicatum de se natum convenire naturæ & supposito, si repugnet supposito, non dicitur absolutè de Christo, juxta regulam D. Th. communiter receptam; & propterea negamus, *Christum esse factum*, *esse creaturam*, *incipere esse*, & similia; sed *esse compositum*, est prædicatum hujusmodi: ergo. *Præt.* Quidquid dicitur absolutè de Christo, potest etiam absolute dici de Deo, ob communicationem idiomatum: ergo, & Verbum divinum eslet persona composita, quod est hereticum. Tandem. Hæc conseq. est bona. *Verbum divinum est Christus*; *Christus est persona composita*: ergo *Verbum divinum est persona composita*; sed consequens est hereticum: ergo aliqua ex præmissis est falsa; non major, quæ est catholica: ergo minor, quæ est nostra

con-

concl. Ad 1. R. sensum illius regulæ esse, quod prædicatum de se natum convenire naturæ, & supposito ratione subsistentiæ quâ constituitur, si repugnet supposito, non dicitur absolutè de Christo. Compositio autem non est prædicatum natum convenire supposito ratione subsistentiæ, (quæ semper est simplex,) sed tantum convenire potest supposito ratione naturæ humanæ, realiter distinctæ à subsistentia, per quam completur. Creari autem, fieri, incipere, & id genus, ex se convenire possunt supposito ratione subsistentiæ.

65 Ad 2. R. majorem esse veram, quando id quod dicitur absolutè de Christo, non determinat, ex modo significandi, Christum ad stādum pro toto composito ex humanitate, & divinitate, cuiusmodi sunt *esse passum, mortuum, & similia*: secūs si determinet ipsum ad standum pro toto composito, cuiusmodi sunt, *esse compositum, & collocari in prædicamentum*. Ad ult. N. maj: variatur enim appellatio, vel quasi appellatio, seu applicatio termini; nam significatum formale adæquatum hujus termini *Persona Christi*, est *Verbum ut subsistens in duabus naturis*; formale autem significatum hujus, *Persona Verbi*, est *personalitas ut subsistens in natura Divina*. Ly autem *compositum* in minori applicat compositionem supra significatum formale adæquatum *personæ Christi*, in consequenti verò, supra significatum formale *persona Verbi*.

66 Pro facili solut. aliorum argum. nota 1. compositum distingui realiter à quolibet componentium, tanquam includens ab inclusō, non tanquam rem à re. Et ideo Persona Christi ut composita, distinguitur à persona Verbi ut sic, quia includit humanitatem, quam non includit Persona Verbi ut sic. Secundò. Quod dūm D. Th. hic probat compositionem personæ Christi, quia est in illo alia, & alia ratio subsistendi; non intendit, quod diversæ rationes subsistendi sint extrema illius compositionis; sed ex illis infert distinctionem naturum in quibus Verbum subsistit, & quæ sunt extrema compositionis; ac si ita argueret: *Ubi est alia & alia ratio subsistendi, sunt diversæ naturæ subsistentes; & consequenter ex illis in eodem supposito, realis compositio resultat.*

Tandem, quod dum ibidem ait, quod persona Christi secundum rationem personae vel hypostasis est composita; non sumit ly rationem pro quidditate aut essentia, sed pro officio aut ministerio personae in terminando. Vide J. à S.Th.

DUBIUM II.

*Quinam sit terminus formalis unionis
hypostaticæ?*

67 **U**nus hypostatica tripliciter sumi potest, nempe, & activè pro unitione seu actione uniente extrema, & passivè pro ipsa conjunctione extremorum, tandem relativè pro relatione inter extrema unita resultante. De illa secundò modò accepta differit S. D. a.6. diffiniens contra Nestorianos, non esse accidentalem, & contra Eutychianos, non esse substantiam, prout *substantia* significat naturam, essentiam, seu quidditatem; sed esse substantiam, sumptà *substantia* pro hypostasi, supposito, aut persona, ut Ecclesia in CC. diffinivit. Deinde a.9. docet, illam esse maximam unionum ex parte personæ in qua duæ naturæ conjunguntur, non autem ex parte conjunctorum. De illa etiam sic accepta, tenent Illust. Herrera, Araujo, & Godoy, esse modum ab extremis distinctum; sed oppositum est dogma Thomisticum, de quo 1. Physic. ex professo. De unione verò relativè acceptâ, docet D. Th. a.7. esle aliquid creatum, cum relatio illa sit realiter in humanitate, in divinitate verò non nisi secundum rationem.

68 Dubium autē procedit de unione hypostaticâ *activè* sumptâ, & *supponit* cont. Cabreram, & Contens. illam esse actionem realiter distinctam à creatione animæ, & productione humanitatis Christi; non quidem ex parte Dei, operantis per actionem formaliter immanentem, atque adeò simplicissimam; sed ex parte terminorum, & quatenus tales actiones habent veluti rationem passionis. Et constat, Tum quia creatio animæ, & productio humanitatis, sunt actio-

actiones naturales ; unio verò hypostaticâ , supernaturalis. *Tum* quia sunt realiter separabiles , potuit enim produci humanitas , & Verbo non uniri. *Tum* quia Beatissima Deipara concurrit ut causa principalis ad productionem humanitatis , secùs ad unionem hypostaticam; ad creationem autem animæ , neutiquam.

69 Dùm autem Mag. Leo , aliique PP. oppositum insinuare videntur , solum volunt , humanitatem Christi non præcessisse tempore incarnationem : Nec plus requiritur , ut Beatissima Virgo genuerit hominem Deum , sitque verè *Deipara* , ad quod sufficit , ut ejus actio generativa (quâ univit animam corpori) terminata fuerit ad humanitatem , eodem instanti assumptam , seu hypostaticè unitam : Etenim concipi , & generari , est proprium subsistentis in humanitate ; subsistens autem in illa humanitate , erat ipse Deus ; adeòque Deus verè fuit genitus per illam generationem. *Supponit* præt. terminum *qui* , seu totalem unionis hypostaticæ , esse ipsum Christum , seu personam compositam. His supp. sit

70 Concl. *Terminus formalis seu quo unionis hypostaticæ , activè sumpta , est humanitas unita Verbo.* Sic J. à S. Th. Araujo , Godoy , aliique cont. Alvarez , Gonet , & alios. Et prob. Constitutum totale resultans ex ista actione , est Christus , seu Deus homo , id enim est , quod de novo factum est in rerum natura , scilicet , Verbum caro : ergo forma constituens hoc totale constitutum , erit terminus formalis seu *quo* talis actionis ; sed hoc solum est humanitas , non autem persona , aut unio : ergo. Prob. min. nam in hac ineffabili unione , Persona divina se habet , ut subjectum , seu ut suppositum , cui de novo advenit humanitas , ut in eo subsistat : *Sicut si homini advenirent pedes aut manus quas antè non haberet* , ut loquitur D. Th. infrà q. 17. a. 2. non autem humanitas se habet ut subjectum cui advenit divinitas : *In unione enim Dei ad animam , non trahitur Deitas ad humanam naturam , sed humana natura à Deo assumitur* , ut ait S. D. opus. 30. c. 6. cont. Græcos , & Armenos : ergo persona nequit esse forma , &c. & multò minus unio , quæ potius est applicatio formæ constituentis ad subjectum , ut resultet totum constitutum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

71 Opp. 1. cont. 1. supp. Nam aliàs Beatissima Virgo non esset verè Mater Dei, cùm nullum concursum habuerit in unionem humanitatis ad Verbum, sed in solam productionem humanitatis: ergo. *Resp. ex D. Th. infrà q. 35. a. 4. N. sequelam.* Ad prob. nego cons. Quamvis enim Beatiß. Virgo neutiquàm unionen effecerit, Deum nihilominus verè concepit & genuit, quia verè genuit humanitatem, assumptam in eodem instanti à Verbo. Nec Christus fuit formatus & productus per solam unionem hypostaticam, ut argumentum supponere videtur; sed etiam per actionem productivam humanitatis, assumptæ à Verbo in eodem instanti productionis. Adeòque Beatiß. Virgo est verè Mater Dei, non quia sit Mater divinitatis, sed quia personæ habentis divinitatem & humanitatem est Mater secundum humanitatem, ut loquitur S. D. ibidem ad 2.

72 Ut autem instantias præcludas, nota, quòd productio humanitatis pro aliquo tempore antecedente unionem, non esset productio humanitatis Dei; productio autem humanitatis, assumptæ à Verbo in eodem conceptionis instanti, verè fuit productio humanitatis Dei. *Nota p̄t.* quòd Beatiß. Virgo produxit humanitatem per actionem generativam de se unitivam illius cum propria subsistencia; unde quamvis hęc fuerit à Deo impedita, substitutō vice illius suppositō Verbi; dicitur nihilominus ipsa verè causa concreti illius substantialis, resultatis ex humanitate & Verbo unitis, quamvis hujus unionis causa non fuerit. Recole dicta N. 69.

73 Opp. 2. cont. concl. Personalitas Verbi habet rationem actus terminantis & complementis humanitatem: ergo est terminus formalis, &c. *Prat.* Humanitatem subsistere in Deo (quod à Verbo provenit) perfectius ac principalius est, quam esse hominis, ab humanitate proveniens: ergo illud potius quam istud, est terminus formalis incarnationis. *Tandem D. Th. h̄c a. 8. docet,* quòd humanitas est terminus à quo assumptionis: ergo. *Ad 1. Dift. ant.* Habet rationem actus terminantis *suppositaliter*, & *personaliter*, C. Ter-

minantis *formaliter*, N. Hanc enim non habet actualitas, resultans in natura ex suppositante; sed actualitas illa quæ informat & constituit per modum actus primi in esse talis, ut hominem humanitas, & album ipsa albedo. Sic autem non personalitas Verbi, sed humanitas, constituit Verbum hominem, adeoque est formalis terminus actionis incarnationis.

væ.

74 Ad 2. N. cons. aliud enim est, quod subsistere in Deo, sit perfectius in esse rei, & aliud quod principalius & primariò intendatur per actionem: quemadmodum pars quantitatis est terminus augmentationis, primariò intentus, non autem pars substantię, entitativè illâ perfectior. *Ad ult.* N. conseq. vel Dist. cons. ergo humanitas non est terminus ad quem actionis unitivę, ut assumptivæ, C. ut incarnationivæ, N. Itaque actio illa unitiva est *assumptio*, & *incarnatio*, solâ ratione differens, ut explicat S. D. hic a. 8. ad 3. Cæterum directè & simpliciter, non est *assumptio*, sed *incarnatio*; quia primò & per se facit Verbum hominem, & ex consequenti assumit naturam ad esse Verbi: quemadmodum dealbatio primò & per se facit album, & ex consequenti trahit albedinem ad esse subjecti.

75 Unde sicut sola albedo est terminus formalis dealbationis, ita unus est terminus formalis directus & primarius unionis humanitatis ad Verbum; & cùm non supponatur humanitas ut ei adveniat divinitas, sed Verbum ut fiat homo, sicut explicat Scriptura; propterea dicimus, terminum formalem esse humanitatem, & sic actionem illam esse *incarnationem*, seu *humanationem*, & in connotato *assumptionem*. Et hoc modò accipiendus est Illus. Marinis dum sententias Thomist. conciliare conatur hic a. 7. cap. 1. Ut reliqua argumenta facile solvas, nota, quod terminus totalis actionis productivæ, debet esse productus; *formalis* verò, satis est quod uniatur, ut patet in generatione hominis.

DUBIUM III.

Utrum Christus Dominus mereri potuerit de condigno, aut de congruo, suam Incarnationem, seu unionem hypostaticam?

76 Consideratâ unione hypostaticâ in se, resolvit S. D. a. 10. & 11. nullam illius præcessisse causam dispositivam, aut meritoriam. Primum ostendit a. 1. *Tum* quia unio hypostaticâ fit per elevationem humanitatis ad esse personale divini Verbi, ad quod nulla requiritur dispositio, aut habitus: sicut non requiritur, ut humanitas habeat esse in proprio supposito; implicat enim, præintelligi in humanitate esse accidentale dispositionis, ante esse simpliciter, præstandum per hypostasim. *Mens* autem beati (ut instantia præcludatur) supponitur habens esse, & elevatur ad esse beatificum, seu accidentale, scilicet operari.

77 *Tum* ad 2. quia nè gratia quidem habitualis potuit esse medium disponens ad unionem hypostaticam, cùm illa fiat in sola anima; unio autem pertinet ad totam humanitatem. Facta est autem unio *per gratiam*, sumptâ gratiâ pro Dei voluntate, gratis aliquid faciente; secùs si sumatur pro gratuito Dei dono, tametsi ipsa unio fit maxima gratia. *Secundum* autem probat a. 11. Quia nec Christus illam de facto meruit, omnis siquidem Christi operatio subsecuta est incarnationem: Nec aliis quisquam homo, *Tum* quia incarnatio est principium gratiæ, quæ sub merito non cadit, cùm sit principiu[m] meriti. *Tum* propter alias rat. móx ex-pendendas. Hoc igitur supposito,

78 Concl. est neg. Et supponit 1. humanitatem Christi non potuisse mereri ejus assumptionem, cùm non præcesserit tempore, nè quoqd animam quidem, ut fide certum est cont. Originem, Photinum, & Nestorium: Nec priori ad unionem mereri potuit, cùm actiones sint suppo-

fitorum. *Supp. 2.* potuisse Christum condigne mereri incarnationem Patris, aut Spiritus S. ejus quippè meritum erat simpliciter infinitum. *Intellecta* autem concl. de operibus præcedentibus unionem, est comm. constatque ex di-
ctis, implicat enim humanitatē Christi operari ante assumptionem. *Intellecta* autem etiam de operibus Christi unionem subsequentibus, est etiam comm. cont. P. Suarez, & paucos alios. Probaturque dupli ratione D. Th. q. 29. de verit. a.6. Prima est, quia si quis posset mereri id quod jam habet, rueret ratio Augustini, quā contra Pelagianos probat, gratiam sub merito cadere non posse, quia ante gratiam nulla sunt merita nisi mala, cūm ante gratiam homo sit impius, & meritis impii, non gratia, sed pœna debetur. Rueret, inquam, hæc ratio, liquidem posset dici, quod gratiam quis meretur per opera, quæ post acceptam gratiam facit: nemo igitur mereri potest id quod jam habet: adeoque nec Christus unionem.

79 Secunda ratio procedit ex ipsa quidditate meriti, prorsus immutabili, quam sic proponit: *Nam meritum (inquit) est causa præmii, non quidem per modum finalis causæ (sic enim magis præmium est causa meriti) sed magis secundum reductionem ad causam efficientem...* Id autem quod est causa per modum efficientis, nullò modō potest esse posterius tempore eō cuius est causa; unde non potest esse, quod aliquis mereatur, quod jam habet. Quasi dicat: Nulla causa efficiens potest esse aliquō modō posterior tempore suō effectu; sed omne meritum est causa efficiens præmii: ergo nullum meritum potest esse aliquō modō posterior tempore præmiō: ergo implicat quod aliquis mereatur quod jam habet. *Nota* autem, ut evasionem præcludas, quod incarnatio est causa efficiens, non modō phystica, sed etiam moralis meritorum ejusdem: implicat ergo quod merita Christi sint causa efficiens moralis incarnationis. *Prob.* tandem concl. Datō enim quod principium effectivum meriti posset cadere sub merito; scilicet principium formale meriti, seu istud valorans; aliás posset meritum se ipsum mereri, forma enim valorans meritum, est ipsa quidditas meriti; sed incarnatio est forma

valorans omnia Christi merita : ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

80 Opp. i. illud Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo latitiae*, id est, *Divinitatis*, juxta Nazian. Aug. aliosque PP. ergo unctionem humanitatis per divinitatem, promeruit Christus per amorem iustitiae, & peccati odium. *Præt. Apocalyp. 5. Agnus qui occisus est, dicitur dignus accipere virtutem, & divinitatem*, utique in præmium exceptæ mortis: ergo. *Ad 1, R.* quod ly propterea non meritoriam, sed finalem causam denotat, juxta laudatos PP. Sensus ergo non est, *quia dilexisti iustitiam, &c.* ideo unxit te Deus, &c. sed: ut diligeres iustitiam, &c. propterea unxit te Deus, &c. Hieron. autem, & alii PP. volentes, quod ly propterea significet causam meritoriam, afferunt, per ly oleo latitiae, non intelligi divinitatem, sed gloriæ corporis, exaltationem nominis, & id genus alia, quæ Christus sibi promeruit. *Ad 2. R.* ly accipere divinitatem, non significare divinitatis acquisitionem, sed manifestationem, & ostensionem, quam beatus ille Cætus Agno occiso optabat, ut posteriores gloriæ abjectionem anteriorem compensarent, & qui se humiliaverat, exaltaretur, ut exponit Hieron.

81 Opp. 2. Causa efficiens potest esse posterior tempore suo effectu: ergo corruit rat. D. Th. Prob. ant. Incarnatione Verbi ut posita in executione, fuit posterior tempore gratiæ, & meritô antiquorum PP. sed incarnatione Verbi ut posita in executione, fuit causa meritoria adeoque efficiens gratiæ, & meriti antiquorum PP. ergo. N. ant. Ad prob. omissis variis solut. R. cum Medina, Alvarez, J. à S. Th. Araujo, Marinis, Labat, aliisque, Dist. maj. Fuit posterior gratiæ & meritô antiquorum PP. quoad talis gratiæ collationem, C. quoad illius consummationem, N. & dist. min. Fuit causa meritoria & efficiens gratiæ PP. quoad illius collationem, N. quoad consummationem, C. & N. conf. Itaque gratia non fuit collata antiquis PP. ex vi meritorum Christi ut causæ efficientis; sed solum ut causæ finalis, quatenus Deus intuitu meritorum Christi futurorum largitus est ipsis gratiam, juxta illud Rom. 10. *Finis enim legis Christi*

stus ad justitiam omni credenti. Causa autem finalis, quia causat prout in mente operantis, non requirit existentiam ut causet, secus efficiens.

82 Verum postquam unio hypostatica facta est, fuit causa gratiae antiquorum PP. in genere causae efficientis, influendo, & conservando illam, eamque reducendo ad ultimum actum, introducendo Sanctos in beatitudinem: Ideoque incarnatione postquam semel facta est, fuit causa meritoria illius gratiae, quae collata fuit PP. sub fidejussione Messiae venturi, & propter merita Christi futura. Et hinc solutae manent instantiae, quibus hanc solutionem evertere conatur M. Cippullus: Quia juxta illam optimè salvatur, Christum verè meruisse gratiam antiquorum PP. Nec verum est, quod causa efficientis moralis non requirat existentiam in re, ut causet; quantumvis moveat, & causet ut existens in apprehensione: Alias rueret principium illud D. Th. *quod est causa per modum efficientis, nullò modo potest esse posterius tempore eō, cuius est causa.* Loquitur enim de omni causa efficienti, etiam morali, seu meritoria, alias non probaret intentum, nimis, esse impossibile quod aliquis mereatur, quod jam habet.

83 Opp. 3. Exemplum de Rege dante militi arma in stipendium futuri laboris, quod meriturus est ipsam arma: *Quod exemplum, inquit Suarez, licet multis viis vitetur à contrariis, nunquam tamen plenè satisfaciunt.* R. ex D. Th. I. p. q. 23. a. 5. & I. 2. q. 114. art. 5. ad 3. disp. esse evidenter, quia meritum militis, seu bonus usus armorum, non dependet efficienter ab ipsis armis mutuatis, seu anticipata donatione collatis in premium futurorum laborum; sed à virtute, & industria propria militis: undē non repugnat, quod arma prius data, propriis laboribus mereatur. Gratia autem unionis est primum principium effectivū cujuscumque meriti Christi D. & ideo non potuit esse terminus, sive effectus, aut præmium ejusdem meriti. Vide tom. 3. N. 587.

84 Ex dictis colliges I. nec potuisse Christum mereri continuationem incarnationis quoad entitatem; est enim entitativè idem cum ipsa incarnatione; cùm hæc mensu-

retrum æternitate participatâ, sitque prorsùs invariabilis, ejus quippè duratio est tota simul, simplicior, ac permanentior duratione visionis beatificæ, & Angelicâ, utpotè superiores ordinis, ut colligitur ex D. Th. infrà q. 50. a. 2. *Quia* tamen potuit absolutè Deus decernere, quòd illa existeret unicō instanti, qualiter extitit visio beatifica Pauli in raptu; posset tunc Christus mereri illius continuationem operacione eliciti in illo instanti. De facto autem neutiquam illam meruit, quia unicum fuit decretum intentivum, & executivum incarnationis quoad hujus substantiam, & continuationem, sic exigente illius naturâ, juxta quam loquendum est de divinis decretis, nisi oppositum sit revelatum. Ex quibus rectè perpenſis, facilè conciliantur plurium Thomistarum placita, in speciem opposita.

85 Sed dices: Poterat Christus mereri, nè humanitas dimitteretur à Verbo, aut nè anihilaretur: Poterat etiam mereri reunionem factam humanitati in resurrectione: Extensionem denique unionis ad omnes partes materiæ, quas per nutritionem acquirebat: ergo. *Ad 1. N. ant.* Quòd enim Deus non anihilat, aut dimittat humanitatem, nihil importat præter continuationem incarnationis in duratione, & actionem sustentantem illam: & sic non addit aliquid novum, quod cadere possit sub merito. *Ad 2. & 3. N. conseq.* Uniones enim illæ non sunt ipsa unio incarnationis simpli citer, sicut est continuatione illius; sed sunt aliquid novum assolutum ex priori unione, adeoque mereri illas potuit Christus, & de facto meruit, sicut ipsam resurrectionem: ex eo enim quòd Verbum assumpsit humanitatem in statu passibili, ex consequenti voluit partes assumere nutrimen tales, secundùm quas humanum corpus est in continuo fluxu.

86 Ex eo etiam quòd divinitas in morte non est separata à partibus, consequens erat, quòd si iterum invicem unirentur, maneret unio facta humanitati: & sic mereri talem unionem, non est mereri ipsam incarnationem, sed aliquid consecutum ad ipsam. Unde & meruit Christus continuationem reunionis, utpotè ab ista indistinctam. Vide Nazar.

J. à S. Th. & Cippulum. Et benè nota, ut instantias præcludas, quòd licet unio, ut facta in resurrectione, consequatur connaturaliter unionem, ut primò gratiæ factam; quia tamen hæc definit esse in morte, deficiente humanitate; potuit illa sub merito cadere. Et quamvis eadem fuerit unio, ut primò, & secundò facta, interrupta tamen, & discontinuata. *Nota* insuper, quòd extensio unionis hypostaticæ ad partes nutrimentales, non erat perfectè, & immediate necessaria ad continuationem unionis, sed solum remotè, & materialiter, quatenus scilicet, nutritio erat necessaria ad conservationem vitæ Christi. Unde ex quo talem extensio meruerit, minimè infertur, quòd unionis continuationem meruerit, aut mereri potuerit. Auxilia autem gratiæ per se, & immediate requiruntur ad gratiæ habitualis conservationem: unde merens illa, meretur & istam.

87 Ad pleniorum intelligentiam, iterum nota ex D. Th. in 3.d. 21. q. 1. art. 1. qq. 2. ad 5. quòd unio hypostatica facta fuit, ut esset una in actu, & duæ in potentia, & ut existente humanitate, unio Verbi cum ipsa secundum se perseveraret: humanitate verò non existente, unio Verbi maneret cum ejus partibus, cum anima scilicet, & corpore, separatis, ut contigit in triduo mortis. Quod quidem unionis hypostaticæ immutabilitatem non tollit, nec minuit, cùm hoc non ex natura unionis proveniat, sed ex defectu subjecti: sicut etiam esse animæ rationalis, de se est immutabile, & æviternum, licet aliquando communicetur corpori, & aliquando subtrahatur; quia hoc non provenit ex defectu ipsius, sed ex defectu corporis.

88 Colliges 2. non potuisse Christum mereri circumstantias per se præcedentes, aut concomitantes incarnationem; sicut enim principium meriti non potest cadere sub merito, ita neque id quod se tenet ex parte ipsius principii: quapropter nullus potest mereri circumstantias antecedentes, & concomitantes primam gratiam. Meruit tamen Christus circumstantias subsequentes, ut Pastorum, & Magorum adorationem, apparitionem stellæ, curam, & solicitudinem Sacratissimæ Virg. Beatissimi Joseph, &c.

DUBIUM IV.

*Utrum SS. Patres veteres meruerint de congruo
Verbi incarnationem, ejusque circumstantias?*

89 **S**upp. 1. cum D. Th. h̄c a. 11. antiquos PP. neutrā quādā mereri potuisse de condigno Incarnationis substantiam: *Tum* quia h̄c est infinitā estimabilitatis, adeōque inaequabilis quibusvis purāe creaturāe operibus, quālibet eximiis. *Tum* quia superat unionem beatitudinis, ad quam ordinatur omne meritum tanquam ad finem, & terminum. *Tum* demū, quia est origo gratiæ, quæ sub merito cadere non potest. *Hinc* supp. 2. nec mereri potuisse PP. de condigno incarnationis circumstantias intrinsecas; istæ siquidem sunt ejusdem ordinis hypothatici cum illa, superant proinde omne meritum ex gratia habituali proveniens.

90 Extrinsecas verò incarnationis circumstantias, ut temporis, & loci, v.g. de facto condigne meruerunt PP. ut cum pluribus docet Cippull. h̄c dub. 3. & videtur sententia expressa D. Th. in 3. ad Anib. dist. 4. q. un. a. 4. dicentis: *Sancti autem PP. incarnationem meruerunt merito congrui, scilicet, se ad suscipiendum tantum beneficium preparando, & non merito condigni; quia non eam per meritum hoc modò debitam sibi fecerunt: quamvis sic potuerunt mereri ejus ACCELERATIONEM: Deus enim disposuerat, ut eorum precibus, & meritis fieret acceleratio.* Quibus loquitur de facto, quidquid dicit Gonet, omittens ultima verba. Constat insuper, quia hujusmodi circumstantiæ, quā tales, non sunt infinitā estimabilitatis, nec superant Patrum merita. His suppositis,

91 Concl. est affirm. expressa D. Th. h̄c a. 11. & loeo ad Anibal. mōx laudatō. Et quoad 1.p.est comm. Thomist. cont. Scotistas, Vazquez, Raynaudum, & quosdam alios. Prob. autem rat. D. Th. Antiqui PP. instantibus precibus petebant incarnationis executionem, ut patet ex illo Isaiae

45. *Rorate Cæli desuper , & nubes pluant Justum.* Et cap. 46.
*Utinam disrumperes Cælos, & descenderes ; sed preces illæ ha-
 bebant rationem meriti de congruo respectu Incarnationis,*
*Tum quia congruum erat ut Deus amicos suos sibi obedien-
 tes exaudiret , Tum quia disponebant PP. ad recipiendum
 Christum : ergo. Atque ita factum esse, constat ex illo Psal.*
 11. *Propter miseriam inopum , & gemitum pauperum , nunc
 exurgam , dicit Dominus.* Et ex illo Isaiae 19. *Clamabunt ad
 Dominum à facie tribulantis , & emittet eis Salvatorem , & pro-
 pugnatorem , qui liberet eos.*

92 Secunda pars etiam est D.Th.com. contt Lorcam,
 & nonnullos RR. & eadem rat. constat : Nam Sancti PP.
 meruerunt Incarnationem eō modō, quō eam postulabant;
 at non postulabant eam nudē , sed cum omnibus circum-
 stantiis : ergo. Prob. min.nam quōd petierint, illam fieri ex
 tali carne , & in tali loco , constat ex illo Deut. 33. *Audi
 Domine vocem Judeæ , & ad populum suum introduceum.* Pe-
 tierunt insuper Incarnationis accelerationem, ut liquet ex
 illo Psal. 78. *Citò anticipent nos misericordia tua.* Et Dan. 9.
 ubi apertè dicitur abbreviatum fuisse tempus Messiæ , ob
 Danielis preces. *Ubi nota nomine accelerationis , non in-
 telligi quōd Christus venerit ob merita PP. ante tempus ab
 æterno prædiffinitum: id enim immutabilitati divine repug-
 nat ; sed quōd Deus , qui licet ante prævisa PP. merita de-
 creverit Incarnationem cum omnibus circumstantiis loci , &
 temporis, in executione tamen ab æterno efficaciter decre-
 verit Incarnationem exequendam tali tempore , non modō
 propter beneplacitum suæ voluntatis, sed etiam secundario
 ob merita Patrum prævisa.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

53 Opp.1. cont.2. p.2. præsuppositi: Acceleratio, seu
 circumstantia temporis Incarnationis, per se pertinet ad in-
 carnationis substantiam; pertinet siquidem per se ad individua-
 tionem humanitatis Christi , sicut,& cuiuslibet rei crea-
 tæ : ergo. Pertinet insuper ad bonum commune totius na-
 turæ , quod utique nullus præter illum qui caput est om-
 nium,

nium , mereri potest de condigno , ut author est D. Th. in 3. d. 18. q. 1. a.6. qq. 2. ergo. *Præt.* Beatitudo æterna est præmium condignum meriti Patrum , sicut & nostri : ergo PP. ulterius præmium non meruerunt de condigno , adeoque nec circumstantias temporis & loci Dominicæ Incarnationis ; sicut nec Justi novi Testamenti. *Demum :* Quia nullum apparet in Script. pactum seu promissio Dei , dandi tale præmium , quod sanè ad præmium condignum defideratur : ergo.

94. *Resp. ad 1. N. ant. & prob.* Substantia enim est omnino indepedens à tempore , non modò quoad suam entitatem absoluè sumptam , sed etiam ut individuam , ut nunc ex Philosophia supponimus. *Ad 2. R.* Patres non meruisse Incarnationis accelerationem , secundum quod erat commune omnium bonum , seu secundum quod inde redundabant plura bona illis. Ad formam ergo Dist. maj. Pertinet ad bonum commune , si accipiatur secundum se , C. Quatenus erat præmium meriti PP. N. *Ad 3. N. cons.* Eadem quippe merito correspondere possunt diversa præmia digna , modò ordinata sint , & unum ad aliud conducat , ut patet in gratiæ & charitatis augmento , quod est præmium dignum meriti , quod condigne vitam meremur æternam. Acceleratio autem conducebat ad beatitudinem citius à PP. habendam , sicut & loci circumstantia , ad majorem eorum gloriam. Nos autem ad beatitudinis afferationem , præfatis circumstantiis non indigemus , cùm Incarnatio jam sit facta. *Ad ult. Resp.* tale pactum facile colligi ex illis Script. locis , quibus docemur , disposuisse Deum , quod pæcibus PP. acceleraretur incarnatio , atque nasceretur Christus in Bethleem.

95. *Opp. 2. cont. 1. p. concl.* Principium meriti non cadit sub merito ; sed incarnatio est principium omnis meriti veterū PP: ergo. *Præt.* Res superioris ordinis nequit cadere sub merito , adhuc de cōgruo , respectu actus inferioris ordinis , ideoque nihil ordinis naturæ mereri potest , vel de congruo , quidquam ordinis gratiæ ; sed Incarnatio est superioris ordinis ad omnes actus Sanctorum PP. utpotè illa est ordinis hypostatici , isti verò , gratiæ : ergo. *Tandem :* Inter-

meritum de congruo , & præmium , aliqua saltēm proportio esse debet ; at nulla proportio esse potest inter opera PP. & incarnationem , ut potè illa finiti sunt valoris , hæc vero infinitæ æstimabilitatis : ergo .

96 Ad 1. patet solnt. ex dictis suprà à N. 81. Juxta quæ, Dist. mai. sub ea ratione , quâ est principium meriti, C. sub alia, N. & Dist. min. Incarnatio fuit principium omnis meriti Patrum , ut à Deo prævisa, & intenta, C. ut executa, N. Itaque Christus D. non fuit causa moralis efficiens gratiæ , & meriti Patrum , sed finalis , ut ibi dictum est : Quam solut: multis confirmat ex D. Th. M. Labat hîc dub. 5. s. 5. sed maximè , quia infrà q. 61. a. 3. contra necessitatem Sacramentorum , sic primò objicit : Per Sacra menta Passio Christi hominibus applicatur , & sic passio Christi comparatur ad Sacra menta sicut causa ad effectum; sed effectus non præcedit causam: ergo Sacra menta non debuerunt esse ante Christi adventum. Cui respondet : Quod passio Christi est causa finalis veterum Sacramentorum . . . causa autem finalis non præcedit tempore , sed solum in intentione agentis; & idè non est inconveniens , aliqua Sacra menta fuisse ante Christi passionem. Si autem passio Christi esset etiam causa efficiens meritoria veterum Sacramentorum , & gratiæ , per illam Patribus collatæ ; argumentum maneret insolutum , ut patet , nam solutio solum loquitur de causa finali. Censet ergo D. Th. quod causa efficiens , quantumvis moralis , præcedere debet tempore suum effectum. Sanè dum conferebatur gratia antiquis PP. in actu exercito , non erat causalitas effectiva meritoria Christi in actu exercito , nec in se , nec in virtute aliqua relicta , cum Christus nondum extiterit.

97 Sed dices 1. D. Th. hîc a. 11. negat meruisse veteres PP. de condigno incarnationem , quia ipsa incarnatio est principium meriti illorum ; sed hæc ratio est nulla , si intelligatur de principio meriti in genere causæ finalis; finis enim cadere potest sub merito condigno , ut patet in visione beata : ergo . Secundò : Christus eodem modō fuit causa meriti PP. ac nostri ; sed nostri meriti est causa efficiens : ergo . Tandem: Causa finalis non videtur sufficiens , ut constituantur

Christum antiquorum PP. Redemptorem: ergo eatenus eos suâ morte redemit , quatenus ipsis gratiam , & peccati remissionem , efficienter meruit.

98 Ad 1. inst. R.D.Th. ostendere ibi tribus rationibus, purum hominem non posse condigne mereri Incarnationem; quarum 1.& 3. indifferenter convincunt de omni homine , in quacumque lege constitutô. Secunda verò (quæ est objecta) probat de illis solùm , quibus data est gratia ex meritis Christi in genere causæ efficientis. Potest nihilominus omnibus indifferenter aptari, sic efformata : Principium meriti in toto genere humano, non potest cadere sub meritum condignum puri hominis ; sed Incarnatio est hujusmodi , vel quantum ad omnia (ut in Justis novæ legis) vel quantum ad aliquid, scilicet in intentione, & in genere causæ finalis; ut in Patribus antiquæ legis : ergo. Ad 2. N. maj. Ad 3. R. ex dictis suprà, quod licet Christus antequam existeret , eslet dumtaxat causa finalis gratiæ, & meritorum Patrum ; nihilominus post suum adventum, fuit causa efficien- ter influens in talis gratiæ conservationem , & illius reductionem in actum ultimum, seu felicitatem æternam; adeoque verè fuit illorum Redemptor , atque Salvator. Ex dictis appetet, quām immerito, & audacter traducatur à quibusdam doctrina solutionis nostræ , ut jam appositè notavit D. Godoy disp. 13. num. 52.

99 Ad 2. principale, R. cum Cippullo dist. min. superioris ordinis absolutè, N. intra eundem ordinem supernaturalem, C. & N. cons. Itaque licet ordo hypostaticus , & ordo gratiæ , maximè distent entitativè ; sunt tamen absolute ejusdem ordinis supernaturalis , quia tām unio , quām gratia habitualis , præbent jus ad supernaturalē beatitudinem. Ordo autem naturalis est omnino diversus à supernaturali , & istō inferior : Unde non est eadem ratio de actu naturali bono respectu doni supernaturalis , & de actu supernaturali respectu unionis hypostaticæ. Ad ult. N. min. & prob. Proportio enim meriti congrui ad præmium , non est æqualitatis, sed habitudinis: sicut quæ versatur inter cognitionem , & objectum. Hæc autem habitudo , verè datur inter

inter actus ex gratia habituali procedentes, & unionem hypostaticam.

100 Opp.3. cont. eandem p. Beatissima Virgo Deipara non meruit de congruo Incarnationis substantiam: ergo multò minus Antiqui PP. Prob. ant. ex D.Th. h̄ic ad 3. ubi meritum, quod negat B. Virginis respectu Incarnationis, concedit ipsi respectu Maternitatis; sed respectu Maternitatis solum illi afferit meritum congrui: ergo. *Præt. SS.PP.* non postulabant Incarnationem, quam indubitanter credebat futuram, sed illius dumtaxat accelerationem; ut docet D.Th. in 3.d.4.q.3. a.1.ad 4. ergo. *Ad 1.N.ant.* Ad prob. R.S. Doctorem non facere comparationem ad meritum Maternitatis (quam solum merito congrui, quālibet eximiō, meruit) sed illius excellentissimi sanctitatis gradūs, quō disposita fuit ad Maternitatem præ omnibus; quem quidem condigne promeruit Sacratissima Virgo. *Ad 2.R. S.* Doctorem illud dixisse quasi in aliena sententia, aliam enim exemplò adjecit solutionem, quā oppositum admittit, & quam solam adhibet eidem argumento in 3. ad Anibal.ead. d.q.un. art.4. Mens ergo D.Th. est, quod dici posset ad arg. SS. PP. non petuisse Incarnationem, quam futuram credebant; sed ejus solum accelerationem: sed melius Resp. concedendo petuisse ipsam Incarnationem. Et ad arg. dicitur, &c.

101 Opp. tandem. Quia alioquin fequeretur, Veteres PP. meruisse primam gratiam, suam prædestinationem, imò gratiam, & gloriam Christi: Incarnatio enim est origo, & principium gratiae, Christus est causa prædestinationis PP. gratia demum, & gloria Christi, consequuntur ejus Incarnationem: Quod autem est causa causæ, est causa causati per ipsam; sed consequens est fallsum: ergo. *N.sequel.* Ad prob. omisssis aliis solut. videndis apud Godoy, ubi suprà n. 25. Dilt. ant. Quod est causa causæ, sub ea ratione, & statu in quo causat, est causa causati per ipsam, omitto ant. Quod est causa causæ in diverso statu ab illo in quo causat, N.ant. & cons. Incarnatio enim, non ut executa, sed solum ut prævisa, fuit principium, & causa prædestinationis, & gratiae PP. Itaque Deus intuitu futurorum meritorum Christi,

sti, prædestinavit, & dedit gratiam Patribus, qui postea per bona opera se disponendo, Incarnationem ipsius Christi ut exequendam, de congruo meruerunt. Gratia autem, & gloria Christi, non consequuntur necessariò ejus Incarnationem.

DISPUTATIO IV.

De modo unionis ex parte Personæ assumentis.

POstquam D.Th. explicit q.2. Unionis hypostaticæ seu Incarnationis essentiam, differit q. 3. & 4. de illius extremis, nimirum, de Persona assumente, & natura assumpta. Cujus doctrinam hâc, & seq. disp. comprehendemus. Sit igitur

DUBIUM I.

Utrum Verbum Divinum per se primò, & immediate terminaverit humanitatem ratione subsistentiæ absolutæ, & communis, vel potius relativæ, & personalis?

102 **S**uppositis his, quæ de subsistentia absolutâ, & relativis diximus to. 1. à N. 719. Supp. iterum 1. cum D.Th. hîc q.3. a. 1. & 2. primò, & propriissimè convenire Personæ Divinæ assumere humanitatem; naturæ autem Divinæ, solum secundariò. Ratio est, quia *assumere* importat principium, & terminum actus; dicitur enim *assumere*, quasi *ad se sumere*: persona autem Divina est propriè assumptionis principium, quia actiones sunt suppositorum: est etiam propriè terminus, quia unio facta est in persona. Natura vero divina, est quidem secundum se ipsam,

sam , assumptionis principium , quia ejus virtute assumptio facta est ; sed non est terminus assumptionis , nisi ratione personæ : adeoque secundariō solum dici potest , quod natura assumpsit naturam ad sui personam , quō etiam modō dicitur *incarnata* (juxta Athanas. & Cyrill. à S. Ansemo laudatos) quia carnem assumpsit .

103 Supp. 2. cont. Scot. & quosdam Nominales ex eodem S. Doct. a. 1. ad 2. ita proprium esse Divinæ Personæ , uniri hypotheticè alienæ naturæ , ut neutiquam id alicui personalitati creatæ aut creabili convenire possit : Quælibet enim subsistentia creata limitatur ab illa natura , cujus est terminus , & ex qua resultat , ita ut extra illam naturam non possit terminare : sicut implicant aliquod totum inveniri , & communicari extra suas partes , quia ab illis resultat , specificatur , & limitatur . Sic explicat mentem S. D. J. à S. Th. Unde semel datō , quod subsistentia creata non sit formaliter limitata ad hanc naturam , ita ut extra illam possit suum effectum comunicare , induet modum subsistentiæ infinitæ , & infinitas naturas terminare poterit , ut discurret Cajet . Et in idem pariter redit solut . M. Cipulli (quidquid ipse autumet) dum ait : solam subsistentiam irreceptam , per se subsistentem , adeoque infinitam , (qualis est sola Divina) alienam posse terminare naturam . Id , inquam , solis vocibus differt , ut liquet , à communi Thomist. doctrina , quam rejicit . Vide Marinis hīc c. unicō . Supp. demūm , fide certum esse , solam Personam Verbi incarnatam esse , adeoque solam illam terminare ut quod humanitatem Christi . His suppositis , sit

104 Concl. *Verbum Divinum terminat formaliter , per se primò , immediate , & proximè humanitatem , per solam suam proprietatem , seu subsistentiam relativam .* Est D. Th. hīc a. 1. & 2. alibique , & com. cont. Dur. ponentem in Christo duas uniones ad Verbum , alteram primariam ad subsistentiam absolutam , alteram secundariam ad Personalitatem Verbi . Quæ opinatio variis censuris inurrit à Theol. ut videre est apud Godoy in præsenti . Prob. 1. concl. ex Concilio Tolet. VI. & XI. ubi in confessione fidei dicitur : *Solus Filius sus-*

cepit humanitatem in singularitate personæ; non in unitate Divinæ naturæ, id est, in eo quod est proprium Filii, non quod commune est Trinitati. Item ex VI. Syn. act. 8. ubi dicitur: Solum Verbum esse incarnatum, quia Pater, & Spiritus S. nihil habent in Incarnatione commune, nisi benignissimam voluntatem, quâ nimis, tota Trinitas Incarnationem operata est.

105 Prob. deinde rat. *Tum* quia Verbum formaliter & immediatè terminat Divinitatem per subsistentiam relativam: ergo, & humanitatem, cùm utraque natura uniatur in Christo in eodem termino. *Tum* quia aliàs, & Pater, & Sp. S. essent incarnati, quod est hæreticum. Patet sequela: Id enim quod per se i. convenit uni Personæ, ratione aliquis attributi essentialis, & communis, necessariò convenit tribus Personis. Respondet Durandus, inde solum sequi, Patrem, quâ Deum, fuisse incarnatum, secùs quâ Patrem: Filius autem, etiam quâ Filius, incarnatus est. Sed cont. *Tum*, quia nullus Patrum aut Theologorum auctor est dicere, Patrem, quâ Deum, esse hominem, aut incarnatum: ergo temerarium est ita loqui. *Tum* quia quod convenit Patri v.g. quâ Deo, potest de illo absolutè, & sine addito enuntiari, ut patet in his propositionibus, *Pater creat*, *Pater sanctificat*: ergo & dici posset absolutè, & sine addito, *Pater est incarnatus, & homo*.

106 Ex his rejecta manet sententia Marsili, aliorumque afferentium, Verbum immediatè terminasse humanitatem ratione subsistentiæ absolutæ, non absolutè sumptæ, sed ut modificatae proprietate relativâ Filii. *Tum* quia, cùm subsistentia absoluta sit communis tribus Personis, sicut virtus creandi; non posset Filius per illam, etiam ut sibi appropriatam, & filiatione modificatam, terminare humanitatem, quin istam aliæ Personæ pariter terminarent: sicut non potest creare per virtutem creativam, etiam ut filiatione modificatam, nisi Pater, & Spiritus S. simul creent; consequens autem est hæreticum: ergo. *Tum* quia aliàs posset dici, Patrem v.g. distingui à Filio per essentiam, non absolutè sumptam, sed ut sibi appropriatam; prout sic enim est

prin-

principium generandi , secūs prout in Filio. Tandem tē queretur , quōd sicut Pater non communicat Filio paternitatem , sed solum Deitatem , quia nimirūm tota vis generandi est Deitas , Paternitas verò conditio modificans : ita Filius non communicaret humanitati propriam personalitatem , sed tantū Deitatem , cùm sola hæc foret in Filio tota vis formalis & primaria terminandi humanitatem , personalitas autem Filii , mera conditio ; sed consequens est contra fidem : ergo .

107 Ex dictis inferes , quām immeritō ausi sunt non nulli confundere cum modō rejectis opinionibus communem illam Thomistarum sententiam , afferentium , unum tantū *esse* existentiæ absolutum dari in Deo , & humanitatem Christi habere existentiam incretam , non propriam . Hæc enim sententia est expressa D. Th. sed minimè afferit , existentiam Divinam , aut aliquid absolutum , terminasse formaliter immediate humanitatem , sed mediatè solum , quatenus eadem unio , quæ immediate est ad personam , ex consequenti & mediatè est ad ipsum *esse* , sive existentiam Personæ ; eo quōd in sententia D. Th. existentia est ultimus actus ipsius suppositi , redens ipsum existens . Verbo dicam , nullus Thomistarum dixit , existentiam divinam immediate terminasse aut assumptissim humanitatem , sed assumptam à Persona , reddere existentem . Quod quidem totō cælō distare à Durandi & Marsiliī opinionibus , nemo non videt . Imò potius , ex opinione tribuente humanitati propriam existentiam , aliqua sequi videntur absurdā , in quibus urgendis non vacat immorari . Videri possunt Gonet , & Labat .

S O L V U N T U R A R G U M E N T A .

108 Opp. i. cont. i. supp. *Assumere* importat principium , & terminus actus ; sed quamvis esse terminum assumptionis , conveniat divinitati ratione personæ , esse tamē principium illius , convenit personæ ratione divinitatis : ergo , omnibus pensatis , assumere humanitatem , tamē proprium est Deitatis , quām Personæ . *Resp.* disp. esse , nam supposita , et si operentur virtute & ratione naturæ , per
mo-

modum principii quo; proprie nihilominus operantur ut quod. Natura autem divina non terminat formaliter humanitatem, sed idemptice tantum, & materialiter, quatenus scilicet, non distinguitur suppositaliter a persona, ratione sui formaliter terminante; adeoque assumere humanitatem, proprius personae divinæ, quam divinitati, convenit.

109 Opp. 2. cont. 2. supp. *Tum* quia Origenes, & Tertull. opinati sunt, plures Angelos fuisse, incarnatos, potuisse proinde eorum subsistentiam alienam terminare naturam. Imò Hieron. idem sensisse videtur in cap. 1. Aggæi, ubi postquam retulit, plures existimasse, Malachiam, Aggæum, & Joannem Bap. fuisse Angelos in assumptionis corporibus, subdit: *Non mirum, hoc de Angelis credi, cum pro salute nostra corpus humanum Filius Dei assumperit.* Præt. Terminatio alienæ naturæ non est effectus infinitus: ergo non exigit infinitam virtutem in subsistentia, illum præstante. Præt. Potest idem corpus esse divinitus in diversis locis, idem accidens in diversis subjectis, & eadem forma in diversis materiis: ergo. Tandem: *Quamvis subsistentia terminare valens de potentia ordinaria plures naturas, foret infinita, secus id potens solum de potentia absoluta: ergo.*

110 Resp. ad 1. Tertullianum inclinasse quidem in illam opinionem, sed in ea astruenda non fuisse constantem, sed valde anticipitem, ut plures observant. De Origene vero nihil curandum, potuir enim in hoc, sicut in plurimis aliis, errare. Hieron. autem, in aliena, quam refert, locutus est sententia, ut liquet ex contextu. Ad 2. Dist. ant. Non est effectus infinitus entitativè, C. In ratione effectus formaliter, N. ut autem ex effectu infinitas arguatur in causa, non sufficit finitas entitativa effectus, ut patet in termino creationis. Ad 2. R. permisso ant. disp. esse, quod adducta in ant. sunt formæ aut naturæ, habentes suam speciem & determinationem ex se ipsis, quam proinde non amittunt dum ad alia extenduntur, sed variantur solum termini sibi naturaliter, non essentialiter, præfixi: Subsistentia vero est essentialiter terminus naturæ, adeoque, si ad aliam naturam extenderetur, suam specificationem amitteret, quod planè re-

repugnat. *Ad ult.* N. ant. quia juxta communem Philosoph. doctrinam, in causa formalis, & quasi formalis (qualis est subsistentia) non valet distinctio potentiae ordinariæ, & extraordinariæ; effectus enim formalis est ipsa forma communicata ; adeoque quantumcumque à superiori causa applicetur , nihil efficiet , nisi dare se ipsam : in quo differt à causa efficiente , effectum à se distinctum producente : unde si mutetur , vel augeatur , non erit ipsa , sed alia.

111 Opp.3. cont.concl. Ex quo ratio formalis, quâ Pater generat Filium , sit quid absolutum, nempè Deitas, non sequitur quòd generare sit commune tribus Personis ; quia Deitas non est principium generationis , nisi ut modificata per Paternitatem : ergo licet ratio formalis terminandi humanitatem sit quid absolutum , hōc ipso tamen , quòd modificetur per filiationem , non sequitur , omnes tres Personas fuisse incarnates , sed solum Filium. *Præt.* Deitas communicatur Filio , non communicatâ eidem Paternitate : ergo & poterit subsistentia absoluta & communis immediate uniri humanitati, eidem non unitis Personalitatibus Patris, & Spiritus S. adeoque ruit præcipua ratio nostræ sententiæ. *Ad 1. R. disp.* esse dupl. Prima, quia generatio non supponit tres personas Trinitatis, cùm sit productio unius ; unde nequit competere tribus Personis, sed soli ingenitæ : *Terminare* autem naturam creatam , supponit tres personas, cùm sit opus ad extra ; unde si fiat per se primò ratione aliquis absoluti , erit commune Tribus Personis: non secūs ac creatio , & reliquæ actiones ad extrâ.

112 Secunda disp. est , quia generatio est actio, relatio autem nō potest esse activa; unde nequit per se primò competere Patri ratione Paternitatis, quæ solum potest esse conditio modificans Deitatem , quæ est principium quo Pater generat & producit sibi simile. Atverò terminatio naturæ non est actio , unde per se primò convenire debet ratione subsistentiæ relativæ, quæ de se habet rationem puri termini. *Ad 2. R. disp.* esse , quia inter personalitates Divinas datur opportunitas relativæ , ratione cujus communicari non possunt personæ sibi oppositæ , quamvis ei natura Divina

com-

communicetur; Atvero inter humanitatem & Personalitatem Patris, vel Spiritus S. nulla est oppositio relativa, quæ impedit, quominus unitâ & communicatâ humanitati subsistentiâ absolutâ, Personalitates Patris & Spiritus S. cum ea realiter identificatæ, ei communicentur & uniantur, mediâtè saltem, & secundariò. Aliud Durandi argumentum, quò probare nititur, subsistentiam relativam non posse creatam supplere, quia hæc importat perfectionem, secùs illa; solutum habes tom. I. N. 702. Reliqua verò, quibus excludere conatur subsistentias relatives, ex ibidem dictis à N. 719. confutata manent.

113 Opp. tandem cont. sent. Thomist. afferentium, existentiam absolutam terminasse secundariò & mediâtè humanitatem Christi, inde enim sequeretur, Patrem & Spiritum S. mediâtè pariter illam terminassè, & incarnatos esse; quod est absurdum. Prob. sequela: Deitas dicitur secundariò incarnata, quia identificatur cum Filio, qui est incarnatus, sed Pater & Sp. S. identificantur cum existentia absoluta, quam dicimus secundariò incarnatam: ergo. N. sequel. Ad prob. N. conf. ideo enim dicitur Deitas secundariò terminans humanitatem, & incarnata; quia identificatur cum termino primario immediato & formali Incarnationis, scilicet Filiò, à quo Pater & Spir. S. realiter distinguuntur: unde quamvis realiter identificantur cum essentia & existentia Dei, non possunt dici, nè secundariò & mediâtè quidem, terminare humanitatem, & incarnati; nec enim essentia, aut existentia terminat immediate, aut per se primò humanitatem.

114 Inquires: An potuerit humanitas assumi ad subsistentiam absolutam & communem tribus Personis? Ante resol. supp. cum D. Th. híc a. 3. quòd Deus in hypothesi impossibili, quòd esset sine personalitatibus, posset alienam assumere naturam, & illam constituere personam: quia tunc subsistencia absoluta, & esset infinita, & personalitas: in quo omnes convenient. An autem in hoc solo sensu loquatur S. D. in laudato articulo? Affirmant Cajet. Marinis, aliique. Alii autem negant. Hoc supp. R. communiter affirma-

mativè cont. Henricum, Capreol. Lorcum, Beccanum, & Vazquez. Et ratio est manifesta, nam subsistentia absoluta, quia infinita, habet illimitatam vim in terminando; non secùs ac relativæ: In eo autem casu (ut objectionibus occurramus) natura assumpta ad subsistentiam absolutam, non esset per hoc formaliter *persona*, cùm adhuc posset communicari tribus Personis: ex consequenti tamen redderetur *incommunicabilis*, & *Persona*, beneficî triploris subsistentiæ relativæ, cui mediate & secundariò conjuncta esset, ob identitatem subsistentiæ absolutæ cum relativis. Et sic intelligendum est id quod diximus tom. I, N. 726.

DUBIUM II.

Utrum plures Personæ Divinæ eandem possint assumere humanitatem, & eadem plures? Et an unus esset & diceretur simpliciter seu absolute homo in utraque hypothesi?

115 **S**upp. I. ut certum apud omnes, id quod docet D. Th. a. 5. nimirùm, quamlibet Personam Divinam potuisse humanitatem assumere, sicut assumpsit Filius. Cuilibet enim convenit omnipotentia, quæ est principium assumptionis, & quælibet est Persona, quæ est assumptionis terminus. Nec ulla sequeretur divinarum confusio Personarum, si incarnatō Patre, vel Sp. S. transferretur ad illos nomen filiationis temporalis; hæc enim in Christo non constituit Personam ipsius, sed consequitur nativitatem temporalem, ut ait S. D. ad I. Nec tunc Pater esset aut dici posset Filius Dei naturalis per gratiā unionis; Christus enim ut subsistens in humanitate, est Filius naturalis Dei ratione filiationis æternæ, unitæ in tempore humanitati.

116 Patre autem incarnatō, recipemus filiationem adoptivam ab eo, ut à principio filiationis naturalis, & à Spiritu S. ut à nexu communi Patris, & Filii: *Filiatio enim adoptiva est quadam participata similitudo filiationis naturalis,* *sed*

*sed sit in nobis appropriate à Patre , qui est principium natura-
lis filiationis: & per donum Spiritus S. qui est amor Patris , & Fi-
lii, secundū illud ad Gal. 4. Misit Deus Spiritum Filii sui in corda
vestra clamantem , Abba Pater , ut ait S. D. ad 2. Pater de-
mūn non diceretur tunc missus , quia non est ab alio ; dice-
retur tamen genitus nativitate temporali , quod non exclu-
deret ejus innascibilitatem , quæ nempè competit illi secun-
dum nativitatem æternam , ut D.Th. docet ad 3. Supp. 2.
ex dub. præced. posse tres divinas Personas eandem simul
terminare mediatae humanitatem ratione subsistentiæ abso-
lutæ, casu quô hæc illam immediatè terminaret. His supp.*

117 Concl. est affirm. Et quoàd 1. & 2. p. expressa D. Th. hîc a.6. & 7. & comm. cont. Scotist. & Card. de Lugo. Quoàd ad 3. verò est etiam D.Th. a.6. ad 1.& a.7.ad 2. Et quidem in prima hypothesi, est ferè com. cont. Durandum, afferentem , nec fore tunc plures homines , nec unum simpliciter; sed utrumque secundum quid, & cont. Cajet. & Me-
dinam tenentes , non fore tunc unum simpliciter hominem, sed plures. In 2. verò est comm. Thomist. quibus plures So-
cietas, & nonnulli Scotistæ subscribunt. Prob. autē concl.
quoàd 1.p. quia talis assumptio nullam involvit contradic-
tionem, ut constabìt ex solut. argum. & constat insuper rat.
D. Th. a. 6. nec enim repugnat ex parte Personarum assu-
mentium, in quibus æqualis est virtus assumendi, & compos-
sibilitas subsistendi in eadem natura, cùm de facto subsistant
in divina : neque ex parte naturæ assumptibilis , in qua est
potentia obedientialis quæ cùt æquè capax trium Personar-
um , ac unius : ergo.

118 Prob. 2.p. rat. D.Th. a.7. quia Persona Divina est
infinita tam ratione omnipotentiæ , quæ est principium
assumptionis, quam ratione personalitatis , quæ est assumptionis
terminus : ergo à nulla natura ita coarctari aut
limitari potest , quin possit alias , & alias in infinitum assu-
mere. Prob. 3.p. & quidem in prima hypothesi, ex D.Th.
a.6. ad 1.dicente: quod tunc verum esset dicere, quod tres Per-
sonæ essent unus homo, propter eandem naturam humanam. Sicut.
nunc verum est dicere , quod tres Personæ sunt unus Deus , prop-
ter

ter eandem Divinam naturam: ergo sicut nunc tres Personæ sunt unns simpliciter, & absolutè Deus, propter unam Deitatem; foret tunc unus absolutè homo, propter unam humanitatem: Corruit ergo expositio Cajet. & Medinæ. Nec obstat, quòd D. Th. extemplo subjungat, neutiquàm inde sequi, quòd essent tunc unus simpliciter. Id enim verissimum est, sed minimè præcedentibus verbis contradicit.

119 Quia ut docet. I.p.q.31. a.2. ad 4. Licet tres Personæ dicantur unum in genere neutro, non tamen dicuntur unus masculinè simpliciter, sed solùm cum addito: sicut quòd sint unus Deus, & sic simpliciter unus Deus dicuntur, licet non dicantur unus, remotò ly Deus. Eòdem modò hic docet, quòd tres Personæ, assumptâ unâ humanitate, non dicerentur unus simpliciter, sed cum addito optimè dicerentur unus homo simpliciter. Itaque dùm dicit, quòd tres Personæ non essent tunc unus simpliciter, verùm dicit, quia ly unus additur personis solitariè, & appellat super ipsas, quæ sunt tres. Quando verò ly unus additur termino substantivo significanti naturam, dùm dicitur, essent unus homo, propositio est vera, quia applicat supra naturam, seu humanitatem, quæ est una. Ideoque nunquàm docet D. Th. quòd tunc non essent unus homo simpliciter, sed solùm, quòd non essent unus simpliciter. Sic Naz. J. à S. Th. Marinis, Godoy, & alii frequenter. Vide tom. I. N. 738.

120 In secunda etiam hypothesi, traditur à D. Th. a.7. ad 2. dicente: Si Persona divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi, diceretur unus homo habens duas naturas humanas: sicut homo duabus indutus vestibus, non dicitur duo vestiti, sed unus vestitus duobus indumentis. Unde aperte corrigit id quod dixerat in 3.d. I.q.2. a.5. ad 2. cuius hic etiam meminit. Prob. eadem 3. p. concl. in utraque hypothesi, ex regula illa, traditâ t. I. N. 733. quòd unitatem concreti substantivi (quale est homo) sufficit, vel unitas suppositi, vel formæ, quam significat: ut autem pluraliter prædicetur, requiritur multiplicatio utriusque; sed in primo casu esset unica forma, seu natura, licet forent plura supposita; & in secundo esset unicum suppositum, licet forent plures for-

mæ seu naturæ: ergo in utroque unus eslet homo absolutè, & simpliciter, prout *simpliciter* contraponitur ad *secundum quid*, non autem prout idem valet, ac *omnibus modis*.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

121 Opp. i. cont. i. concl. illud Anselmi lib. 2. cur Deus homo c. 9. *Impossibile est*, Deō incarnatō secundūm unamquamlibet personarum, illum secundūm aliam quoque personam incarnari; sed non loquitur de incarnatione alterius personæ per unionem cum alia humanitate, id enim est planè possibile, juxta omnes: ergo. *Resp.* ex D. Th. hīc a. 6. in corp. Anselmum solum velle, non posse plures Personas divinas unam naturam assumere in unius personæ unitatem, ita nimirūm, quod ex illis simul cum natura unitis, una resultaret persona: non autem, quod absolutè non possint eandem simul assumere naturam. Solutio colligitur evidenter:

122 Tum ex ratione, quā Ansel. dictum suum firmat. *Quia* (inquit) hic Deus assumpit hominem, non ita, quod natura Dei, & hominis una sit; sed ut Persona Dei, & hominis una sit, quod non nisi in una Persona Dei esse potest: nam diversas personas, unam & eandem personam esse cum uno eodemque homine, nequit intelligi. Tum ex ejus scopo, qui erat probare, Patrem, & Spiritum S. non assumpisse humanitatem, eò quod in Christo sit unica persona, & una persona non possit resultare ex natura, pluribus personalitatibus terminatā. Abeat ergo Lorca, laudatus ab Henno, dicens: *Quamvis Anselmus à diversis diversò modō exponatur, mihi videtur nullam admittere explicationem; & planè id docere.*

123 Opp. 2. cont. eandem. Assumptio terminatur ad unitatem personæ, ut dictum est: ergo cùm tres Personæ non sint una, non possunt eandem humanitatem assumere. *Præt.* In illa hypothesi daretur confusio personarum: cùm enim tunc hic homo esse Pater, Filius, & Spiritus S. quidquid diceretur de hoc homine, diceretur de tribus Personis, & econverso: sicut modō quidquid dicitur de Filio Dei, dicitur de Filio hominis, & econtrà: ergo & Filius diceretur Pater, generans, ingenitus, & econverso; nam benè sequitur: *Hic homo est Pater, & hic homo est Filius: ergo Filius est Pater.*

Ad

124 Ad 1. Resp. ex D.Th. a.6. ad 2. quòd tunc humanitas non esset assumpta in unitatem unius Personæ, sed in unitatem singularem Personarum, sicut natura divina habet naturalem unitatem cum singulis Personis. Ad 2. R. cum eodem ibidem ad 3. N. ant. Ad Prob. Dist. ant. quidquid diceretur de hoc homine, ratione naturæ divinæ, vel humanæ, C. Ratione propriæ personalitatis, N. In illa igitur hypothesi, de qualibet persona possent prædicari ea, quæ sunt naturæ humanæ, & ea, quæ sunt divinæ: non autem, ea, quæ uni personæ convenient ratione propriæ personalitatis, possent alteri tribui, ob remanentem personarum distinctionem. Syllogismus verò ille expositorius est fallax, non secùs ac ille; *Hic Deus est Pater; Hic Deus est Filius: ergo Filius est Pater:* Quia medium utriusque non est singulare, ut erat necessarium, sed æquivalet termino communī; nec distribuitur, cùm non omne quod est *hic homo*, vel *hic Deus*, sit Pater. Et in majori supponit determinatè pro una Persona, in minori pro altera: adeoque est fallacia figuræ dictionis, vel accidentis; & proceditur à non distributo, seu ex puris particularibus, & in quatuor terminis. Videbis Cippulum; & tom. 1. N. 678.

125 Opp. 3. ad idem, præcipuum Scoti fund. Implicat unum, & idem à pluribus ejusdem generis adæquatè penderet, quia à quolibet penderet, & non penderet: ergo & quòd humanitas, adæquatè terminata, & pendens ab una Persona divina, ab alia terminetur, aut pendeat. Præt. Humanitas terminata per propriam subsistentiam, nequit aliâ subsistentiâ, nè quidem divinâ, terminari, juxta D.Th. q. seq. a. 2. ergo à fortiori humanitas semel terminata unâ personalitate divinâ, nequibit ab aliis terminari; potius enim subsistentia divina, quam creata, explet humanitatis capacitatem. Tandem: Personalitas creata nequit diversas simul terminare naturas, juxta dicta N. 103. ergo nequit pariter eadem natura creata diversis simul personalitatibus terminari; sic enim se habet natura creata ad terminari, sicut subsistentia creata ad terminare.

126 Ad 1. omissis variis solut. R. cum Capr. Cajet. Medi-

dina, & pluribus aliis, Dist. ant. dependentiâ causali, & strictâ, C. purè terminativâ, & latâ, N. ant. & cons. Hâc enim dependentiâ potest unum, & idem à pluribus adæquate adæquatione intensivâ pendere, licet non adæquatione extensivâ: Eadem enim relatio paternitatis adæquate intensivè terminata à primo filio, terminatur ad alios, si adveniant: adeòque non terminatur à primo filio adæquate extensivè. Et idem est in aliis relationibus, ut æqualitate, similitudine, &c. ibi enim non est dependentia stricta, & causalis, sed lata, & in ratione termini. Natura autem creata, ab alieno supposito terminata, non pendet ab illo dependentiâ causali, sed purè terminativâ. Quapropter licet unita uni ex diversis personis, terminetur ab illa adæquate intensivè, non tamen extensivè; adeòque potest ab aliis, eandem virtutem habentibus, adæquate intensivè terminari: quemadmodum una personalitas divina simul cum aliis terminat naturam infinitam, in qua illa finita continetur.

127 Discremen autem inter dependentiam causalem, & purè terminativam, consistit, in eo, juxta Cajet. quod dependentia causalis ponit in causato imperfectionem, & indigentiam, quæ si semel ablata est ab una causa, implicat quod remaneat indigens aliâ causâ. Ceterum dependentia non causalis potest sine imperfectione, & indigentia inventari, ut patet in relativis, quæ in divinis sine omni imperfectione, & indigentia inveniuntur: Quod ergo posse Pater, v.g. assumere humanitatem, assumptam à Filio, non provenit ex eo quod humanitas remaneat imperfecta personaliter, sed ex conditione Personæ Patris, hoc est, ex infinite suæ sufficientiæ. Ad 2. respondebimus infra N. 141. Ad ult. R. disp. esse, quia requiritur infinita perfectio in personalitate, ut alienam possit terminare naturam, ut ibidem ostensum est; secus in natura, ut possit à pluribus personalitatibus terminari, imò potius inde arguitur in illa imperfectione, & potentialitas, cum nullam personalitatibus tribuat perfectionem, sed illam ab eis recipiat.

128 Opp. 4. cont. 2. p. concl. quia ex illa sequeretur primò, eandem personam esse simul rationalem, & irrationalē,

lem, si nimis rūm tales naturas assumeret. *Sacundò*, quod natura prius assumpta, assumeret mediatè posterius advenientem, sicut de facto divinitas assumpsit mediatè Christi humanitatem, immediatè à Verbo terminatam; atque adeò inter duas illas naturas daretur communicatio idiomatum prædicatione per se, sicut de facto datur inter duas Christi naturas, quia invicem uniuntur. *Sequeretur* demum, plures illas naturas sese compenetrari, non secùs ac duo corpora, in eodem loco existentia. *Præt.* Pater Aëternus non potest generare nisi unicum Filium, licet habeat vim generandi infinitam: ergo ex quo Persona divina habeat vim terminandi infinitam, non sequitur, quod possit terminare plures naturas. *Quòdfi* dicas, vim generandi adæquate compleri per unicum filium infinitum, secùs vim terminandi per unicam naturam creatam finitam; *contra est*: Inde enim sequitur, Personam divinam, nè unam quidem posse terminare naturam creatam, quia ejus vis infinita terminandi, adæquate completur per terminationem naturæ divinæ, pariter infinitæ.

127 Ad 1. R. nullum esse inconveniens, eandem personam esse simul rationalem, & irrationalem, ratione diversarum naturarum. Ad 2. N. sequel. natura enim divina ideo assumpsit mediatè humanitatem Christi, quia identificatur cum Persona Verbi, terminante immediatè humanitatem: nulla autem natura creata potest cum Verbo identificari, adeòque nec cum alia creata invicem mediatè uniiri; quod tamen necessarium foret, ut inter eas in concreto significatas daretur communicatio idiomatum prædicatione per se, qualis datur inter duas Christi naturas, quia invicem mediatè & secundiò uniuntur, ob identitatem deitatis cum Verbo. Solùm ergo daretur inter illas naturas communicatio idiomatum prædicatione per accidens, ad quam sufficit convenientia in uno eodemque supposito; verè etenim dicitur prædicatione per accidens *album est dulce*, quia albedo, & dulcedo in eodem subiecto, v.g. lacte, vel saccaro, per accidens uniuntur.

130 Supposito ergo, quod Verbum assumeret naturam
Ferrer Epit. Tom. IV. E hu-

humanam, & Angelicam, verum esset dicere prædicatione per accidens: *Homo est Angelus*, & econversò *Angelus est homo*, & hæc est mens D. Th. in 3. d. 1. q. 2. a. 5. ad 2. ubi ait, quòd si Filius Dei assumeret duas humanitates, & secundum unam vocaretur Jesus, & secundum alteram Petrus, hæc esset vera propositio: *Petrus est Jesus*. Vide Naz. & Cippulum. *Ad 3. N.* sequel. Persona enim divina ratione suæ immensitatis, posset assumere naturam creatam existentem Romæ, & alteram existentem Valentia. *Ad ult. R.* solutionem datam esse optimam. Ad replicam N. sequel. **Ad prob. R.** compleri quidem adæquate ad intrà, propter naturæ infinitatem; non tamen ad extrà propter naturæ creatæ limitationem, quemadmodùm licet Dei amor adæquate satietur ad intrà per objectum infinitè amabile, non tamen ad extrà, ob finitam bonitatem cuiuslibet objecti creati.

131 Opp. 5. cont. 3. p. in prima hypothesi ex M. Medina: *Homo idem est ac habens humanitatem*; sed in ea hypothesi essent tres habentes humanitatem simpliciter: ergo simpliciter essent tres homines. *Præt.* Si essent unus homo simpliciter: ergo vel iste, demonstratō Patre, & tunc Filius esset Pater; vel iste, demonstratō Filiō, & tunc Pater esset Filius; quorum utrumque est hæreticum. *Deinde:* *Homo idem est ac suppositum humanum*, vel subsistens in natura humana; sed tunc non esset unum simpliciter humanum suppositum, nec unum subsistens in humanitate, sed plura supposita humana, &c. ergo. *Postremo:* Si per impossibile Angelus, & Deus in eadem subsisterent humanitate, non essent simpliciter unus homo, cùm Angelus sit creature: ergo.

132 *Ad 1. Dist. maj.* sunt idem in supponendo, C. in modo significandi, N. *Homo* enim significat substantivè adeoque ad ejus pluralitatem requiritur pluralitas tam formæ, quam suppositi. Ly autem *habens humanitatem* significat adjectivè, ad cuius proinde pluralitatem sola suppositi pluralitas desideratur juxta regulam traditam t. 1. N. 733. & instatur apertè arg. in hoc syllog. *Deus est idem quod habens dei-*

deitatem; sed tres Personæ sunt tres habentes Deitatem: ergo sunt tres Dii. Cui sic occurrit S.D. i.p. q.39. a. 3. ad 1. Dicendum (inquit) quod licet Deus significet habentem deitatem; est tamen alius modus significandi; nam Deus dicitur substantivè, sed habens deitatem, dicitur adjectivè: unde licet sint tres habentes deitatem, non tamen sequitur quod sint tres Dii. Ad 2. R. consequentiam esse nullam, non secùs ac istam: Pater, & Filius sunt unus Deus: ergo vel iste, demonstratò Patre, vel iste demonstratò Filiò: Arguitur enim utrobiqùè à superiori ad inferius affirmativè, quia Deus, et si unus, est realiter communis per identitatem tribus Personis, quibus, & homo esset realiter communis per assumptionem in ea hypothesi.

133 Ad 3. R. Dist. maj. sicut ad 1. & quidem *Persona divina*, & Deus pro eodem possunt supponere; quia tamen *Persona divina* personalitatem significat de formalí, & dantur tres personalitates, ideo dantur in Deo tres Personæ, secùs plures Dii, quia una est Deitas, quam Deus de formalí significat, ut docet D. T. locò laudatò ad 4. Pariter ergo, quamvis *homo*, & *suppositum humanum* sint idem in supponendo; quia tamen significatum formale *suppositi humani* est personalitas, significatum verò *hominis* est humanitas; & in ea hypothesi essent plures personalitates, & una humanitas, tria essent supposita humana, sed unus homo. Ad ult. N. ant. Tunc enim esset pariter unus simpliciter homo propter naturæ unitatem, quam de formalí significat *homo*. Unde nihil refert quod Angelus, in humanitate subsistens, foret creatura.

134 Opp. tandem cont. eandem p. in 2. hypothesi. Sequeretur enim ex illa, quod si *Persona divina* assumeret simul cum humanitate naturam Leonis, v.g. unicum fore animal; sed hoc est falsum, unum enim, & idem animal nequit ad diversas species pertinere, cum istæ per oppositas constituantur differentias: ergo. N. min. Ad prob. Dist. ant. si sit unum, tamen unitate naturæ, quam suppositi, C. si solius unitate suppositi, N. Quando enim animal, quod est unum unitate suppositi, habet diversas naturas, tunc ratione unius constituitur in una specie, & ratione alterius con-

stituitur in altera; quia specierum diversitas ex sola natura-
rum diversitate pensatur.

135 Inquires: An convenientius fuerit Personam Filii
incarnari, quam aliae? Resp. affirmativè. Cujus plures assignan-
turi à PP. congruentiae. Tum quia decuit, hominem
lapsum reparari per Verbum, per quod ut per exemplar
conditus fuit; per eandem quippe ideam, quam artifex opus
producit, collapsum réparat. Tum qua congruum fuit, ut
per Filium Dei naturalem, adoptionem filiorum ejus recipere-
mus. Tum quia homo ex inordinato scientiae appetitu
lapsus, congruentissimè per eum, qui nobis sapientia factus
est, ad Deum reducendus erat. Demùm, quia secunda
Persona est Filius, Verbum, Imago, & medium divinarum
Personarum: Conveniens autem fuit: Filium incarnari, ut
Patrem pro nobis oraret, illique satisfaceret: Congruum
quoquè ut Verbum nobiscum loqueretur, & secreta cælestia
revelaret: Decuit etiam, ut per Imaginem Patris, deleta in
nobis per peccatum imago Dei reformatur: Decentissimum
demùm fuit, ut Persona medium tenens inter divinas, fieret
mediator inter Deum, & homines. Videatur D.Th. hīc a.
8. & in 3. dist. 2.

DISPUTATIO V.

De modo unionis ex parte naturæ assump- tæ, vel assumptibilis.

PErgit Ang. D. considerare q.4. unionem ex parte extre-
mi assumpti, & a. 1. resolvit, humanam naturam fuisse
magis assumptibilem à Verbo, quam quælibet alia: In re-
liquis verò docet, Verbum non assumpsisse humanam per-
sonam, nec hominem, neque humanitatem ab omnibus
abstractam individuis, nec in suis omnibus existentem; be-
nè tamen humanam naturam de stirpe, & genere Adæ.
Quæst. 5. & 6. differit de partibus humanitatis assumptis, &
de-

de assumptionis ordine. Ad quorum elucidationem , sit

D U B I U M I.

Utrum repugnet de potentia absoluta assumi naturam propria subsistentia terminatam?

136 **S**upp. 1. omnem naturam creatam completam, seu intellectualem , seu irrationalem , esse assumptibilem à Verbo : Nec enim id repugnat ex parte divinæ Personæ , quæ habet vim infinitam terminandi : neque ex parte creaturæ, quæ cum distinguitur à sua subsistentia, potest eâ privari dūm habetur , vel impediri antequām habeatur, & à divina Persona præveniri: Nec demùm ex ignobilitate naturæ cujusvis , ex aequo enim distat omnis creatura à Deo , ut appositi dixit Greg. Nyss. contra effutientes, indecens esse Deo assumere corpus terrestre , adeoque cælesti debuisse assumi. Et sanè , neutiquām indecens fuit, quod in triduo mortis Christi , manserit Verbum cadaveri unitū, suam ei personalitatē communicans sub ratione hypostasis, tametsi non sub ratione personalitatis , cuius sola natura intellectualis est capax. *Discat nihilominus Theologus ex D.Th.& Cajet.* hīc a.1.ad 1. qualiter imperitis de his loqui debeat: ut sicut dicitur aliquis morbus incurabilis, si talis ex principiis subjecti judicetur , quamvis à Deo curari possit: ita omnes alias naturas , præter humanam , inassumptibiles dicat , cùm tales sint attentā earum conditione.

137 Angelica enim pœnitentiæ impotens , brutalis , & insensibilis amoris incapax est. Et satius est sic loqui, quampias aures offendere. Unde si contingat discurrere in hypothesi quod Deus assumpserit naturam Leoninam , negligenda potius est dialectica severitas , quam Christiana pietas , & simplicitas offendenda , adeoque tunc neganda absolute est ista propositio : *Deus est Leo* , sed ista concedenda : *Deus assumpit naturam Leonis*. Videatur Marinis hīc cap. unicō. Supp. 2. materiam primam, præcisè sumptam, esse inassumpti-

tibilem ; prout sic enim , æquè illi repugnat subsistere , ac existeret : benè verò formam substantialem à materia separabilem , quia hæc (quamvis materialis sit) subsistere potest propriâ subsistentiâ , quam proinde supplere potest, utpotè illam eminenter continens. Et quidem de forma rationali fide certum est , assumi posse, nam anima Christi in triduo mortis mansit unita Verbo.

138 Supp. 3. partes integrales à toto separatas , ut caput , brachium , &c. assumi posse à Verbo , quia per separationem acquirunt subsistentiam propriam , quæ à divina , illam eminenter continente , suppleri potest. Tunc autem non posset Deus appellari *caput* , &c. nec econtrà ; nam communicatio idiomati datur inter solas naturas substantiales completas : Sed solùm potest dici *habens caput* : sicut in triduo mortis non potuit Deus dici *anima* , sed solùm *habens animam*. Supp. 4. accidentia assumi neutiquam posse ad subsistentiam divinam , subsistentia enim est terminus ultimus , & complementum solius substantiae. Probabile tamen est , illa assumi posse ad divinam existentiam ; cum enim existentia accidentis realiter ab ejus essentia distingatur , & contineatur eminenter in existentia divina , potest ab ista suppleri. Supp. demùm quòd cum de ratione personæ sit incomunicabilitas alteri tanquam supposito ; implicant personam aliquam à persona divina assumi : Unde quæstio solùm est : An , salvâ remanente naturâ in propria persona , possit ipsa natura individua à Verbo assumi , naturali subsistentiâ remanente , non tamen assumptâ ; ita ut Verbum non assumat humanam subsistentiam , sed tantum naturam , propriâ tamen subsistentiâ terminatam? His præsuppositis.

139 Concl. est neg. & com. cont. nonnullos RR. & prob. 1. ex CC. & PP. sæpè urgentibus contra Nestorium hanc conseq. Christi humanitas assumpta est à divino Verbo: ergo caret propriâ personalitate ; sed talis illatio esset nulla , si humanitas , retentâ suâ personalitate , assumi posset à Verbo , ut liquet: ergo. Prob. deinde ex notione propriæ subsistentiæ. Hujus enim est reddere naturam subsistentem in se,

se, & non in alio tanquam supposito : unde subsistere propriâ subsistentiâ , est sistere in ea , & per eam reddi incommunicabilem alteri ut supposito ; ergo subsistentia propria dicit essentialiter negationem subsistendi in alieno supposito: erga natura habens propriam, si eâ retentâ, assumeretur ad alienam , subsisteret in se , utpotè haberet subsistentiam propriam, & non subsisteret in se , hoc ipso quod ad aliud transfiret suppositum. Hæc est ratio Cajetani , communî calculò probata ; nam etsi nonnulli eam impugnant , in illam tandem recidunt , ut consideranti patebit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

140 Opp. 1. cont. supp. D. Th. q. 7. de pot. a. 4. & 4. Cont. Gent. c. 55. alibique frequenter, asserentem , *in Angelo* , *quia immaterialis est*, *non distingui naturam & personam*: ergo natura Angelica inassumptibilis est. Resp. commun. solut. loqui ibi S.D. de persona , seu supposito radicaliter , seu originaliter sumptō , pro ipsis scilicet principiis individuantibus, à quibus oritur subsistentia, quæ est terminus complens naturam singularem , & quæ in Angelis non distinguntur à natura , cùm formæ separatæ se ipsis individuentur , in via D. Th. Loquens autem de supposito formaliter consideratō, perpetuò docet , illud realiter distingui à natura , etiam in Angelis , solique Deo convenire , ut in eo non differant quod est , & quod est , sive suppositum , & natura. Videatur 1. P. q. 50. a. 2. ad 3. & q. 75. a. 5. ad 4. & quodl. 2. q. 2. a. 4. cuius verba dedimus t. 1. N. 809. Et sanè cùm loco ex Cont. Gent. objecto asserat , convenientius fuisse , naturam humanam assumi , quam Angelicam ; utrumque possibile judicavit. Convenientius quidem fuit , naturam humanam assumi, utpotè distinctam à supposito, etiam radicaliter sumpto: ubi autem major est distinctio , convenientior est ratio assumendi.

141 Opp. 2. cont. concl. Potest eadem natura à tribus divinis Personis seu suppositis assumi , sicut de facto divina natura triplici subsistentiâ terminatur: ergo & poterit natura creata , propriâ subsistentiâ retentâ, ad divinam assumi. R. disp. esse , quia ex pluribus subsistentiis alienis unicus sequitur

tur duntaxat effectus, scilicet, subsistere in alio, licet diversis modis: sicut etiam ex pluribus subsistentiis propriis sequitur iste solus effectus, nempe, subsistere in se, licet diversis modis. At verò ex subsistentia propria & aliena sequitur iste duplex effectus repugnans, nimirum, subsistere in se, non in alio (hic enim est effectus subsistentiae propriae) & subsistere in alio & non in se, quod est effectus alienae.

142 Ex dictis inferes, hanc propositionem, *Deus assumpit hominem*, in rigore & proprietate sermonis, non esse veram; nam ly *homo* est terminus concretus, significans humanitatem ut subsistentem in supposito; sed Verbum divinum non assumpit humanitatem subsistentem, alioquin assumpsisset personam, quod est haereticum: ergo. Et haec est communis sententia Scholasticorum, quos reprehendere ausus est Grammaticus ille Ludovicus Vives, cui propterea illud à Theologis jure reponitur. *Ne futor ultra crepidam*. Dùm autem PP. & CC. propositionem illam usurpant, piè exponendum est, ita ut dicatur homo assumptus, *quia ejus natura assumpta est*, & quia *assumptio terminata est ad hoc*, ut *Filius Dei sit homo*, ut loquitur D. Th. a. 3. ad 1. Nec mirum, veteres PP. sic locutos, antiquitus enim vox *homo* indifferenter significabat naturam humanam, & personam hominis, ut testatur Joannes Maxentius dialogo 1. contra Nestorianos: *Homo* (inquit) *sicut personam, ita significat naturam*; unde & nonnulli PP. Sancti, non quidem *sicut vos* (Nestoriani) sed *ad naturam respicientes, hominem assumptum à Deo dicere comprobatur*.

143 Decursu autem temporis, usu & consuetudine coarctata est vox *homo* ad solam hominis personam significandam: Natura autem humana significatur voce *humanitatis*, quæ olim pro eruditione, & comitate frequentius sumebatur. Præfatus autem usus non videtur invaluisse, nisi post seculum undecimum. Nam Anselmus, qui illò urgente floruit, lib. de Incarn. c. 5, concedit hanc propositionem, *Deus assumpit hominem*, negat autem istam, *Deus assumpit hunc hominem*. Præsupposita autem & usu consecratâ coarcta-

Etatione significationis vocis *homo*, non potest propriè dici, *Deum assumpsisse hominem*: quemadmodùm non potest dici, quòd in Deo sunt tres substantia, & una sola hypostasis, quia licet antiquitùs substantia & hypostasis indifferenter significarent essentiam & personam; loquendi tamen confutatio obtinuit, ut *substantia* in divinis, solam essentiam significet, *hypostasis* vero solam personam.

DUBIUM II.

Utrum sanguis Christi fuerit immediatè unitus Verbo: & an effusus in passione, in resurrectione resumendus, manserit sic unitus in triduo?

144 **S**upp. 1. ut fide certum cont. Manichæos, &

Marcionistas, Verbum, non phantaesticum, sed verum assumpsisse corpus; non quidem cælestē, ut Valentinus, Mannetis discipulus, deliravit; sed terrenū, & carnale; alioquin Christus non esset verus homo, humanitas enim verum & terrenū importat corpus. Et hinc, Supp. 2. etiam ut certum fide, Verbum assumpsisse quidquid pertinet ad integratē humāni corporis, nec enim esset perfectus homo, si corpus integrum, & suis numeris absolutum non assumpserit. Supp. demū, non assumpsisse Verbum partes corporis excrementitias, ut lachrymas, sudorem, salivam, &c. quia nec informantur animā, nec ad integratē humāni corporis pertinent; unde nec remanebunt in corporibus glorioſis, juxta illud 1. Cor. 13. *Esca ventri, & venter escis: Deus autem hunc & illas deſtruet.* Id eft, post resurrectionem nullus erit escarum & ciborum usus, nullum ventris in illis digerendis officium. His supp.

145 Concl. eft affirm. & quoà 1.p. com. cont. Duran. & adeò certa, ut oppositum reputetur à quibusdam hæreticū, ab aliis erroneum. Nec immerito, nam Scrip. CC. & PP. eodem modō tribuunt Filio Dei sanguinem, quō carnem,

nem, quam constat fuisse assumptam. Hebræor. 2. *Quia ergo pueri* (id est cæteri homines) *communicarunt carni, & sanguini, & ipse* (nempè Filius Dei) *similiter participavit eisdem.* Quod etiam apertè docent PP. Concilii Ephes. & Calcedon. ac Nazian. Epiphan. aliquique videndi apud Valentiam, Suarez, Vazquez, aliosque. *Scriptura insuper sæpè tribuit redemtionem nostram sanguini Christi, non solum tanquam merito* (ut aëtumat Vazquez communiter rejectus) *sed etiam tanquam pretio condigno, nam Scripturæ verba apertè indicant infinitum valorem effusionis ipsius sanguinis; alioquin, eodem modō loqueretur de lachrymis, ac de sanguine. Profectò, redemptio nostra non est facta per modum solum meriti, sed etiam veri sacrificii, & satisfactionis, in quibus & valor rei oblatæ attendendus est.* Unde Clemens VI. in extravag. *Unigenitus* asserit, modicam sanguinis Christi guttam, propter unionem ad Verbum, sufficientem fore pro totius humani generis redemptione.

146 Prob. deinde rat. fund. Quamvis enim non admittatur id quod in philosophia communiter docetur ex Arist. & D. Th. nempè, humanum sanguinem informari animâ rationali secundum gradum vegetativum; innegabile tamen est, illum pertinere ad integratem humanæ naturæ: ergo. Prob. ant. *Tum ex Trident.* illud evidenter supponente, dūm sess. 13. c. 3. asserit, corpus poni sub speciebus vini, & sanguinem sub speciebus panis, *vì naturalis connexionis, & concomitantiae, quā partes Christi inter se copulantur.* Tum ex Arist. Galeno, D. Th. & omnibus Philosophis, ac Medicis, sanguinem numerantibus inter partes animalium; & ex communi sensu ac conceptu hominum, quō corpus sine sanguine non censetur integrum, & perfectum: Unde etiam post resurrectionem in corporibus gloriosis futurus est sanguis. *Tum* demùm, quia anima plures, mediò sanguine, exercet in corpore operationes vitales, irascimur enim, quando sanguis fervet, timemus dūm contrahitur, gaudemus quando diffunditur: ergo integrat humanum corpus, sicut reliqua hujus organa. *Hinc colliges, & reliquos tres humores fuisse à Verbo assumptos; capillos etiam, dentes,* spi-

spiritus vitales, & animales; spectant enim ad integratatem naturæ hominis. Et idem dicendum de sanguine nutrimentali; si (ut pluribus placet) verus sit sanguis, & ad animalis proinde integratatem pertineat, secùs, si secùs.

147 Quoàd 2. verò p. est etiam nunc com. in Scholis cont. paucos, ut fatetur modernus Scotista Hennus hic q.4. concl.1. & meritò: Eadem enim videtur esse ratio de sanguine, ac de carne, & anima Christi, quas fidè constat, remansisse unitas Verbo in triduo mortis: Ideò enim istæ manserunt tunc unitæ Verbo: quamvis invicem separatae, quia erant partes humanitatis Christi, resumendæ in resurrectione ad illius integratatem, & perfectionem; sed sanguis Christi in passione effusus, & in resurrectione resumentus, erat etiam pars humanitatis illius, ut constat ex dictis: ergo. *Præt.* Si in triduo mortis calix fuisset consecratus, tunc sub speciebus vini fuisset ex vi verborum sanguis Christi, & per concomitantiam divinitas; sicut nunc ita contingit, juxta Trident. sess. 13. cap. 3. at divinitas non est per concomitantiam in speciebus vini, nisi per hypostaticam unionem ad sanguinem, ut ex eodem Trident. ibidem colligitur: ergo. *Conf.* Si in eo casu, sanguis ille, qui ex vi verborum esset sub speciebus vini, non esset unitus verbo & divinitati, non verificaretur, quòd esset sanguis Christi, nec ille calix posset dici *Calix sanguinis mei*. Nec de sumente sanguinem illum verificantur verba Christi Joann. 6. *Qui bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo:* ergo.

148 Si autem quæras: An Ecclesia Rom. expressè diffinierit unquam hanc nostram tententiam? R. negativè, quidquid nonnulli perperam asserant. Proscriptis quidem oppositam ut hæreticam, anno 1350. noster Fr. Nicolaus Roselli, in his Aragonum Regnis Inquisitor Gen. posteà Cardinalis, adversus quemdam Concionatorem Barchinonensem, postquam libellum (seu *processum Inquisitionis*, ut loquitur Sylvester) formavit de mandato Clementis VI. ut testantur Viri spectatissimi, omnique exceptione majores. Magnus ille, ac Venerab. Cardinalis Fr. Joannes Dominicci, in suis quæst. Evang. in die Paschatis. Sapientiss. Sylvester

iter Prieras, S. Apostolici Palatii Magister, in *Rosa curea*, trac. 3. q. 31. Nicolaus Eimericus, zelantissimus Inquisitor, immediatusque Rosellii successor, in Directorio Inquisitorum part. 2. q. 10. aliique similes quamplurimi, quorum integerimam fidem in dubium vocare nefas est, quidquid quidam audeant. Nihil autem refert, quod laudatum Pontificis mandatum fuerit Breve Apostolicum, aut vivæ vocis Oraculum, Litteris nostri Cardinalis de Molendinis expressum: de quo videlicet Jacobum Echardum *de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum* in Rosellio.

149 Cæterum mandatum illud, seu decretum Clementis VI. diffinitivum non fuit, sed pro judicialis sententiæ discussione Inquisitori Rosellio transmissum, ut optimè advertunt Card. de Lugo, Piccinard. l.4.q.5.a.3. aliique plures. Nec amplius sub Pio II. præsumebant Nostri, ideoque pro ulteriori declaratione disputabant. Nec à Pio fuit unquam diffinitivè approbata sententia lata ab Inquisitore Rosellio, quā ut hæreticam damnavit assertionem illam, ut ipsemet Pontifex testatus est; quantumvis ab illo fuerit recognitus, & approbatus (ut legitimus, & authenticus) Processus ille Barchinonensis, ipsi à Noltris oblatus cum adjuncta dictæ assertionis retractatione, exhibitâ à prædicto concionatore in Cathedrali Barchinonensi. Memoratus autem *Processus*, continens præfatum Clementis VI. Mandatum seu Decretum, asservatur in Conventu nostro Brixienfi, ubi illum legit Sylv. dūm ibidem Inquisitoris munere fungeretur, post 50. ann. à controv. illa, circa an. videlicet 1508. Illumque se vidisse, & attentè legisse, testatur ubi suprà Seraph. Piccinardus. Unde nihil refert, quod Franc. Collius l.2. de sanguine Christi, asserat, se magnam operam posuisse, ut illud decretum Clementis Brixiae inveniret, illius tamen nec vestigium ullum apparuisse: quasi Sacrae Inquisitionis Archivia cuilibet scrutanda pateant.

150 Ad pleniorum dictorum captum, scito, quod integrō, post memoratum Barchinonense factum, decursō seculō, vehementer exarfit eadem controversia Brixiae ann. 1462. Prædicatores inter, & Minores, eodemque an. revo-

cata Romam; coram Pio II. & Cardinalium, Episcoporum, Præsulum, ac DD. amplissimō Cetu, accerrimè exagitata fuit, totō triduo, *inter utriusque Sacri Ordinis Sanctissimos Viros*, ut loquitur Odericus Raynaldus ad an. 1462. n. 45. & utinam sic omnes, ut par est, loquerentur. Eminebat inter Franciscanos (quamvis non Agonista designatus) Jacobus Marchianus, nuper summō Ecclesiæ plausū inter Divos relatus à Bened. XIII. Dominicanu. Aderant ex nostris in adversum Jacobus Brixiensis, Gabriel Barchinonensis, & Vercellinus Vercellensis, scientiâ, & pietate clarissimi. Solutō auditoriō, Pontifex cum Cardinalibus, plerisque diebus, rem maturō examine discussit: *Major pars sententiam Prædicatorum approbavit, pauci cum Minoribus cense re.* Pius quoque (Pontifex Maximus) ex majori parte fuit: sed non est visum eō tempore fieri decretum declarationis, nē multitudine Minorum, cuius erat contra Turcas prædicatio necessaria, offenderetur: in aliud tempus decisionem referre placuit.

151 Verba sunt Joannis Gobellini, laudati Pont. à secretis lib. 11. *Commentariorum de rebus sub Pii II. Pontificatu totâ Europâ gestis.* Vel potius ipsiusmet Pii II. ut enim ait Cabassut. ad finem historicæ synopsis seculi XV. pag. mihi 538. *commentarii de rebus gestis Pii II. sub nomine Joannis Gobellini, attribuuntur Pio ipsi Pontifici; tum quia eorum autographa reperta sunt sub nomine Pii II. tum quia stylum reliquorum ejus operum accuratisimè referunt.* Hæc Cabass. Unde nihil mirum, quod eisdem ferè verbis factum referant in Annalibus Ecclesiæ, Henricus Spondanus, & Odericus Raynaldus. Sed valde mirum, quod nonnulli tamen apertam ipsius Pii II. vel ejus Secretarii attestationem in dubium, & contemptum vocare non dubitent, omnesque sibi utcumque adversantes (quantumvis litteris, moribus, formâ, orbi toti notissimos) universè traducant ut calumniatores, lvidosque mendaces; cuncta pariter instrumenta in facti comprobationem à Nostris inducta, præcipitanter, temerè que pronuntient infirma, suspecta, apocrypha, inania, falsa. Sed absit ut paria rependamus; novimus quippe propriæ famæ absque alienæ detractione consulere. Leges

apud

apud laudatum Piccinardum , ubi suprà , Bullam Pii II. ad nostrum Jacobum Brixensem , aliaque ; ut inde noscas , quantum his nostris veracissimis adversariis credendum sit.

152 Quamvis autem Pius II. controversiam in aliud retulerit tempus decidendam ; eam tamen nunquam placuit decidere : sed biennio post , Diplomate Ancone datô Kalendas Augusti 1464. die ante obitum 15. pacis inter utrumque Ordinem , ac universâ Ecclesiâ , conservandæ gratiâ , controversiam inhibuit , districte præcipiens , nè ullus auderet alterutram traducere , aut peccati , erroris , vel hærefis , notare sententiam , donec quid in hujusmodi quæst. tenendum esset , à Sede Apostolica fuerit definitum . Sic refert Spond. ad an. 1462. Id autem Pio ipsi , ob pressuram , memorare non licuit in suis Commentariis : adeoque perperam Dermittius hanc omissionem , quasi evidens perfidiæ signum , opponit Gobellino , sub cuius nomine præfati Commentarii vulgati fuere . Nulli autem Pii successorie litem illam expressè dirimere usquemodò placuit ; adeoque nulli fas est , ex vi decreti Pii II. oppofitam nobis damnare sententiam .

153 Censet nihilominus Card. de Lugo dis. 14. de Incarn. non posse illam post Tridentinum abique nota defendi . Verba illius sunt : Cæterum , ex his licet fundamentis non possit nota inuri illi sententiae ; adhuc crediderim , hodie absque aliqua nota defendi non posse , propter verba Tridentini sess. 13. cap. 3. in quibus diffinitur , in Eucharistia esse corpus sub specie panis , & sanguinem sub specie vini , animamque sub utraque , vi naturalis connexionis , & concomitantiae , quâ partes Christi Domini , qui jam ex mortuis resurrexit , nec amplius moritur , inter se copulantur . In quibus verbis , ut vidimus , sanguis dicitur esse pars Christi D. . . . Hinc eadem ferè certitudine sequitur , sanguinem effusum , in triduo mansisse hypostaticè unitum Verbo : sicut enim corpus mansit unitum Verbo , eò quod erat pars ejus humanitatis ; ita sanguis , qui non minus erat pars , ut vidimus , nec minus reassumendus iterum in resurrectione , debebat , propter eandem rationem , manere unitus ; quia non potest afferri ratio discriminis sufficiens inter carnem , & sanguinem , cum utraque sit pars naturæ humanae , &c. & forte , prop-

ter eandem rationem , dixerat de tali opinione P. Suarez: neque pia , neque secura est. Sed nos à censuris prorsùs abstinemus; quamvis thefim illam impensè aversemur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

154 Opp. i. cont. i. p. Pluribus in locis servantur aliquæ particulæ sanguinis Christi , ut Brugis , Mantuae , apud Sanctum Maximinum in Gallia , alibique. Linteamina etiam , lancea , spinæ , aliaque passionis instrumenta , remanserunt cruenta : ergo illas sanguinis particulas nunquam assumpsit Verbum , quod enim semel assumpsit , nunquam dimisit , juxta tritum ex Ansel. proloquium. Eadem autem videtur esse ratio de reliquo Christi sanguine. N. conf. nam axioma illud intelligi debet de partibus integris , & non de earum particulis , & maximè de illis, quæ non sunt necessariæ ad integritatem Corporis Christi resurgentis : Unde D. Th. in 3.d. 2.q.2.a.1. expressè docet, eas tantum Christi mortui partes unionem hypostaticam retinuisse , quæ erant Christo resurgentí restituendæ tanquam necessariæ ad humanitatis integritatem. Dimisit ergo Verbum sanguinis effusi particulas, ad integritatem humanitatis non necessarias : sicut dimisit sanguinem in Circuncisione effusum , & préputii particulam tunc abscissam ; capillos etiam incidentes, vel præcisos , ungues abrasos , & materiæ partes , per sudorem , actionem , & reactionem caloris naturalis , deperditas.

155 Non igitur repugnat veritati fidei , affirmare, Redemptorem nostrum, ob suę memoriam passionis , aliquam partem sui sanguinis in terris reliquisse , ut dixit Pius II. in quadam Bulla apud Sylvestrum. Et hoc ultrò supponebant Nostrates in celebri illa Controversia , ut Pontifex ipse , vel Gobellinus , testatur , ubi suprà , additque : Prædicatores conclusionem , quam defendere vellent , in hunc modum proposueré : *Pretiosum Domini sanguinem in passione fusum , qui demum ad glorificatum corpus rediit , hypostaticâ Verbi unione nunquam fuisse privatum.* Quia tamen in Corpore Christi temperatissimo parum aut ferè nihil sanguinis superfluebat , ferè totus in passione effusus , reassumptus in resurrectione censendus est. Et sic accipiendus est D. Th. infrà q.54. a.2.ad 3. quip-

quippè quodl. 5. a. 5. ait : *Sanguis autem Christi, qui in quibusdam Ecclesiis ostenditur, dicitur ex quadam Imagine Christi percutissā miraculse fluxisse, vel etiam aliàs EX CORPORE CHRISTI.*

556 Mens igitur S. Doct. utrobique est, sanguinem Christi in passione effusum, reassumptū fuisse in resurrectione totum moraliter, & ferè totum physicè, ut ex ratione adducta liquet. Adeoque, quòd sanguis, qui in aliquibus Ecclesiis conservatur, non ex corpore, sed ex imagine Christi fluxit, si in notabili ostendatur quantitate. Si autē permodica sit sanguinis pars (ut appareret in lancea, spinis, linteraminibus, & phiala San-maximinâ) minimè repugnat, quòd sit verus Christi sanguis. Nec amplius docet Pius II. ubi suprà. *Nec Leo III.* diffinit, sanguinem Mantuae assertatum, esse Christi sanguinem, sed miraculis clarum, tanquam veneratione dignum approbavit, ut, post Vazquez, appositiè notat Marinis in præsenti. Firmiter tamen tenendum est, cont. Valentiam, particulas sanguinis in passione effusi (si quæ in terris remanserint) non esse amplius unitas Verbo : sicut de sanguine circumcisionis, præputii particula, &c. dicendum est ; cùm non sint amplius humanitatis Christi partes actu, aut potentia proximâ, ut potè nunquam reassumenda: & aliàs sequeretur, aliquam naturam, hypostaticè unitam Verbo, esse nunc alibi, quam in Cœlo, & in Eucharistia, quod est absurdum.

157 Omittendum hic non est id, quod fertur de sanguine à Magdalena collectō, & in chryſtallina phiala asservatō in Conventu nostro S. Maximini ; nimirūm, quòd in die Parasceves, circa horam exitū Salvatoris, ebullire videtur, totamque phialam obumbrare. *Simile* quid mirabundus non semel vidi hic Valentię in Oratorio Excelentissimi D. D. Baltassaris Ixarensis, Comitis Alcuditani, multis mihi nominibus colendissimi, ubi in venuſtissima aurea gemmatâ thecâ veneratur tridigitalis particula interioris tunicæ Dominicæ, cruentis confpersa maculis, quæ in die Parasceves majores, & rubicundiores apparent. Donavit hōc inæstimabili munere Serenissima quædam Lusitaniae Regina Ex-

Excellentissimam Marchiouifam Trucifallenfem, à qua hereditariō jure illud accepit Excellētissima Domina, D. Mari-Ana Brachamontia, Marchionisa Trucifallensis, & Fontis-Solis, laudati Comitis lectissima Conjux. Nota tamen, quod nec prædictis Pii II. & Leonis III. rescriptis, nec rationi adversatur, imò menti D. Th. valdè conforme est, afferre, vestigia solum Dominici sanguinis, miraculosè impressa remansisse in præfatis, aliisque Passionis Reliquis,

158 Opp.2. Sanguis non est actu, sed tantum in potentia, pars humani corporis; cùm deferviat nutritioni partium solidarum, nec sit continuus, sed solum contiguus carni, sicut aqua terræ, propter fluxibilitatem: ergo. Præt. Si sanguis esset pars integralis Corporis Christi, contineretur ex vi verborum sub speciebus panis, non secùs ac caro, nervi, & ossa; sed hoc adversatur Tridentino, docenti, sanguinem contineri in Eucharistia sub specie panis solum per concomitantiam: ergo. Ad 1.N.ant. Quamvis enim sit pars in potentia, comparatus perfectioribus, quorum nutritio defervit; est tamen pars in actu respectu totius corporis: sicut elementa sunt partes actu universi, quamvis sint partes in potentia respectu mixtorum. Licet autem sanguis non contiuuetur carni immediate, benè tamen mediantibus fibris, seu crastioribus partibus sanguinis. Sed de his Philosophi. Ad 2. N. maj. Verba enim consecrationis panis, non utcumque significant Corpus Christi, sed per modum cibi, cui aptæ quidem sunt partes solidæ, non verò fluidæ, qualis est sanguis.

159 Opp.3. cont.2.p. Si sauguis Christi in passione effusus, mansisset unitus Verbo, Deus diceretur effusus, & adhærens cruci, spinis, clavis, &c. sicut dicitur sepultus, & descendisse ad inferos, propter unionem cum carne sepultâ, & animâ ad inferos descendente; sed conseq. est absurdum: ergo. N.maj. Ad prob.R.disp.esse, quod prædicata partium, quæ tribui solent homini absolute, & simpli-citer, dici etiam possunt de Verbo, ratione unionis; non verò quæ de homine dici non possunt. Quænam verò sint huiusmodi prædicata partium, quæ ratione ip-

farum dici possunt de homine , quæ verò non ; pen-
det magna ex parte ex usu loquendi : communiter au-
tem homines non loquuntur de aliqua parte hominis per-
inde ac si esset totum, nisi illa pars , vel sit principalior, ut
anima ; vel secundum speciem externam magis repræsentet
hominem , sicut corpus : Hinc de homine dici potest, esse
in Cælo , vel inferno , ratione animæ ; & jacere in sepul-
chro , ratione corporis : Sanguis autem, manus, vel pes, sunt
partes minus nobiles , nec secundum speciem externam ita
repræsentant hominem ; de quo proinde non dicuntur, quæ
de illis enuntiantur: Verbum igitur dici non potest effusum,
effusō sanguine ; dicitur autem sepultum , sepultō corpore,
& descendisse ad inferos , descendente animâ. Illud autem
Psal. 21. *Sicut aqua effusus sum*, non dicitur de Christo ex
communicatione idiomatum, sed ad significandum modum
passionis , ut explicat ibi Hieronymus.

DUBIUM ULTIMUM.

*Utrum Verbum prius assumpserit partes humanita-
tis ; quam totam humanitatem ; & animam ,
prius quam corpus.*

160 **P**Eractâ disputatione de assumptione humani-
tatis ejusque partium , & de modo quo fuer-
runt assumptæ ; agit S.D. q.6. de ordine hujus mirabilis as-
sumptionis : cuius resolutio plurimùm juvat ad percipiendias CC. & PP. locutiones , & ad intelligendum , quomodo
partes ab invicèm separatae in mortis triduo , remanse-
rint unitæ Verbo ; quomodo unica solùm intervenit unio;
& ad alia , hoc ineffabile mysterium concernentia : Unde
nihil mirum , quod quæstionem istam metaphysicam tam
accuratè hic , & alibi versaverit S.D. Ad illius autem intel-
ligentiam , præmittimus 1. illam non procedere de priori-
tate temporis ; cum fidè certum sit, animam, corpus, & hu-
manitatem , simul tempore fuisse assumptus. Præmittimus

2. sermonem h̄ic esse de prioritate naturæ secundum ordinem executionis; certum quippè est, totam humanitatem fuisse priùs assumptam ordine intentionis, quām partes: constat enim, Verbum per se p̄imò intendisse totam, & integrum humanitatem assumere, neque in aliqua parte sistere, quia intendebat fieri homo. His præmissis,

161 Concl. est affirm. & quoàd 1.p.est D.Th. h̄ic a.5. ad 1.& com. Thomist. (si Palud. & Marinis excipias) cont. Scotum, & Vazquez. Quoàd 2. etiam est com. cont. Dur. & Almayn. omnem negantes assumptionis ordinem inter partes, & cont. Suarez, existimantem, utramque in suo genere fuisse priùs assumptam. *Prob.* autem concl. quoàd utramque partem: Quia eōdem modō, & ordine communicata fuit subsistentia divina humanitati, & ejus partibus, quō eis conveniret humana, seu propria, si adesset, quia non sunt multiplicanda miracula absque necessitate; sed subsistentia humana, in ordine executionis, priùs naturā convenit animæ, deinde carni, tandem toti humanitati ex utraque resultanti, ut author est D. Th. 1. p. q.76. a. 1. ad 5.& alibi; demonstraturque in Philosophia: ergo.

162 Hinc inferes 1.id quod communiter docen Theologi cont. Vazquez, & quosdam alios, nimirūm, animam priùs fuisse assumptam ut *quod*, quām corpus, & totam humanitatem: quia priùs habuit à diviō Verbo subsistere, & existere independenter ab alio, ut à subiecto, qualiter habuisset à propria, & connaturali subsistentiā, si adesset. *Inferes* 2. cont. eundem Vazquez, & alios, Christi animam priùs naturā fuisse assumptam à Verbo, quām corpori unitam: Eōdem quippè ordine fuit facta subsistens subsistentiā Verbi, quō fuisset subsistentiā propriā, si ad divinam non fuisset assumpta; at tunc priùs fuisset subsistens, quām unita corpori: ergo. *Inferes* tandem cont. Suarez, corpus non fuisse priùs naturā asumptum, quām animam, quia corpus non est ratio, aut causa, quōd anima assumatur, aut subsistat subsistentiā Verbi: sicut neque esset causa, quōd subsisteret subsistentia Verbi; casu quō non fuisset assumpta à Divino Verbo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

163 Opp. 1. cont. 1.p. Subsistentia creata priùs convenit toti humanitati, quām ejus partibus, his enim convenit propter naturam totalem, & maximē materiæ, impotenti subsistere nisi in toto: ergo, & subsistentia Verbi, quæ subrogata est locō connaturalis, & propriæ, priùs humanitati, quām hujus partibus communicata est. *Præt.* Subsistentia Verbi est perfecta, & completa: ergo priùs debuit communicari substantiæ completæ, seu humanitati, quām incompletæ, seu partibus. *Præt.* Posteriora ordine resolutionis, sunt priora ordine executionis, seu compositionis; quia ordines isti (ut vulgò dicitur) invicem contrarianunt, & patet in domo v. g. sed ordine resolutionis, priùs amittit subsistentiam tota natura, quām partes, imò in morte Christi, humanitas amisit subsistentiam divinam, quam retinuerunt partes, juxta fidem: ergo. *Postremò:* Quia aliás sequeretur, partes humanitatis bis assumptas fuisse, semel in se ipsis, priusquām tota humanitas, deinde in ipsa humanitate, ipsis essentialiter includente; sed consequens est falsum: ergo.

164 Ad 1. N. ant. Quamvis enim in compositis purè materialibus, priùs conveniat toti subsistere, quām partibus; secūs tamen in homine, cuius anima creatur, adeòque recipit immediatè à Deo subsistentiam, & existentiam, quam corpori, & humanitati communicat; ac proinde priùs naturā subsistit ut *quod*; corpus verò subsistit priùs quām humanitas, solum ut *quo*, quatenus scilicet causat ipsam. *Ad 2.* N. conf. subsistentia enim divina, ob suam infinitam perfectionem, & eminentiam, potest cuicunque uniri substantiæ, siue completæ, sive incompletæ, ac si esset propria ejus, & connaturalis; unde in triduo mortis, mansit unita animæ, & corpori separatis, quamvis essent substantiæ partiales, & incompletæ.

165 Ad 3. Dist. maj. Si resolutio sit miraculosa, N. si secūs, subdist. regulariter, C. semper, N. Itaque si resolutio dominus v.g. fiat per miraculum, potest à fundamento, & non à tecto incipere: Quod autem Christi Corpus divinam

retinuerit subsistentiam in morte , fuit miraculum; quia illam debebat amittere , & cadaveris propriam acquirere: fuit, inquam , miraculum , non quidem novum , sed consequens (ex divina ordinatione) ad primum Incarnationis miraculum. Et quidem partes continui , post divisionem, manent existentes in actu , absque ullo miraculo ; cùm tamen ordine compositionis , non fuerint priùs existentes, quām totum , quia per hujus existentiam existunt. *Ad ult.*
N. sequel. Ad prob. inclusam R. prioritatem illam naturæ, non tollere unitatem unionis , cùm Verbum simul tempore , & semel assumpserit totam humanitatem , & partes. Et probatio facile instatur in resurrectione Christi.

166 Opp.2. cont. 2.p. Corpus Christi non fuit assumptum à Verbo mediante animâ : ergo hæc non fuit priùs naturâ assumpta , quām illud. Prob. ant. quia aliàs in triduo mortis , non mansisset unitum Verbo , dissolutô enim mediô separantur ea , quæ per medium conjunguntur : sicut remotâ superficie , cessaret color à corpore , qui ineſt corpori per superficiem. *Resp.* ex D.Th. a.1. ad 3. & infra q. 50.a.2.ad 2.N.ant.ad prob. N. sequel. quia caro fuit assumpta à Verbo , mediante animâ , non tanquām mediô ligante unita (quō remotô , separantur extrema) sed solùm tanquām mediô congruitatis , quatenus scilicet , caro per animam pertinet ad humanam naturam , quam Verbum aſſumere intendebat. Deficiente autem hujusmodi mediô , non continuò separantur extrema : Amicitia enim inter duos , remanere potest , recedente eō , quō mediante , facta eſt. Caro igitur Christi remansit in triduo unita Verbo , quia adhuc tunc habuit ab anima , quod pertinèret ad humanitatem , quatenus ex divina ordinatione remansit in carne quidam ordo resurrectionis.

167 Opp. 3. cont. 1. corol. Illud via executionis fuit priùs assumptum ut *quod* à Verbo , quod est in se primò personabile , si sibi dimitteretur ; sed sola humanitas eſt hujusmodi , cùm sit subsistentia completa , secūs anima : ergo. *Prat.* cont.3. D.Th. h̄c a.5. æqualiter de utraque humanitatis parte affirmat , fuisse priùs assumptam , quām totum;

ergo utraque, vel nulla, fuit prius assumpta ut *quod*. Tandem: In resurrectione sic fuit reassumpta humanitas, ut utraque illius pars prius extiterit assumpta ut *quod*: ergo pariter in Incarnatione. Ad 1. N. maj. sufficit enim quod illud fieri possit per se subsistens; quod animæ convenit. Ad 2. R. D. Th. sic fuisse loquutum ratione animæ, id enim sufficit ad exclusivam quam ibi intendit, scilicet, *ordine executionis, non prius fuisse assumptam humanitatem, quam partes*, quia nimirūm anima, prius assumpta fuit. Accedit, quod etiam corpus fuit prius assumptum ut *quo*, licet non ut *quod*. Ad ult. R. disp. esle, quia in Incarnatione servatus est, quantum fieri potuit, ordo proportionatus naturæ, juxta quem non debuit prius assumi corpus. In resurrectione vero, non potuit talis ordo servari, quia, ob exigentiam mysterii Incarnationis, utraque pars mansit in triduo subsistens & existens subsistentiâ & existentiâ Verbi. Ac de ineffabili Incarnationis mysterio hactenus.

TRACTUS II.

DE GRATIA CHRISTI.

ad q. 7. & 8. 3. p.

168



OSTQUAM Ang. D. egit prioribus qq. de Incarnatione, seu unione hypostaticæ, ejusque extremis, Personâ scilicet assumpte, & naturâ assumptâ, loculentam aggreditur disputacionem de coassumptis à Verbo in natura humana, quia nimirūm, nec eam vacuam, sed plenam gratiæ & veritatis assumpsit; nec plenè glorificatam, sed passibilem, juxta illud Is. 53. *Vidimus eum virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Differit igitur S. D. de perf-

fectionibus, & defectibus, laudatis testim comprehensis, & primò de perfectionibus, scilicet de *Gratia*, *Scientia*, & *Potentia*, à q. 7. ad 13. quas hōc, & sequenti Tract. contemplandas suscipimus. Deinde de defectibus q. 14. & 15. de quibus Nos tract. 4. Deō auspice, differemus. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Gratia Christi substantiali, seu unionis:

169 **D**Uplex in Christo agnoscitur *Gratia*: Altera *substantialis*, nempè, unio hypostatica, de qua S. D. egit à q. 2. ad 6. quamvis non sub nomine gratiæ. Altera *accidentalis*, seu *habitualis*, quæ in *singularem*, seu *personalem*, & *capitalem* subdividitur; quia non modò sanctificat animam Christi, sed ab ipso, ut capite, & vite, in sanctos omnes, ut in membra, & palmites derivatur: De quibus S. D. qq. 7. & 8. Hanc triplicem Christi gratiam expressit Joannes in 1. Evangelii sui capite. Gratiam quidem *unionis*, his verbis: *Verbum eao factum est*. Personalem per sequentia: *Plenum gratiæ, & veritatis*. Capitalem demùm, dicens: *de plenitudine ejus omnes accepimus*.

DUBIUM UNICUM.

Utrum Gratia unionis, seu substantialis, sanctificet formaliter Christi humanitatem ratione divinitatis, aut Personalitatis Verbi?

170 **S**upp. i. gratiam unionis independenter à gratia habituali, sanctificasse *formaliter*, seu verè, propriè, & actualiter, humanitatem Christi. In quo omnes conveniunt contra Scotistas: Quamvis enim Vincen-

centius noster, Alvarez, aliquique negent, humanitatem Christi formaliter sanctificari per gratiam unionis; aperte loquuntur de sanctitate formalis accidentali, praestandam per formam inharentem. Et forte in eodem sensu loquuti sunt Marfil. & Palud. Constat autem suppositio. *Tum ex illo 1. Joan. 10. Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.* Quibus declarat Christus, juxta PP. se, ipsa missione, id est, in Incarnatione, fuisse sanctificatum. *Tum ex Nazian.* Athan. Aug. aliisque PP. dicentibus, humanitatem Christi fuisse divinitatem sanctificatam, deificatam, perfusam & unitam: divinitatem fuisse unguentum, assumptionem vero fuisse unctionem. *Tum rat. fund.* Quia per gratiam unionis evexit humanitas Christi ad esse personale divinum, ad filiationem Dei naturalem, redditurque immunis a peccato, & objectum necessarium divinae complacentiae: ergo multo perfectius sanctificantur unione, quam homo gratia habituali. Perfectio necesse est, quod substantialis deitatis communicatio longe perfectius praestet id, quod praestat accidentalis Dei participatio.

Supp. 2. humanitatem Christi non sanctificari formaliter a modo unionis, datu quod detur: *Tum* quia iste nec esset sanctitas per essentiam, ut liquet; nec participatio illius, nempe, naturae divinae sub conceptu naturae. *Tum* quia solum foret conditio applicans & uniens humanitati bonum increatum, illam formaliter sanctificans: ergo non sanctificaret formaliter illam, sicut nec unio gratiae habitualis sanctificat animam, nec unio albedinis formaliter delabat. *Supp. 3.* Personalitatem Verbi, etiam ut virtualiter a divinitate distinctam, formaliter sanctificare humanitatem, quamvis non ratione illius, per quod a divinitate distinguitur. Id quod omnes fateri tenentur: Cum enim distinctio inter divinitatem, & subsistentias relatives, inclusiva solum sit, certum est, subsistentias relatives, etiam ut virtualiter ab essentia distinctas, hujus perfectionem, beatitudinem, & sanctitatem absolutam imbibere, & transcendentaliter includere, ut advertimus tom. I. N. 683. His supp,

Con-

172 Concl. *Gratia unionis non sanctificat formaliter humanitatem Christi, ratione personalitatis Verbi, sub expresso Personalitatis conceptu, sed ratione solius divinitatis.* Sic expressè ex nostris Araujo, Godoy, & Gonet; ex extraneis verò Vazquez, Turrian. aliique, nec crediderim dissentire Nazar. Cippull. aliosque Thomistas, quos Bolivar pro opposita adducit sententia, quam ipse mordicùs tenet: Cùm enim omnes illi (si per paucos excipias) doceant, relationes divinas nullam superaddere perfectionem; accipiendi sunt de personalitate ratione naturæ inclusæ, juxta tertiam supp. numeri præcedentis, nè inconsequentæ arguantur, ut non semel appositi notat Godoy in præsenti.

173 Prob. autem quoàd i.p. ex principiis comm. Thomist. afferentium, personalitates divinas, ratione illius quod explicant, non dicere perfectionem, ut fusè ostendimus tom. i. à N. 684. ergo nec bonitatem; sed sanctitas formalis est bonitas, cùm subjectum, quod sanctificat, reddit amabile dilectione amicabili, objectum verò amoris sit bonum: ergo. *Præt.* Multiplicari sanctitates in Deo, illasque invicem essentialiter inæquales concedere, & cuivis personæ aliquam sanctitatem deesse, æquè inconveniens est, ac id afferere de divinis perfectionibus; æquè insuper prædicta inferuntur ex eo quòd Personalitas ratione sui sanctitas sit, quām ex eo quòd perfectionem dicat superadditam essentialiæ: ergo si propterea denegatur perfectio relationibus pro explicito; deneganda pariter est illis sanctitas, ratione expliciti.

174 Dices, hâc rat. solum convinci, personalitatem, ratione expliceti, non esse perfectionem, bonitatem, aut sanctitatem ad intrà, secùs ad extra. Sed cont. est i. Vel ex tali sanctificatione ad extrà, sequitur multiplicatio, & essentialis inæqualitas perfectionis, & sanctitatis, vel non? Si primum, rejicienda est. Si secundum, astruenda est sanctificatio & perfectio ad intrà: utraque enim convenire debet personalitati ratione ultimi conceptus, quō in se constituitur, & ab aliis distinguitur, ut supponitur: ergo. Nec valet dicere, Personalitates divinas non opponi invicem re-

lativè in perficiendo ad extrà , cùm possint eadem simul humanitatem terminare. *Non* inquam, valet , quia nec opponerentur in relativè perficiendo ad intrà , cùm de facto eadem simul terminent divinitatem. *Secundò* : Non stat, personalitatem perficere & sanctificare ad extrà humanitatem (quam divinitati conjungit) & non perficere ad intrà se ipsam (ratione proprii conceptus identificatam Deitati) plus enim est identitas cum Deitate, quām conjunctio cum illa : ergo humanitatem esse divinitati conjunctam , non est perfectio distincta à perfectione extremi conjuncti , seu divinitatis: vel personalitatem esse divinitati identificatam, erit perfectio distincta à perfectione Deitatis , quę est identitatis extremum.

175 Prob. deinde concl. quoad 2.p. *Tum* ex dictis, quia gratia unionis , independenter à gratia habituali , sanctificavit formaliter Christi humanitatem, ut suprà ostensum est; sed non ratione modi unionis , nec ratione Personalitatis, sub expresso Personalitatis conceptu , ut etiam monitravimus : ergo ratione solius Divinitatis ; nec enim aliud assignabile est. *Tum* quia Divinitas sub conceptu naturæ , est sanctitas infinita, cùm participatio illius (nempè gratia habitualis) sanctitas finita sit: & fit insuper prima radix videnti, & amandi Deum, in quo ratio sanctitatis consilitit : ergo unita, et si mediatè , humanitati Christi, formaliter illam sanctificat ; ad effectum enim sanctificationis non requiritur immediata unio formæ sanctificantis, cùm gratia habitualis (soli animæ immediate unita) totum sanctificet hominem; & Divinitas, solum mediatè humanitati unita, eam existentem constituat , juxta D. Th.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

176 Opp. i. cont. i. supp. *Tum* quia gratiæ habitualis est formaliter sanctificare, ut habetur ex Trident. sess. 6. cap. 7. ergo competere nequit unione hypostaticæ. *Tum* quia unio, cùm sit radix gratiæ habitualis formaliter sanctificantis, sanctificat radiealiter: ergo non formaliter. *Tum* quia ratione unionis, humanitas non acceptatur ad gloriam, cùm possit Deus hanc denegare humanitati Verbo unitæ: ergo.

Tum

Tum quia aliàs Christus de facto meruisset gratiam habitualem; actus enim, quibus, more adulorum, se disposuit ad gratiam, procederent à subiecto grato; sed conseq. est cont. D.Th. communiter receptum, infrà q. 19. a. 3. ergo. *Tum* demùm, quia sequeretur, Christum in quantum hominem, esse Filium totius Trinitatis, nam terminus ad quem filiationis, quâ gauderet ratione unionis, est ipsum principium actionis unitivæ, quod toti Trinitati commune est, cùm actio unitiva sit ad extra; sed cons. est absurdum: ergo.

177 Ad 1. Dist. ant. sanctitate accidentalis, C. substantiali, N. Ad 2. Dist. cons. ergo non sanctificat formaliter, sanctitate accidentalis, C. substantiali, N. non enim repugnat, aliquid esse radicem respectu unius, & simul esse formam constitutivam alterius. Ad 3. N. ant. Ad prob. N. cons. Nam et si humanitati Verbo unitæ denegaret Deus gloriam, adhuc tunc maneret acceptata ad illam in jure, quamvis non in re, & de facto: quod sufficit, ut unio sit sanctitas formalis; talis siquidem est gratia habitualis, quamvis possit Deus hominem illâ ornatum, gloriâ non donare. Ad 4. N. sequel. Nec obstat prob. *Tum* quia actus illi non fuerunt dispositio antecedens, sed solum concomitans, quæ non præcedit naturâ formam, ad quam disponit. *Tum* quia et si gratiam præcesserint, non tamen fuerunt ordinati ad illam ut præmium, juxta communem sententiam. Ad ult. N. sequel. Ad prob. N. maj. nam filatio conveniens Christo ut homini, est ipsa filatio æterna, conveniens ipsi ut Deo, fundata supra generationem æternam, gratiâ unionis solum ut conditione ingrediente. Vide Godoy disp. 21. à N. 52.

178 Opp. 2. cont. 2. supp. *Tum* ex PP. sèpè afferentibus, humanitatem fuisse sanctificatam per unionem ad Verbum. *Tum* quia modus unionis est excellentior gratiâ habituali, formaliter sanctificante: ergo. *Tum* quia deficit, seu deitati conjungit humanitatem. Tandem, quia cum omni peccato est incompossibilis: ergo. Ad 1. R. PP. sumere unionem pro ipsa gratia substantiali humanitati unitâ, quam jurè Aug. summam gratiam appellat, secùs pro modo unionis, ab ipsis ignotô, & recenter inventô. Ad 2. N. conf.

conf. non enim quælibet excellentia sufficit ad sanctificandum, sed quæ in ordine supernaturali obtinet rationem naturæ, quod unionis modo non convenit. *Ad 3.* Dist. ant. deificat ut conditio, & applicatio, C. ut ratio formalis, N. *Ad ult.* Dist. ant. est incompossibilis indirecte, & ratione deitatis, C. directe, & ratione sui, N. ant. & conf. Et instatur in actu charitatis, incompossibili cū peccato (si mediā solā gratiā habituali elici possit) nec tamen formaliter sanctificante.

179 Opp. 3. cont. 1. concl. Gratia unionis, quæ talis, sanctificat formaliter humanitatem Christi; sed personalitas Verbi, ratione illius quod divinitati superaddit, est gratia unionis, cùm prout sic, sit donum substantiale personaliter communicatum humanitati: ergo. *Præt.* Personalitas Verbi, ut terminans ratione sui humanitatem Christi, est gratia major habituali, sanctificante formaliter: ergo. *Tandem:* Humanitas Christi immediatiūs personalitati Verbi, quam divinitati, unitur, juxta superiūs dicta: ergo illâ, quæ tali, potiūs quam istâ sanctificatur formaliter. *Ad 1.* Dist. maj. Gratia unionis completem sumpta, C. incompletē accepta, N. & sic distinctâ min. N. cont. Et instatur in modo unionis, qui (si datur) gratia unionis est; nec tamen formaliter sanctificat humanitatem, juxta ferè omnes. Potest etiam negari absolute min. & ad prob. N. ant. Personalitas enim Verbi, ratione expliciti, essentiæ supperadditi, nec donum, nec gratia est, sicut nec bona, & perfecta, sed ratione solius naturæ, quam transcendentaliter includit. Hinc,

180 *Ad 2.* in primis N. ant. vel suppositum; quamvis enim maxima gratia sit; non tamen ratione expliciti, sed divinitatis inclusæ. *Deinde* N. conf. quæ aperte instatur in modo unionis, juxta dicta N. 178. *ad 2.* non enim quælibet gratia, aut donum, quamlibet eximium, sanctificat formaliter, vel constituit subjectum gratum gratitudine amicabili; ut patet in fide, charitate, aliisque supernaturalibus donis: sed illud solūm, quod sit natura in ordine supernaturali, qualis est gratia habitualis. *Ad 3.* N. conf. non enim sanctificatur formaliter humanitas per illud cui immediatiūs unitur, nisi illud forma sanctificans sit, aliás sanctificaretur per

per modum unionis, & anima per unionem cum gratia.

181 Opp. 4. ad idem. Personalitas Spiritus S. est sanctitas substantialis ratione expliciti: ergo & personalitas Verbi. Prob. ant. nam tertia Persona Trinitatis, ex vi suæ processionis, est Spiritus Sanctus: ergo & formaliter sancta; sed non ratione naturæ, quam non accipit formaliter ex vi processionis, aliàs esset Filius: ergo ratione personalitatis pro explicito. Præt. Personalitas Verbi ratione expliciti constituit Christum, quâ hominem, Filium Dei naturalem: Pugnat insuper essentialiter cum omni peccato: ergo. Ad 1. N. ant. Ad prob. N. conf. nam ly Spiritus S. prout tertiae Personæ accommodatum, accipitur in vi unius dictioñis, quâ ratione, non significat sanctitatem, sed impulsum procedentem per actum voluntatis. Vide dicta ex D. Th. tom. 1. N. 764. Ad 2. N. conf. nam licet Filius naturalis Dei necessario sit Sanctus, non tamen per formam constituentem ipsum filium; sed per naturam in obliquo connotatam. Ad ult. N. ant. nàm ratio talis repugnantie, est summa bonitas, & perfectio divina, quæ non convenit Verbo ratione expliciti personalitatis, sed ratione divinitatis inclusæ.

182 Opp. tandem cont. 2. p. cum Lorca: Nequit Divinitas humanitatem sanctificare, quin istam physicè informet; sed physica informatio dicit imperfectionem, divinitati repugnantem: ergo. N. maj. ut enim divinitas humanitatem sanctificet, sufficit quod istam mediata terminet: sicut illam sanctificat (juxta opponentem) subsistentia Verbi pro explicito, per solam immediatam terminationem: In quo evidenter instatur argumentum. Sed dices: Unio mediata sapientie, omnipotencie, æternitatis, & immensitatis, cum humanitate, non constituit istam sapientem, omnipotentem, &c. ergo mediata unio divinitatis, non constituet humanitatem sanctam. Resp. disp. esse, quia effectus illi praestari non possunt absque reali identitate, aut informatione; quorum utrumque repugnat divinis attributis, respectu humanitatis. Effectus autem sanctitatis, solam terminationem mediata, vel immediatam formæ sanctificantis desiderat;

nam

nam esse sanctam , est , esse objectum , vel terminum divinæ dilectionis amicabilis : quemadmodum esse subsistens , & existens , quia in esse terminato consistit , nihil imperfectio-
nis importat . Vide dicta tom. 1. N. 199. & tom. 2. N. 57.

DISPUTATIO II.

*De Gratia habituali , virtutibus , & do-
nis Christi.*

DUBIUM I.

*Utrum in Anima Christi fuerit Gratia habitualis,
& ad quid necessaria?*

183 **P**rima concl. est affirm. com. Theol. (cont. nonnullos veteres , quos suppresò nomine ci-
tat. Palud. & quibus favere videtur ex RR. Uvadingus, teste Arriaga) & adeò certa , ut Suarez, Alvarez, Lorca, Marinis, pluresque alii censeant , esse de fide ; reliqui verò , opposi-
tum esse temerarium , & errori proximum. Et meritò , con-
stat enim ex illo Isaiae 11. *Requiescat super eum Spiritus Domini* , &c. Ex illo Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ , & ve-
ritatis* , quibus (uti & pluribus Athan. Chrysost. Hieron.
Aug. aliorumque PP. testimoniosis) permanentia gratiæ , &
donorum Spiritus Sancti , ipsam concomitantium apertè sig-
nificatur. *Accedit triplex D. Th. rat. hīc a. 1.* Prima defu-
mitur ex unione hypostatica : nam quò receptivum est pro-
pinquijs causæ influenti , eò magis participat ejus influen-
tiā ; influxus autem gratiæ est à Deo , juxta illud Psal. 83.
Gratiā , & gloriā dabit Dominus: ergo. Secunda , ex no-
bilitate illius animæ , quæ debebat exercere operationes ,
quibus propinquissimè attingeret Deum cognitione , &
amore , ad quod necesse est elevari rationalem naturam per
gra-

gratiam. *Tertia* demùm , ex habitudine Christi ad genus humanum ; ipse enim quà homo , est mediator Dei , & hominum: ergo debuit habere gratiam in alios redundantem , juxta illud Joan. 1. *De plenitudine ejus omnes accepimus , & gratiam pro gratia.*

184 Et hinc colliges 1. gratiam habitualē , infusam fuisse Christo ab instanti conceptionis ; consequitur enim unionem hypostaticam , uti *splendor solem* , & sicut quædam *proprietas naturalis* , ut loquitur D.Th. a.13. ideòque Christus in Scrip. simul appellatur , *germen* , *flos* , & *fructus* , quia ab initio conceptus sui , extitit omni virtute , & gratiā perfectus , ut appositi observat Abbas Guerric. ser.2. de Annunt. Non tamen fuit gratia habitualis proprietas *physica* unionis , cùm ad istam non disposuerit ; sed *moralis* dumtaxat , quia illi connaturaliter debita , & humanitati assumptæ concedens : Christus nihilominus ad gratiam se disposuit , juxta D.Th. infrà q. 34. a.3. sicut meruit gloriam corporis , sibi alias connaturaliter debitam : quō exemplō ruit fund. Banez , & Cipulli , contrarium opinantium. Ratio autem D. Th. est , quia Christus sanctificatus est perfectissimè; adeoque , non parvorum , sed adulorum more , seu per proprium actum ; qualite sanctificati sunt (juxta ipsum) Angeli , & Adam. Dispositio autem , & forma (ut objectioni occurram) simul tempore esse possunt. Colliges 2. habuisse Christum ex tunc plenitudinem gratiæ , sicut & beatitudinis , sic enim decuit ipsius dignitatem ; adeoque infusam illi tunc fuisse gratiam in summa intensione , de lege ordinaria possibili.

185 Secunda concl. *Gratia habitualis fuit necessaria in anima Christi ad completam , seu omnimodam hujus sanctitatem , & ad connaturalem elicientiam operationum supernaturalium.* Quoad 1.p. est com. cont. Vazq. & constat , nam gratia habitualis fuit necessaria ad sanctitatem accidentalem animæ Christi , sibi connaturaliter debitam ex vi unionis hypostaticæ: ergo fuit illi necessaria , ut esset sancta omnibus modis , tametsi fuerit formaliter , & absolute sancta substantialiter per gratiam unionis. Quoad 2. verò p. etiam est com. cont.

Lorc.

Lorc. & prob. Ut agens connaturaliter eliciat operationes, debet in se habere formam permanentem, per quam ad illas inclinetur; sed anima Christi non est ratione sui inclinata ad operationes supernaturales; nec ratione personalitatis, quæ non est principium *quo*, nec tribuit humanitati illarum continentiam, cùm non uniatur ut forma, sed solum ut principium *quod*: ergo requiritur gratia habitualis, quæ est radicale earum principium *quo*; nec proinde sufficiunt virtutes infusæ, quæ sunt proximum earundem principium.

186 Potuit nihilominus absolutè Christus, absque gratia habituali, supernaturaliter operari, auxiliò nimis supernaturali transente, supplente vicem principii radicalis vitæ supernaturalis, scilicet gratiæ habitualis. Et cùm tales operationes procederent à subiecto infinitè grato, ordinari-que possent ad præmium supernaturalē; possent esse hujus meritoriae, ut communiter docent Theologi cont. Dur. & Palud. Cæterum id non fieret connaturaliter, & conformiter ad suavem modum, quem ubique servat Divina providentia. Et sic accipiendus est D.Th. q.29. de Verit. a.5. ad 4. alibique, docens, operationes Christi fuisse meritorias ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest; & dum hic a.1. ait, quod necesse est, rationalem creaturam per gratiam elevari ad videndum, & amandum Deum; loqui-
tur enim de necessitate, non simpliciter, sed secundum ordinem rebus statutum, & consonum: *Sic enim* (ait Cajet.) *animæ Christi conditiones exquirimus: Et non semper de di-*
vina omnipotentia differimus. Additque Marinis: Nimis otio-
sum, imò intollerabile est, quod in quolibet proposito, dum
mysterium explicare contendimus, recurramus ad quid esset, si
alius ordo rebus impositus fuisset.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

187 Opp. 1. cont. 1. concl. Christus nequit dici Deus participativè, nec Filius adoptivus Dei: ergo nec habere gratiam habitualē, conferentem hos effectus in genere cau-
fæ formalis, adeoque necessariò. Resp. Christum Domi-
num esse verum Deum secundum personam, & naturam divi-
nam; sed quia cum unitate Personæ remanet distinctio natura-
rum,

rum, anima Christi non est per suam essentiam divina; unde oportet, quod fiat divina per participationem, quae est secundum gratiam. Sic D.Th. hic a. i.ad i. ubi valde notandum est, quod licet concedat animam Christi esse divinam participative; non tamen afferit, Christum D. esse Deum participative; forte, quia haec locutio videtur periculosa, adeoque vitanda; denotat enim, Christum D. non esse Deum per essentiam, quod est hereticum. Concedendum tamen est, Christum, ut hominem, reduplicata humanitate, esse Deum participative, nam hoc modo solum denotat, humanitatem participare divinitatem per gratiam habitualem; quod verum est.

188 Nec obstat, quod Christus, etiam ut homo, est Filius Dei naturalis. Non, inquam, obstat; nam haec propositio, Christus ut homo, est Filius Dei naturalis, reddit hunc sensum, Christus, seu Verbum ut subsistens in huminitate, est Filius Dei naturalis: haec autem propositio, reduplicata humanitate, non est vera; est enim sensus, quod Christus ratione humanitatis est Filius Dei naturalis, quod est falsum. Est autem vera talis propositio, si sumatur specificativè, quia nimirum, ex parte subjecti exprimitur subsistentia Filii, quae est ipsa filatio, quae ponitur ex parte prædicati. De quo infra q. 16. Neutram autem dici potest Christum Filius Dei adoptivus; nam adoptio extraneitatem in persona adoptata supponit, Christus autem non est persona extranea à Deo, quia ejus personalitas identificat sibi naturam divinam: filatio autem adoptiva, datò quod sit effectus formalis (id quod Cabrera, aliquique negant) non tamen est primarius; adeoque est ab illa separabilis, & maximè respectu subjecti incapacis illius. De quo infra à N. 478.

189 Opp. 2. ad idem. Nullum subjectum habet simul eandem formam formaliter, & eminenter, ut Sol non habet formaliter calorem, quia habet illum eminenter in luce, & sic de aliis; sed Christus habet eminenter in gratia unionis omnem perfectionem gratiae habitualis: ergo hanc formaliter non habet. Conf. Per gratiam unionis confertur perfectiori modo humanitati Christi, quidquid posset conferti

per gratiam habitualem : ergo ista superfluit. *Neg. maj.* Deus enim continet perfectiones simpliciter simplices eminenter formaliter , & anima rationalis formaliter simul , & eminenter est sensitiva , & vegetativa: Unde Sol, non proptereà est incapax caloris formaliter , quia illum eminenter habeat ; sed quia est incorruptibilis , adeòque incapax recipiendi qualitates alterativas. *Ad conf. Difst. ant. confertur efficienter, C. formaliter, N.* Nam gratia unionis continet quidem eminenter habitualem pure efficienter, & entitativè , sicut essentia continet suas proprietates , non autem *executivè, C. formaliter,* seu exequendo id quod à gratia habituali præstatur; nec enim elevat animam, ut radicaliter contineat supernaturales actus videndi , & amandi Deum , quod præstat gratia habitualis. Vide alias solut.apud Godoy disp. 22. à n. 33.

190 Opp. 3. cont. 1. p. 2. concl. Anima Christi , ex vi unionis hypostaticæ , est formaliter sancta sanctitate increata , & infinita , scilicet , Personalitate Verbi , & Divinitate: ergo per unionem est formaliter sancta omnibus modis : ergo ad id non requirit gratiam habitualem. *Præt.* Subsistenta Verbi, quia infinita , reddit humanitatem Christi omnibus modis substantem , aliàs hæc propriam appeteret substantiam : ergo pariter. *Ad 1. N. cons.* sanctitas enim increata est formaliter substantialis ; unde quamvis sit infinita , continens eminenter omnem sanctitatem creatam ; non sanctificat formaliter animam Christi sanctitate accidentalí , adeòque nec omnibus modis. *Ad 2. N. ant.* nec enim reddit aut constituit illam substantem in se , sed solum in alio , scilicet in ipsa Persona Verbi. *Ad prob.* inclusam N. sequelnam adæquata ratio non est sola infinitas substantiae divinæ , sed etiè incompossibilitas substantiae propriæ cum divina: de quo suprà , à N. 139. *Nota hic* , ut aliud dissolvias arg. quod sanctitas increata constituit Deum omnimodo sanctum , quia illi convenit infinito modō ; humanitas autem Christi continet sanctitatem increatam finito modō.

191 Opp. 4. cont. 2. p. ejusdem. Gratia habitualis non est forma proximè operativa , & quamvis sit radicaliter talis , id

id tamen nō requiritur ad connaturalē supernaturaliū actuū elicientiam, aliās fidelis carens gratiā habituali, non eliceret connaturaliter supernaturales actus fidei, & spei, quod videtur falsum: ergo. *Pret.* Ad præfatam connaturalem elicientiam sufficiunt virtutes infusæ, afficientes immediatè potentias, & mediatè, seu radicaliter, animam: sicut in absentia habitūs charitatis, unicum auxilium sufficiens elevat transeunter animam, & voluntatem ad eliciendam supernaturalem dilectionem: ergo. *Ad 1.* concessā 1.p. ant. N. 2. Ad prob. N. min. Licet enim fides, & spes maneant in peccatore fidi, non tamen in statu perfecto virtutis, ob defectum conjunctionis cum gratia, quam connaturaliter, et si non essentialiter, exigunt; adeoque non ita connaturaliter operantur in illo, ac in justo.

192 Ad 2.N.ant. Ad prob. R. disp. esse, quia anima influit connaturaliter in operationes supernaturales, radicando facultates proximas ordinis supernaturalis, residentes in potentiis, nequit autem constitui radix facultatum supernaturalium, per facultates ipsas radicatas; aliās idem radicaret se ipsum: sicut si causa constitueretur talis per effectum, idem se ipsum causaret: unde, præter virtutes infusas, redentes potentias proximè operativas supernaturaliter, requiritur gratia habitualis immediatè afficiens animam, illam constituens virtutum infusarum radicem, & connaturale radicale operationum supernaturalium principium. Ut autem anima sit absolutè potens proximè supernaturaliter operari, præfata radicatio non exigitur: ideoque valet constitui potens sic operari, per auxilium mediatè afficiens ipsam, & immediatè potentias. Et benè nota, quod posse proximum connaturale, est posse ratione formæ permanentis, ut connaturaliter existentis, qualiter non existunt virtutes infusæ à gratia separatae.

193 Opp. 5. cont. id quod diximus N. 186. nempè, potuisse absolutè Christū absque gratia habituali, supernaturaliter mereri. Actus vitales naturales adeò essentialiter dependent ab anima, ut à nullo alio principio procedere possint: ergo vitales supernaturales (quales sunt meritorii) sic pen-

100 *Tractatus II.*

dent à gratia habituali. *Resp.* disp. esse , quia gratia habitualis non est ita rigorosè natura in ordine supernaturali, sicut anima in naturali; hæc enim immediate recipit suas proprietates ; secùs gratia virtutes infusas ; adeòque licet actus vitales naturales essentialiter pendeant ab anima ; supernaturales tamen connaturaliter dumtaxat dependent à gratia habituali : Unde sicut hæc conseq. non tenet : *Potentiae spirituales vitales rrcipiuntur in anima, eas radicante : ergo proprietates ordinis supernaturalis immediatè subjectantur in gratia, eas radicante ;* ita ista non tenet : *Actus naturales vitales essentialiter pendent à principio radicali vita naturalis : ergo actus supernaturales vitales, à principio radicali vita supernaturalis.*

D U B I U M II.

Utrum à primo conceptionis instanti, fuerint in Christo Domino virtutes omnes, illius dignitati, & beatitudini non repugnantes, Spiritus Sancti dona, & gratiæ gratis datae?

194 **C**oncl. est affirm. & quoàd 1. p. constat ex dictis tom. 2. à N. 727. Et quidem de virtutibus per se infusis, est com. & D. Th. hic a.2. constatque illius rat. consequuntur enim, veluti proprietates essentiam, ipsam gratiam habitualem , quæ (ut ex dictis constat) fuit in Christo à primo conceptionis instanti , & quidem cum summa intensione de lege ordinaria possibili. Excipimus autem cum S. Th. hic a.3. & 4. & in 3. d. 13. fidem, spem, & pœnitentiam, quia fides , & spes repugnant Christi beatitudini; pœnitentia verò, illius dignitati , & impeccabilitati. De virtutibus autem per se acquisilibus , quatenus asserit eas verè fuisse in anima Christi , est etiam com. cont. Lorc. Et meritò , erant quippè necessariæ , ut promptè , facile , & suaviter eliceret actus naturales honestos, unioni hypothaticæ , & visioni beatæ non repugnantes.

Qua-

195 Quatenus verò affirmat , illas habuisse à conceptione , est probabilior cont. Nazar. Arauj. Cipull. aliosque. Prob. autem , quia id dignius , & perfectius est , quàm illas decursū temporis suis actibus comparasse , id enim necessariò supponeret illarum parentiam , quæ magis dignitati Christi præjudicat , quàm earum acquisitio illi conferret: hujusmodi enim virtutes (ad differentiam intellectualium) constituunt *simpliciter bonum* habentem , juxta D. Th. 1. 2. q.56. a.3. earum verò acquisitio , solum secundum quid. Eodem principio ostendit D. Th. infra q.19.a.3. Christum non meruisse gratiam , nec animæ beatitudinem , quia scilicet , dignius , & perfectius est illas semper habere , quàm illis aliquando carere , prout ad meritum exigitur. Cum autem prorsùs impossibile appareat (ob animæ Christi finitatem) Christum omnes earum virtutum actus , saltem internos , unicō momentō elicuisse ; tenendum est , illas nec tunc comparasse , sed per infusionem accepisse , ut communiter docetur cont. Illust. Herreram , Cabreram , & Contenionum.

196 Quoād 2.p. (suppositis , quæ de hujusmodi donis diximus t.2. à N. 732.) est diffinita con. Pet. Albaylard. ab Innoc. II. ut liquet ex hujus Epist. ad D. Bern. quæ est 194. & refert Castrus verbo *Christus hæresi* 9. Prob. autem. Tum ex illo Isaiae 11. Requiescat super eum Spiritus Domini , *Spiritus Sapientie* , & intellectus , &c. ubi est sermo ad literam de Christo secundum humanitatem , juxta PP. Tum quia dona illa sunt perfectiones quædam potentiarum animæ , prout sunt mobiles à Sp.S. sed anima Christi perfectissimè movebatur à Spiritu S. secundum illud Lucæ 4. *Jesus autem plenus spiritu s. regressus est à Jordane* , & agebatur à Spiritu in Desertum. Tum quia illa consequuntur gratiam habitualem , quæ plenissimè fuit in Christo. Vide D. Th. hic a. 5. Ultima demum p.concl. prob. à D. Th. a.7. tum ex Aug.ep. 57. dicente , quod sicut in capite sunt omnes sensus , ita in Christo fuerunt omnes gratia. Tum quia gratiæ gratis dataæ , cum ordinentur ad spiritualis doctrinæ manifestationem , debent esse in Doctore fidei : ergo omnes illæ fuerunt excellenti-

simè in Christo , primò , & principali fidei Doctore .

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

197 Opp. 1. cont. 1. p. Gratia unionis perfectissimè constituit humánitati facultatem rectè operandi supernaturaliter , cùm eam reddiderit impeccabilem : ergo superfluunt virtutes infusæ , quæ ad præstandam facultatem illam desiderantur . Præt. Gratia habitualis (quæ plenissimè fuit in Christo) sufficit ad omnia rectè agendum , juxta illud 2. Cor. 12. *sufficit tibi gratia mea* : ergo . Præt. Nullæ fuerunt in Christo passiones immoderatae ; imò nec potuerunt esse : ergo nec fortitudo , & temperantia , illarum moderatrices . Adhac : In appetitu Christi sensitivo nulla prorsùs fuit inclinatio in bonum contra rationem , nè quidem per modum actus primi , cùm nullus fuerit peccati fomes : ergo nec ulla difficultas per virtutum superanda . Præt. Christus non habuit justitiam vindicativam , magnanimitatem , magnificentiam , liberalitatem , philotimiam , eutrapeliam , cùm earum actus nunquam elicuerit : Nam vindictam nunquam expectavit , divitias , & honores contempnsit , ludis ac jocis non vacavat : ergo cùm virtutes invicèm connectantur , juxta dicta tom. 2. à N. 703. nullas prorsùs habuit . Tandem quia semper operatus est ex motivo supernaturali : ergo nullam faltem habuit virtutem acquisitam , seu naturalem .

198 Ad 1. N. ant. aliàs Verbum fuisset unitum potentissimæ animæ Christi in ratione principii operativi quò , adeòque illas informasset , quod planè repugnat . Ad prob. inclusam , N. conf. quia impeccabilitas oritur ex impossibilitate quòd suppositum divinum sit principium quod operationis peccaminosæ . Ad 2. respondet D. Th. a. 2. ad 1. gratiam sufficere quidem homini ad omnia quibus ad beatitudinem ordinatur ; sed horum quædam immediate ab ipsa præstari , ut gratum facere Deo , & hujusmodi ; quædam autem , mediatis virtutibus ex ipsa procedentibus . Ad 3. resp. ibidem ad 3. N. conf. Imò præstatæ virtutes , eò perfectiores sunt , quò subjectum magis caruerit passionibus pravis : Nam per se primò ordinantur ad electionem rectam , & rationi consonam eliciendam ; & solum ex consequenti , &

& secundariò , ad frenandas passiones , si fortè contra rationem insurgant ; quemadmodùm gratia perfectissimè reperitur in subiecto, peccati experte, imò incapaci , quia illa ad hujus expulsionem secundariò solùm , & in suppositione quòd in subiecto sit, ordinatur. Vide dicta tom. 2. N. 643.

199 Ad 4. omissis variis solut. R. cum Godoy N. conf. Cùm enim appetitus Christi quoàd entitatem , ejusdem sit rationis cum nostro ; ratione propriæ entitatis non est completè & perfectè inclinatus ad actum naturalem honestum : quia nimirùm, inclinatio naturalis ad bonum sensibile, entitativè sumpta, minuit inclinationem ad bonum ratione conforme : indiget ergo aliquâ virtute supperadditâ, ut promptè , & faciliter eliciat actum naturalem honestum , adhuc extinctō fomite per unionem , gratiam , & virtutes infusas ab ista profluente s. Sicut proptereà in Adamo innocentे (fomitis prorsùs experte) & Sacratissimâ Deiparâ (in qua erat ligatus) necessariæ fuerunt virtutes naturales ; & in Voluntate Christi (extinctō fomite) iustitia acquisita ad bonum proximi facile naturaliter prosequendum.

200 Ad 5.R. 1. N. ant. Ad prob. N. ant. Ad prob. 1.p. N. ant. dupl. enim iustitiæ vindicativæ actum (à D. Th. expositum 2.2.q. 108.a. 1. ad 2.) verè exercuit ; nam Joan. 8. peccati ultiōnem expetiit, juxta Aug. tract. 33. dum dixit: *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* Et injurias sibi illatas , defendendo propulsavit. Tum respondendo Judæis , *Ego dæmonium non habeo* , &c. Tum vendentes & ementes de Templo eliciendo. Ad prob. reliquarum. Imprimis N. conf. nam tales virtutes optimè exercentur, earum materiam penitus contemnendo , ut docet D. Th. hic a. 2. ad 3. Resp. deinde , liberalitatem exercuisse faciendo pauperibus erogari , quæ sibi dabantur , ut subdit S. D. magnificientiam verò , dum 3. millia hominum pavit : philotimiam demùm , parvum honorem acceptando , dum Turbae clamarent, *O sanna Filio David* , &c. quamvis omnes ejus actiones essent dignæ magnô honore , ex parte Personæ.

201 Resp. 2. ad 5. arg. N. ant. Ad prob. datò ant. N. conf. Nam ut præfatæ virtutes fuerint in Christo , sufficit, quòd

quod ipsi ab intrinsecō non repugnaverint interiores earum electiones, quae sunt principales earum actus, cum virtutes morales sint habitus electivi: Nullius autem prædictarum virtutum electio efficax repugnavit ab intrinseco Christo, nē Eutrapeliae quidem, unde & istam habuit, quamvis ludos nunquam efficaciter elegerit, sed conditionatè duntaxat, dedebeat enim ipsum, magna tractantem, ludis distrahi; unde de illo, flevisse sæpius, risisse nunquam legimus. Hinc infer cum D. Th. & Cajet. 2.2. q. 168. a. 2. ad 1. peccare Concionatores, jocos & ludos doctrinæ Sacræ, (quæ maximis rebus intendit) admiscentes.

202 Nota autem, ut instantias contra dicta præcludas, quod actus conditionati circa materiam omnino impossibilem, non sufficiunt ad constituendam virtutem in subjecto; alias ponendæ essent in Angelis virtutes passionum moderatrices, & in dæmonibus peccata carnalia. Si verò actus conditionati versentur circa materiam absolutè possibilem ipsi personæ, licet impossibilem ex aliquo accidentalí statu, permanere potest in subjecto virtus circa tales actus. *Hinc* pœnitentia fuit in Protoparente innocentia, & manet in Beatis: Similiter magnificentia esse potest in paupere, virginitas in corrupta, &c. Secùs pœnitentia, fides, pia affectio, & spes in Christo. *Nota* præt. quod licet operibus Christi maximus, imò infinitus deberetur honor ex parte valoris & dignitatis personalis; non tamen ex parte valoris ab objecto desumpti; unde ex hoc capite poterant esse digna mediocri honore, à philotimia appetendō. *Ad ult.* Dist. ant. ex motivo supernaturali extrinseco, seu operantis, C. intrinseco, seu operis, N. Unde non sequitur, nullum exercuisse actum substantialiter naturalem, sed solum nullum exercuisse, ad finem supernaturalem non ordinatum.

203 Opp. 2. cont. eandem. Perfectius est habere virtutes per se acquisibiles, propriō labore comparatas, quām infusas: ergo. *Præt.* Habere per proprium laborem præfatas virtutes, est modus connaturalis illas habendi: ergo illas sic habuit Christus, sicut sic habuit scientias naturales,

propter idem. *Ad 1.* N. ant. ob dicta N. 195. quia nimirum cùm faciant bonum simpliciter habentem; earum carentia magis dignitati Christi & perfectioni præjudicat, quam per acquisitionem accrescat; acquisitio autem (sicut & meritum) non est nisi ejus, quòd nondum habetur. *Ad 2.* N. cons. modus enim ille connaturalis officit majori perfectio- ni, ob modò dicta. Ad prob. N. causalem: Sed ideo non habuit infusas ab initio scientias naturales, quia harum carentia(ad acquisitionem exacta)non officit majori perfectio- ni; virtutes enim intellectuales, ad differentiam moralium, non reddunt habentem simpliciter bonum, ut ex D. Th. dictum est. Et insuper quia aliàs intellectus agens animæ Christi frustraretur propriò actu primariò, & adæquatò, nempè, abstractione speierum, adeòque ille esset frustrà: Ex infusione autem ab initio virtutum moralium naturalium, nullius facultatis Christi frustratio sequitur; quia nulla facultas appetitiva est primariò acquisitiva virtutum, sed secundariò dumtaxat & ex consequenti.

204 Sed instabis cont. hoc discrimen: Quia inde se queretur, prudentiam naturalem non fuisse per accidens infusam animæ Christi, sed decursu temporis comparatam: Aequè enim pendet prudentia à speciebus impressis, ac scientiæ naturales; sed consequens est falsum, aliàs nec virtutes morales naturales fuissent sic infusæ, cum istæ sine prudentia esse nequeant, ut ex Phil. & D. Th. diximus t. 2. à N. 689. ergo. Rueret insuper ratio ipsa discriminis; cùm prudentia sit etiam virtus moralis, imò earum regina; adeòque illius carentia, æquè, vel potius præjudicaret perfectioni Christi, quâm reliquarum defectus.

205 Huic sane difficile replicæ, omisâ solut. Asturiensis (cui subscriptit Gonet, & quam validè rejicit Godoy) Resp. cum isto, & M. Bolivar, concessâ maj. N. min. *Ad 1.* prob. Resp. virtutes morales, non essentialiter, sed connaturaliter solum exigere, ad sui existentiam, prudentiem naturalem: Adeòque absolute esse potuerunt in anima Christi sine tali prudentia, sicut fuerunt infusæ, tametsi connaturaliter exigerent actibus comparari. *Ad 2.* quæ urgentior est,

est, N. sequel. Ad prob. Resp. disp. esse; nam ex infusione prudentiae naturalis, sequeretur aliud inconveniens, quod majus reputamus, quam carere aliquando illius bonitate; nempè, quod intellectus agens eset frustraneus, quod ex infusione reliquarum non sequitur.

206 Sed adhuc instabis: Sicut prudentia ad proprios actus indiget speciebus; pariter reliquæ virtutes morales indigent cognitioni naturali dirigente & regulante, quæ sine speciebus naturalibus dari non potest: ergo æquè inconvenit infundi virtutes morales sine speciebus, ac prudentiam: ergo. N. ant. Actus enim virtutum moralium regulari possunt cognitione supernaturali, & ad objectum supernaturaliter cognitum ferri, quamvis id non exigant: unde ad illos eliciendos non indiguit anima Christi speciebus naturalibus: cognitione autem prudentiae naturalis, sine specie naturali esse nequit quæ potest. Et ratio discriminis est, nam repræsentatio objecti est mera conditio ad actum voluntatis; Respectu autem actus intellectus (qualis est actus prudentiae) repræsentatio se habet ut ratio formalis; adeòque nequit actus prudentiae esse naturalis, si repræsentatio speciei supernaturalis sit; prudentia autem naturalis non potest elicere, nisi actum naturalem.

207 Opp. 3. cont. 2. p. Timor refugit malum imminens, vel pœnæ, si sit servilis, vel culpæ, si filialis; sed Christus non potuit apprehendere ullum malum culpæ, aut pœnæ ut sibi imminens, cum esset omnino impeccabilis, & securus: ergo in Christo non fuit donum timoris. Omissâ (tanquam falsâ, & complicatoriâ) solutione Durandi, concedentis Christo timoris habitum, & negantis possibilitatem actus: quippè impossibilitas actus, impossibilitatem habitus infert, cum actus possilitas specificet habitum: Resp. Dist. maj. timor communiter dictus, & condistinctus contra donum, C. Timor qui est donum, subdist. Refugit malum imminens primariò, N. secundariò, iterum subdist. Si sit anxius (qualis est in viatoribus) C. si tranquillus (qualis solùm reperitur in beatis) N. & concessâ min. Dist. conf. Non fuit in Christo donum timoris anxii, solliciti, & à ma-

lo præcaventis, C. securi, & tranquilli, N.

108 Solutio est D.Th. h̄c a.6. ad 1. dicentis: *De ratione doni timoris non est illud malum, quod respicit timor (scilicet communiter dictus;) sed eminentia illius boni, cuius potestate aliquod malum infigi potest*: Sentit ergo, quod primarius actus doni timoris, non versatur erga malum ut infligendum, sed circa bonum, ut inflictivum mali. Et rationem reddit S.D. in 3.ad Anib. d.34. q.2. a.1. quia nimis, timor, non respicit malum, nisi mediante causâ, à qua potest provenire, in quo differt à tristitia, respiciente illud ut praesens, & extra causas positum: adeoque non est contra rationem timoris, quod dum elevatur ad rationem doni, principalius causam respiciat, quam effectum.

209 Actus igitur primarius doni timoris, est subjectio reverentialis ad Deum ob infinitam ejus eminentiam; non quidem absolutè sumptam (qualiter & à charitate, & à quavis virtute Deum attingente, respicitur;) nec ut bene activam (sic enim attingitur in obliquo à religione, & directè à spe;) sed ut terribilem, seu ut lādere potentem: sic enim tremere facit creaturam, & in propriam parvitatem, & (ut ita dicam) nihilitatem resilire, quatenus considerat illam potentiam, cui non potest resisti: Perfectissimè igitur salvatur affectus reverentialis doni timoris in Christo & Beatis, quia verè considerant divinam eminentiam ut terribilem, & potentem absolutè infligere malum, quantumvis certi sint, nullum sibi imminere posse ex divina determinatione: De essentia enim doni timoris non est fuga mali, ut possibilis ipsi timenti; sed id proprium est timoris qui est passio, & doni timoris vialis, secùs beatifici: unde Ecclesia de Angelis beatis canit in Præf. Tremunt Potestates. Et in Hymno Ascensionis: Tremunt videntes Angeli. De quibus etiam intelligitur (juxta Greg.) illud Job 26. Columnæ Cæli pavent, & contremiscunt ad nutum ejus.

210 Sed instabis 1. quia D.Th. 2.2. q.19. a.9. ad 2.expressè docet, donum timoris non esse virtutem theologicam, quia hæc principaliter respicit Deum, principale autem timoris objectum est malum, quod quis refugit. Nec

valet dicere, loqui ibi S. D. de objecto principalis actus secundarii doni timoris, qui est fuga mali. *Non*, inquam, valet; quia alias non solveret argumentum; solum enim ostenderet, quod donum timoris non esset virtus theologica ex parte actus secundarii, adeoque ostendendum restaret, quod nec esset ex parte actus primarii. *Præt.* Subjectio illa reverentialis (quam ponimus actum primarium doni timoris quoad essentiam) respicit immediate ipsum Deum: ergo donum timoris est essentialiter virtus divina, seu theologica.

211 Ad 1. omissis variis solut. tanquam planè insubstinentibus, Resp. cum J. à S. Th. datam esse optimam. Et ad instantiam in oppositum, N. sequel. & prob. nam in corp. ejusdem art. jam ostenderat, actum primarium doni timoris, seu reverentiam, non esse actum virtutis theologicæ, eò quod impottat, & immediate directeque respicit subjectiōnem passivam sui in ordine ad Deum; adeoque satis ostensum relinquerat, donum timoris ex parte actus primarii non esse virtutem theologicam; hæc enim directe, in recto, & immediate attingit Deum: Solum ergo reliquum erat ostendere, quod nec sit virtus theologica ex parte actus secundarii, qui est *fuga mali*, cum tamen etiam sub ista formalitate sit donum Spiritus S. Et hoc ostendit ex eo, quod principale objectum ejus sub ista formalitate, est malum quod quis refugit, & cum non refugiat Deum ut malum, non habet istum pro objecto; ac proinde non est virtus theologica. Ad 2. N. ant. dictum est enim, respicere directe, & immediate subjectionem passivam ad Deum: sicut Religio cultum passivum in ordine ad Deum. Et per hæc patet ad omnia, que in opp. urget D. Godoy. Solutiones autem quas ipse (nostrâ, aliisque rejectis, adhibet) nobis omnino displicant.

212 Ut alia argum. contra eandem p. facile solvas, recole dicta tom. 2. N. 737. circa permanentiam donorum in patria. Et vide omnino D. Th. t. 2. q. 68. a. 6. Et nota bene, quod essentia doni consistit in hoc quod reddat subjectum facile mobile, & dispositum ad motus Spiritus S.

convenientes, & proportionatos statui in quo existit: Unde invariata essentiâ donorum, diversa hîc, & in Patria habent officia, & actus, quos optimè explicat S. D. ibidem ad 2.

213 Opp. tandem cont. ult. p. Christo repugnat fides theologica ratione obscuritatis: ergo & gratia fidei, quæ etiam est obscura. Præt. Prophetia importat quandam obscuram, & imperfectam notitiam: ergo repugnat Christo, omnia plenè, & perfectè noscenti tûm scientiâ beatâ, tûm infusâ. Ad 1. (quô immerito convincitur Valentia) N. cons. & prob. Nam de ratione talis gratiæ, non est obscuritas rerum fidei; sed certissima illarum cognitio, aut constantia in confessione veræ doctrinæ, quorum neutrum Christo repugnat. Ad 2. Resp. ex D. Th. hîc, & 2. 2. q. 171. a. 1. quod prophetia essentialiter est eorum, quæ procul sunt ab hominum Prophetæ conviventium notitiâ; adeoque accedit prophetiæ, esse claram, vel obscuram: Nec ad illam pertinet, quòd Deus, aut Beati annuntient nobis ea, quæ procul sunt à nostra cognitione, cùm in nullo nostrum statum attingant. Abeat ergo Abul. negans q. 64. in cap. 11. Num. Christum fuisse verè, & propriè Prophetam, cont. illud Deut. 18. *Prophetam suscitabit Deus de fratribus vestris*, quod de Christo dictum, teitatur Petrus. Act. 3. 3. & illud Domini de se ipso Matth. 13. & Joan. 4. *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua*: quæ strictè accipienda sunt, cùm nullum inde sequatur absurdum.

DUBIUM III.

An, & qualiter Gratia habitualis Christi fuerit infinita?

211 **A**nte resol. supp. cum D. Th. hîc a. 9. & 10. fuisse in Christo plenitudinem gratiæ habitualis, tâm *formalem*, seu ex parte ipsius gratiæ, quam *subjectivam*, seu ex parte habentis illam: *formalem* quidem,
quia

quia habuit gratiam, & in maxima excellentia, quâ potest haberi, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus. Et hæc gratiæ plenitudo est propria Christo, quia tribuitur illi ut unigenito à Patre; unde solus Christus habuit plenitudinem gratiæ, quantum ad essentiam, & virtutem. *Subjectivam* verò, quia habuit gratiam intensam usque ad terminum ei præfixum, & sufficientem ad omnia pertinencia ad suum Redemptoris officium. Et licet plenitudo gratiæ subjectiva non sit propria Christo, sed communicetur aliis per ipsum; in illo tamen coincidit cum plenitudine formalis; nam inter gradus gratiæ, quos Deus impertiri decrevit, supremum Christo tanquam Unigenito suo concescit. Et hinc infertur, gratiam Christi habitualem longè excedere omnem collectionem gratiæ Angelorum, & hominum. Hoc supposito, sit

215 Concl. *Gratia habitualis Christi non est simpliciter, seu absolutè infinita physicè, sed moraliter solum.* Est com. Thomist. cont. quodam Veteres afferentes, fuisse utrōque modō infinitam, & cont. Scot. Dur. Vazq. aliosque, docentes, neutrō modō fuisse talem, quibus adhæret ex nostris Godoy. *Quoad 1. p. constat Tum rationibus, quibus 3. Physic. demonstratur, repugnare quodvis infinitum in actu, seu cathegoreticum.* *Tum*, quia est in anima Christi, finitæ capacitatib; quam non excedit gratia. *Tum* quia alias ei corresponderent lumen, & visio, pariter infinita, quibus videretur Deus infinitè, & comprehensivè, quod repugnat. *Quoad 2. verò p. constat Tum, quia PP. absolutè, & sine addito, vocant gratiam Christi habitualem infinitam.* *Tum* quia ex conjunctione ad Verbum fuit principium quo operationum valoris simpliciter infiniti in ratione meriti, & satisfactionis: ergo, & ipsa est pariter infinita in genere moris. Conf. tenet, tota enim perfectio effectus præhabetur in causa. Ant. autem constat, quia opera meritoria, & satisfactoria Christi, non procedunt à Persona Verbi, nisi ut à principio *quod*: ergo à sola gratia procedunt, ut à primo formali principio *quo*. Et hanc rationem tradit D. Th. 3. ad Anib. d. 13. q. unica, a. 3. ubi probat, gratiam Christi

sti fuisse infinitam, quia concurrerbat ad actum potentiae infinitae, cui erat unita.

216 Præter hanc infinitatem moralem, ad munus gratiæ utique pertinentem, fuit insuper physicè infinita in ratione gratiæ, & gratificandi, non quidem simpliciter, sed secundum quid. *Primum* constat, quia data fuit Christo, ut universalis principio gratificationis; adeoque non secundum mensuram, sed in summo gradu, quô conferri potest de potentia ordinaria, extendique potest ad infinitorum hominum satisfactionem. *Secundum* etiam liquet; quamvis enim gratia Christi ad omnes effectus gratiæ possibilis se extendat; non tamen illos exequitur infinitè: unde nec in esse gratiæ est simpliciter infinita, nec talem esse, D. Th. affirmat a. 11. sed solùm, quod potest dici infinita. Et hinc colliges, gratiam Christi in esse physico, non posse augeri de potentia ordinaria, secùs de potentia absoluta. Sed in esse moris, neutiquam. Et ita expressè docet D. Th. a. 12. ad 2.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

217 Opp. 1. cont. supp. Gratia habitualis, & derivat omnes virtutes infusas, & peccatum expellit, quatenus operans; sed neutrum præstare potuit Christo, carenti fide, spe, omnique peccató, etiam possibili: ergo non fuit in illo gratiæ plenitudo. *Præt.* Beariss. Virgo dicitur *gratiâ plena* Lucæ 1. Stephanus etiam A&t. 7. plenus gratiâ prædicatur: Apostolus demùm Ephes. 3. omnem plenitudinem Dei fidelibus optat: ergo plenitudo gratiæ non est propria Christi. *Ad 1.* resp. D. Th. a. 9. ad 1. & 2. quod fides, & spes nominant effectus gratiæ cum defectu ex parte recipientis gratiam. Est enim fides de non visis, & spes de non habitis; ideoque illas non habuit Christus: quidquid tamen perfectionis est in illis, perfectius habuit. Gratia autem habitualis, quæ operans, per se justificat; justificare autem ex impio, aut peccatum expellere, accedit gratiæ ex parte subjecti. *Ad 2.* respondet a. 1. ad 1. & 2. Beatissimæ Virginis, Stephano, aliisque Sanctis, non competere gratiæ plenitudinem Christo propriam, scilicet *formalem*; sed solùm *subjectivam*, secundum statum, ad quem Deus eos elegit;

git ; quæ plenitudo est major , aut minor , pro statuum varietate. Paulus autem optat Ephesiis plenitudinem omnibus Sanctis communem , ut scilicet habeant gratiam sufficientem ad merendum vitam æternam. Recoletus N. 214.

218 Opp.2. cont.1.p.concl. illud Joan. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum , nempè Filio , juxta PP. ergo data fuit Christo gratia immensa , adeoque infinita.* Præt. Gratia Christi virtualiter continet infinitos effectus,nempè, infinitorum hominum salutem : ergo est physicè infinita intensivè. Præt. Quia aliàs posset gratia puri hominis æquare , imò,& superare , intentionem gratiæ Christi , quod est inconveniens : ergo. Ad hæc Christus de facto tantam habuit gratiam , quantam haberet , si illam sibi meruisset ; sed in ea hypothesi haberet infinitam , ob meriti infinitatem: ergo. Tandem. Stat supernaturalitas gratiæ cum naturalitate potentiae receptivæ : ergo,& infinitas gratiæ cum limitatione , & finitate animæ: ergo ruit rat. D.Th.

219 Ad 1. Resp. verba intelligi quidem singulariter de Christo , non modò ratione doni quod dedit illi Pater ab æterno , aut concessi humanitati Christi per incarnationem; sed etiam ratione gratiæ habitualis, ut ex Aug. docet D.Th. hic a.11. ad 1. Imò hanc tertiam expositionem reliquis preferendam censet D. Ang. q.29. de verit. a.3. in corp. unde jurè reprehenditur Vazquez , illam absque ullo fundamento dari , audacter prænuntians. Inde tamen solùm sequitur , gratiam Christi esse summam de lege ordinaria, extensivè , & moraliter infinitam , juxta superius dicta , secùs intensivè. Ad 2.N. conf. ad id enim sufficit infinitas extensiva , & moralis gratiæ Christi. Sic D.Th. ad 2. dicens , *quod gratia Christi habet infinitum effectum : tum propter infinitatem prædictam gratiæ (scilicet extensivam , inquantum se extendit ad omnia quæ sunt gratiæ, ut loquitur ad 1.) tum propter unitatem divinæ personæ , cui anima Christi unita est.*

220 Ad 3.resp. D.Th. ad 3.N. sequel. gratia enim puri hominis comparatur ad gratiam Christi , sicut quædam virtus particularis ad universalem ; unde quantumcumque illa

crescat, non poterit istam æquare: sicut nec virtus ignis virtutem Solis. Responderi etiam potest C. ant. de potentia absoluta, sed N. illud de potentia ordinaria; gratiæ enim concedendæ aliis hominibus præfixit Deus terminum longè inferiorem gratiâ, Christo collatâ, quantumvis intensivè finita; adeòque Begardi trepidaverunt ubi non erat timor. Ad 4. N. min. & prob. nam meritum infinitum nequit terminari ad gratiam intensivè infinitam, planè repugnantem. Ad ult. Resp. disp. esse, quod potentia obedientialis receptiva gratiæ, nequit esse supernaturalis, quia alias, non *obedientialis* foret, sed *connaturalis*, utpote illius introductionem positivè exigens: Proportio autem in ratione finiti, & infiniti, minimè destruit rationem potentiaæ obedientialis; adeòque servanda est talis proportio inter potentiam obedientialem, & formam quam recipere potest: sicut exigitur inter potentiam naturaliter receptivam, & formam receptibilem.

221 Opp. 3. cont. 2. p. Principium infiniti valoris operum Christi D. est ipsummet Suppositum Verbi: ergo non gratia habitualis: ergo hæc non est simpliciter infinita in genere moris. Præt. Ratio entis, & qualitatis, & ratio gratiæ, sunt idem realiter in gratia: ergo repugnat, istam esse simpliciter infinitam in ratione gratiæ, & non in ratione entis, & qualitatis. Postremò: Si gratia Christi, ob conjunctionem ad Verbum, esset simpliciter infinita moraliter in ratione gratiæ, tales forent potentiaæ, & virtutes Christi; imò, & omnia quæ in ipso sunt, in esse talium respectivè; sed hoc est falsum, nam intellectus, & voluntas Animæ Christi, sunt potentiaæ finitæ, juxta D. Th. quod l. 3. a. 3. ad 3. Nec charitas Christi in esse charitatis est simpliciter infinita moraliter, ut vel ipse Asturicen. aliquique sententiaæ nostræ Patroni, ultrò fatentur: Quis autem dicat, albedinem Christi esse infinitam moraliter in esse albedinis? Et idem est de aliis: ergo.

222 Ad 1. Dist. ant. ex dictis. Principium *quod*, C. formale *quo*, N. Ad 2. Dist. conf. Et non in esse gratiæ, *physicè*, & *absolutè* sumptæ, C. *moraliter*, & *respectivè* acceptæ, N.

Gratia etenim Christi in esse gratiæ bifariam sumitur: & *physicè*, seu *absolutè*, ut realiter animæ inhærens (qualiter simpliciter finita est;) & *moraliter*, seu *respectivè* ad suppositum Verbi, cui conjuncta est: Et hoc modò est *absolutè*, seu simpliciter infinita. *Ad ult.* concessâ maj. de potentiis, & virtutibus, N. min. quoad illas. Sicut enim gratiam Christi in esse gratiæ agnoscimus simpliciter infinitam moraliter; pariter, & Christi potentias, & virtutes in esse talium respectivè: omnes enim istæ secundum suas proprias rationes habent specialem habitudinem ad suppositum Verbi, cum sint principia actuum valoris simpliciter infiniti. Nec obstat authoritas D. Th. nam ibi solum negat intellectui, & voluntati Christi infinitatem physicam, quam argumentum, cui occurrit, intendebat. *Albedo* autem Christi, est quidem infinitæ dignitatis, sed non in ratione albedinis, quia prout sic, non dicit specialem respectum ad Verbum. Et idem de aliis esto judicium. Vide Naz. hic controv. 2. & Cipull. a. 11. dub. 1. num. 21.

223 Opp. tandem cum Cajet. cont. Coroll. D. Thomam hic a. 12. ad 2. aperte docentem, Christi gratiam, nec ex parte subjecti, nec ex parte ipsius gratiæ, augeri posse, etiam de potentia absoluta: ergo. *Resp.* loqui S. D. de gratia Christi, moraliter infinita penes respectum ad unionem hypostaticam, quam ratione neutiquam augeri potest. Non autem de illa physicè considerata. Solutio constat ex eodem S. D. sui ipsius Interpretate *tum* ibidem ad 2. dicente, quod virtus divina, licet possit facere aliquid *majus*, aut *melius*, quam sit gratia habitualis Christi; non tamen posset facere, quod ordinaretur ad aliquid *majus*, quam sit unio personalis ad Filium unigenitum à Patre. *Tum* infra q. 10. a. 4. ad 3. ubi examinans, an visio beatifica animæ Christi crescere potuerit de potentia absoluta? apertissime explicat, in quo sensu locutus hic fuerit, dicens: *Sicut supra dictum est de gratia, quod non potest esse major gratia, quam gratia Christi, per respectum ad unionem Verbi: Idem etiam dicendum est de perfectione divina visionis; licet absolutè considerando, possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem divinae potentiae.* Quibus nihil præclarius.

DIS-

DISPUTATIO III.

De Gratia Christi Capitali.

DUBIUM UNICUM.

Utrum Christus, quā homo, ita sit Caput Angelorum, quod Gratiam, & gloriam essentialēm in ipsis influat?

224 **S**upp. ut fidē certum, Christum, quā hominem (sumptō ly quā specificativē) esse Caput mysticum totius Ecclesiæ, juxta illud Ephes. 1. *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam.* Totius inquam Ecclesiæ, secundum utrumque hujus statum, nimirūm, & viæ (qualiter est *Congregatio Fidelium*) & patriæ (qualiter est *Congregatio comprehendētium*) Christus enim fuit simul viator, & comprehensor ; adeòque non solum hominum, sed etiam Angelorum est Caput, juxta illud Col. 2. *Qui est Caput omnis Principatus, & Potestatis, & eadem ratio est de Angelis aliorum Ordinum.* Accedit ratio D. Th. q. 8. a. 1. & 4. Christo enim, quā homini, competit spiritualiter tria, quæ in humano Capite considerantur, nimirūm, *ordo, perfectio, & virtus:* sicut enim caput est prima, & suprema humani corporis pars, in qua vident omnes sensus interni, & externi, præter tactum, & in qua est virtus influendi vitam, & motum in cætera membra: sic Christus respectu Angelorum, & hominum, propinquius se habet ad Deum ; perfectius participat dona ipsis; & de ejus influentia, tām Angeli, quām homines recipiunt: ergo.

225 Hæc ratio tangitur Col. 1. 1. *Ipse est Caput corporis Ecclesiæ, qui est principium (ecce primatum) quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare (ecce perfectionem) & per eum reconciliari omnia (en influxum, & actionem in*

omnia.) *Quamvis* autem Christus, quâ homo, sit absolu-
tè Caput Angelorum, non modò secundum externam gu-
bernationem, & authoritatem dominativam in illos (quod
fidê certum est,) sed etiam secundum influxum interiorem,
&c. nihilominus non est ita propriè ac perfectè illorum
Caput, sicut hominum, ut docet D. Th. a.4. *Tum*, quia
non est ita conformis in natura cum Angelis, ac cum ho-
minibus: *Tum*, quia non influit in Angelos vitam gratiæ,
& gloriam essentiale, ut videbimus. Et sic accipiendi sunt
Doct. Seraph. Sotus, aliique, in speciem suppositioni no-
stræ adversantes, ut ex eorum rationibus liquet, quæ cum
modò insinuatis recurrent.

226 Supp. 2. cum S. Doct. a. 3. Christum esse caput
omnium hominum, exceptis damnatis; diversimodè tamen,
secundum diversos gradus; in actu quidem, tantum bea-
torum, justorum, & fidelium; quia dumtaxat actu sibi
uniuntur, & vivunt vitâ supernaturali gloriæ, gratiæ, & fi-
dei: Reliquorum verò, solum in potentia est Caput; quia
illi uniri possunt per fidem, & charitatem, in quo distingun-
tur à damnatis, qui nec sunt in potentia, ut Christo unian-
tur. Recole dicta circa membra Ecclesiæ, tom. 3. N. 732.
Supp. demùm cum eodem a.5. & 6. gratiam Christi *capita-lem*, seu quâ constituitur caput, esse gratiam habitualem
ipsius, non præcisè consideratam, sed ut unitam divino Sup-
posito. *Primum* constat, quia idem est quô aliquid est
actu, & quô agit: ergo eadem est gratia, quâ Christus est
justus, & quâ justitiam influit. *Secundum* etiam liquet,
quia ex unione ad Verbum habet gratia Christi esse princi-
pium infiniti meriti, & satisfactionis infinitæ. His præsup-
positis,

227 Concl. est neg. D. Th. h̄ic, & alibi sèpè, & com.
Thomist. si per paucos excipias, quibus subscriptit Godoy
disp. 29. n. 117. tametsi à n. 121. sententiam nostram susti-
neat, quia eam in via D. Th. communem agnoscit. Imme-
ritò autem excipitur à quibusdam Cajet. propter duo ver-
ba, quæ facile explicari possunt, & debent, cùm suprà q.
1.a.3. expressè doceat, Deum ablique prævisione meritorum
Chri-

Christi, decrevisse conferre gratiam, & gloriam Angelis. Thomistis adhaerent Vazquez, Delugo, aliquique, cont. Viguerium, Cathar. Galatin. Suarez, Cabr. Valent. & alios.

228 Prob. autem, *Tum quia Christus, nec natus, nec mortuus est pro Angelis, nec illos redemit, ut ex Script. & PP. liquet*: ergo. Prob. conf. & præcluditur solut. P. Suarez; omnis enim gratia ex merito Christi manans, est ab ipso ut Redemptore, & per mortem ejus, quâ omne meritum consummavit pro his quos sanctificavit, juxta illud Hebr. 10. *Unâ oblatione consummavit in aeternum sanctificatos*; unde & gratia, quâ Beatis. Deipara fuit ab originali præservata, fuit à Christo, ut Redemptore, & per mortem ejus: ergo. *Tum, quia si Angelis data fuit gratia ex meritis Christi, futurum fuisset Christi meritum, adeoque Christus venisset, Adamô non peccante; collata siquidem fuit Angelis gratia ante Prothoplaсти lapsum, & prorsùs independenter ab isto; falsitas autem consequentis ostensa est supra à N. 38.*

229 *Tum quia omnes qui sanctificantur ex meritis Christi, vocantur pueri, & fratres ejus, Hebr. 2. sed Angeli non possunt vocari Pueri, & Fratres Christi, tales enim vocantur ibidem illi, qui communicaverunt carni, & sanguini, quod Angelis repugnat, cum sint puri spiritus: ergo. Tandem à posteriori: Quia alias Angeli non fuissent glorificati ante Christum, non secus ac antiqui PP. quibus collata fuit gratia ex meritis Christi venturi; sed conseq. est hæreticum, dicente Christo Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*: ergo. Et hinc rejecta manet sententia Alturic. & Cippulli, afferentium, Angelos, & ex mera liberalitate, & ex meritis Christi, gratiam accepisse.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

230 Opp. i. cont. i. supp. Christus, quâ homo, non dat Ecclesiæ gratiam, cum non det Spiritum S. juxta Aug. ergo nec influit in membra, sensum & motum spiritualem: ergo. Præt. Christi, quâ hominis, est Caput Deus, juxta illud i. Cor. 11. *Caput Christi Deus*: ergo ipse non est caput; capit is enim non est aliud caput. Tandem, quia alias esset membrum Ecclesiæ, caput enim est essentialiter membrum.

Conf.

Cons. autem est falsum, quia membrum dicit dependētiam: ergo. *Ad 2. resp. D.Th. a.1. ad 1. & infrā q. 64. a.3.* Christum, ut Deum, dare gratiam & Spiritum S. *authoritativè*; ut hominem verò, *meritorie*, & *efficienter i nstrumentaliter*, quatenus humanitas est instrumentum coniunctum divinitatis ejus; unde & habet quandam principalitatem & causalitatem in instrumenta extrinseca, seu Ministros Ecclesiæ, qui etiam dant ministerialiter Spiritum S. & gratiam.

231 *Ad 2. resp. D.Th. h̄ ad 2. N. cons.* quamvis enim capitis naturalis non sit caput aliud; capitis tamen metaphorici & moralis, quamoptimè; nam pater familias, seu caput domūs, v. g. habet supra se caput Rectorem Civitatis. *Ad ult. Dist. ant.* Eſſet membrum Ecclesiæ, ut habentis Caput Christum, ut Deum, C. ait enim Apost. 1. Cor. 12. *Vos corpus ejus, & membra de membro.* Ut habentis Caput Christum, ut hominem, N. Sic D. Th. in 3. d. 13, q.2. a.6. Ad prob. ſequelæ, quatenus ſolutioni adverſatur, *Resp.* verum eſſe ant. de capite naturali, ſecūs de metaphorico: Christus enim appellatur Leo, & Agnus, non tamen brutum; & Deus dicitur ignis, non tamen elementum. Et ratio eſt, quia prædicatio per metaphoram, fundatur in imitatione, quæ potest fieri in uno prædicato, & non in alio. Vide alias expositiones laudati teſtim. *Apoſt. apud Godoy disp. 28. n. 12.*

232 *Opp. 2. cont. eandem.* Christus, quā homo, nec convenit in natura cum Angelis; nec istorum eſt sponsus, cùm illos non redemerit, aut ſuō ſibi ſanguine deſponsaverit; nec demū in illos influit fidei, gratiæ, aut gloriæ efflentiaſis vitam: ergo. *Resp.* ex dictis N. 225. rationibus illis convinci quidem, Christum, quā hominem, propriūs ac perfectiūs hominum, quām Angelorum, eſſe Caput; quod ultrā ſatemur cum D. Th. imò opinamur, nihil aliud voluiffe D. Bonav. & Scotum. Sed neutiquām illis ſuaderi, Christum, quā hominem, non eſſe verè, propriè, & abſolutè Angelorum Caput, ad quod ſufficit convenientia generica in natura intellectuali, & influxus in illorum illuminationem, gloriam, & gaudia accidentalia, tametsi defit convenientia atoma, qualis ſponſum inter & ſponſam de-

fideratur; impropriè tamen sponsus Angelorum dici potest Christus, ut Bern. afferit, & insinuat D.Th. in 4.d.49. a.4.

233 Opp. 3. cont. 2. supp. Fideles peccatores non vivunt vitâ gratiæ, quâ vivit Ecclesia: ergo licet sint hujus partes, non tamen membra: quemadmodum capilli, unguis, & humores, partes quidem sunt humani corporis, non tamen membra, quia non vivunt principali corporis vitâ, nempè, sensitivâ. Præt. D.Th. in 3. d.13. q.2. a.2. qq.2. in corp. expressè docet, fideles peccatores, non posse dici membra Ecclesiæ propriè, sed solum æquivocè: ergo. Ad 1.N. conf. docet enim D.Th. hic, a.3. ad 2. quòd fidelis in mortali existens, quamvis sit Ecclesiæ & Christi membrum, imperfectum tamen, & secundum quid, ad cuius rationem sufficit quòd vivat actu vitâ imperfectâ; & in potentia, vitâ perfectâ totius. Adducta autem in exemplum, non vivunt vitâ sensitivâ, nec in potentia quidem; adeòque neutiquam sunt corporis membra, sed partes dumtaxat. Ad 2. Resp. vel retractasse D.Th. hic, quòd ibi docuit; vel ly æquivocè, non strictè sumpsisse, sed prout idem est, ac imperfectè, & secundum quid.

234 Missa hic facimus fundamenta, quibus Cajet. Bellar. aliique probare nituntur, cont. eandem supp. infideles baptizatos, & maximè occultos, esse actu Ecclesiæ & Christi membra; nullum enim nobis negotium faceſſere valent, cùm neutiquam suadere possint, aliquâ illos fidei, dilectionis, aut visionis vita frui, quâ Christo actu uniantur. Character autem baptismalis, fidè non subſecutâ, vera Christi membra non efficit, sed apparentia; aliàs, & damnati (illum utique retinentes) vera effent Christi & Ecclesiæ membra, contra expressam D.Th. hic, & communem sent. quidquid Cajet. admittat. Pontifex autem in hæresim occultè lapsus (ut Bellarmino occurramus) effet quidem verè Ecclesiæ caput, secùs membrum: istud enim constituitur per terminationem influxus vitalis in ſe; illud verò per influxum, & jurisdictionem in alios, quam verè retineret, ut potè à fide independentem, & quæ exerceri potest per membra adæquatè mortua supernaturaliter: ſicut potest ho-

homo in alios agere per membra mortua , juxta D. Th. in 3. d. 13. q. 2. a. 2. Et quidem si Papa manifestus foret hæreticus , verum Ecclesiæ membrum non esset, vel ipsō Bellarmino annuente ; retineret nihilominus veri Capitis dignitatem, quoisque ab Ecclesia deponeretur, juxta communem & veram sent. quidquid Bellar. dicat , aliàs nunquam posset ab Ecclesia deponi.

235 Opp.4. cont. ult. supp. Gratia unionis est in Christo prior , perfectior , & derivans valorem infinitum satisfactionis & meriti ipsius : ergo illa , & non habitualis , dicenda est capitalis. Præt. Si nulla Christo data esset gratia habitualis , adhuc esset caput omnium hominum ; posset enim tunc mereri mediante auxiliō fluidō , juxta dicta N. 186. ergo. Ad 1. N. conf. Gratia enim capitalis illa dicenda est , quæ sit prior in ordine supernaturali, non hypostatico, perfectior in ratione principii quo operativ i, derivans efficienter valorem satisfactionis & meriti infinitum ; quæ soli gratiæ habituali , ut radicatæ in gratia unionis , convenient , juxta dicta : tametsi gratia unionis sit absolutè prior & perfectior habituali , præsumtumque valorem formaliter derivet. Ad 2. Resp. fore tunc hominum caput ; sed diverso modō ; non quidem per gratiam unionis , sed per auxilia fluida : Quæ quidem , cùm gratiam permanentem non presupponerent , sicut modō ; quamvis nihil tunc radicarent , gratia capit is dici possent , tametsi non ita perfecta sicut nunc est gratia habitualis.

236 Opp.5. cont. concl. authoritatem , Tum Scripturæ afferentis Rom.5.gratiā Christi in plures abundasse , quām Adæ delictum, adeoque etiam in Angelos. Ephes. 1. proposuisse Deum in Christo instaurare omnia , quæ in Cælis sunt , & quæ in terra. Et Apoc. 12. viciisse Angelos diabolum per sanguinem Agni. Tum Hieronymi in cap. 1. Ephes. dicentis: Crux Salvatoris, non solum ea qua in terra , sed etiam ea qua in Cælis erant , purgasse perhibetur. Tum Bern. ser. 22. in Cant. docentis, Christum fuisse Angelis redemptionem , justitiam , sapientiam , & satisfactionem. Tunc demum D. Th. lect. 10. in cap. 1. Joan. ubi docet , quod etiam omnes Angeli de

de plenitudine ejus acceperunt. Et q.7. præced.a.9.dicit, quod plenitudo gratiæ fuit data Christo, ut universalis principio habentium gratiam.

237 Ad 1. test. Scrip. resp. D.Th. ibi lect. 5. ex Aug. ly in plures non sumi ibi comparativè, sed absolute, ut sensus sit, quod si delictum unius Adæ processit in multos, multò magis gratia unius Christi in multos. Ad 2. resp. S.D. ibi lect. 3. per Christum restaurari Angelos, non quod pro illis mortuus sit; sed quia redimendo hominem, ruinas Angelorum implevit. Ad 3. Resp. sermonem ibi esse, non de Angelis, ut potè animam non habentibus, sed tantum de hominibus, seu fratribus accusatis, qui non dilexerunt animas suas usque ad mortem, ut ex contextu liquet. Ad test. Hier. (quod sanè nihil prorsùs erroris continet, quidquid Vazquez audiat, cùm nihil amplius exprimat, quam illud Job 41. Timebunt Angeli & territi purgabuntur.) Resp. ex eodem Doctore Max. sui ipsius Interpretè, sensum esse, quod Crux Christi purgavit homines, & Angelos; illos quidem à peccatis; istos, à nescientia, aliisque defectibus, qui tolluntur à Christo per actus hierarchicos.

238 Sic apertè colligitur ex S. D. ait enim super cap. 2. ejusdem epist. eatenus Sanguinem Christi purgasse quæ in Cælis sunt, & quæ in terra, quatenus cælestia, & terrena copulavit, hoc enim profuit Angelis ad gloriam accidentalem, ex hominum confortio, & suæ ruinæ reparatione, consurgentem. Dum autem ait D. Max. Nullus absque peccato, non loquitur de Angelis, ut aëtumat Vazq. sed de hominibus; verba enim illa transcripsit ex Job 14. quibus probat August. dari in hominibus peccatum originale, ut vide-re est l.2. de Nupt. c.29. Quod si de Angelis id dixit; non de peccato mortali, sed de imperfectione negativa, à qua purgari possunt, locutus est. Vide Jo. à S. Th. disp. 10. a. 3. §. Defensio D. Hieronymi contra Vazquez. Et scito, quod non minor reverentia debetur Patrum scriptis (quæ sunt reliquiæ cogitationum ipsorum) quam sacris eorum mænineribus, ut appositi notat Petrus Cellensis. Ad test. D. Bern. Reip. intel-ligi (juxta contextum) de Christo ut Deo, cuius auxilio

An-

Angeli boni steterunt. *Ad 1. D. Th. auth. R. S. D.* ibi non explicare quid Angeli acceperint; sed ex alibi ab ipso dictis constat, solam gratiam accidentalem, nimirum, illustrations, gaudia, aliaque charismata, illos accepisse. Alia autem S. D. verba accipienda sunt per distributionem accommodam, juxta dicta.

239 *Opp. 6. Christus est primus omnium prædestinatorum:* ergo est causa prædestinationis illorum, primum enim in unoquoque genere, est causa cæterorum: ergo est causa gratiæ & gloriæ essentialis eoruū, quæ sunt primus & ultimus prædestinationis effectus, *Præt.* Angeli in via habuerunt fidem de Christo: ergo per Christum, nam fides Christi, à Christo est. *Tandem:* Si Christus sola accidentalia dona influeret in Angelos, solum accidentaliter & secundum quid foret illorum caput, contra dicta.

240 *Ad 1. Dist. ant.* Est primus omnium prædestinatorum eodē modō, *N.* Diversimodè, *C.* nam respectu Angelorum, est primus prioritate dignitatis, ut exemplar, & finis extrinsecus; quod sufficit ad verificationem proloquii: Respectu verò hominū, est ulterius primus prioritate influxus, & causalitatis in illorum gratiam & gloriā essentialiem; quia destinatus est ut eorum Redemptor, cui subjiciuntur ut *redimendi*, Angeli verò tantum ut *Ministri redemptionis*, non tamen redemptione egentes. *Sed in ltabis:* Ergo Christus præcedit prædestinationem Angelorum sicut causa exemplaris & finis: ergo intuitū illius largitus est Deus Angelis gratiam & gloriam essentialiem. *N. conf.* Christus enim non est finis per se intentus prædestinationis & gratiæ Angelorum; sed solum extrinsecè, & ex voluntate Dei superveniente, quâ illas, prius volitas, ordinavit in gloriam Christi venturi: sicut qui paravit mensam ad prandium, eam posteà amico supervenienti offert.

241 *Ad 2. N. conf. & prob.* Nec enim fides illa erat Christi *ut principii*, quasi habita ex meritis Christi; sed *ut objecti*, crediti ut redemptoris hominum, non sui; & ut consummantis merita per mortem, quâ Angeli non indigerunt: & sic credebant in Christum, ut finem, & *Redemp-*

demptorem hominum, cui ipsi destinabantur *ut Ministri*, non
ut redimendi: Adeoque nec habuerunt spem in Christum,
tanquam mediatorem, sed tanquam in finem a quo erant
consummandi & honorandi accidentalibus gratiae donis, in
ordine ad quae sunt aliquo modo viatores, ut ait D. Th. q. 27.
de verit. a. 7. ad 5. Nota autem, ut instantiam præcludas,
quod Angelii dum justificarentur, habuerunt fidem Christi
venturi, ut objecti revelati, concomitanter ad justificationem
eorum concurrentis, non autem essentialiter, & per
se. Idem de justificatione Adæ in statu innocentiae esto ju-
diciu[m]. *Ad ult.* N. sequel. Quamvis enim sola dona acci-
dentalia ex meritis Christi recipient; perfectissime nihilo-
minus ei subduntur; ratio autem Capitis mystici, absolutè
& simpliciter non sumitur ex solo effectu quem influit, sed
ex subjectione membrorum ad ipsum.

242 Opp. tandem cum Godoy cont. i. rat. concl. Christus enim sibi gloriam corporis, & Angelis dona acciden-
talia promeruit, & quidem meritô morte consummatô, quin se, aut illos redemisse; pro se, aut illis mortuum esse,
dicatur: ergo. *Resp. disp.* esse, quia si Angelii fuissent justi-
ficati ex merito Christi, ipsius morte consummatô; indi-
guissent simpliciter morte Christi ad sui justificationem;
adeoque Christus pro illis mortuus esset: verè enim mor-
tuus est pro omnibus, absolutè indigentibus ejus morte, sive
privativè essent per peccatum mortui, sive negativè care-
rent vitâ gratiae. Christus autem, quamvis de facto meruerit
sibi gloriam corporis, & de possibili justificationem & glo-
riam animæ: quia tamen poterat præfata dona jurè connat-
uralitatis habere; ideò absolutè non egebat propriô meri-
tô & morte ad eorum obtentum, nec pro se mortuus dici
potest, ut diffinitur in Conc. Ephes. can. 10. *Dona* autem
accidentalia Angelorum, quamvis pendeant ex morte Christi; hæc tamen solum per accidens fuit decreta ex motivo
illa promerendi, quia nimis primariò volita fuit ob re-
demptionem humanam: unde pro nobis, & non pro An-
gelis mortuus est Christus.

243 Ex dictis inferes i. ex nostra, seu D. Th. sententia,
neu-

neutiquam derogari amplitudini gratiae Christi: Imo si illa, non minus Angelis, quam nobis profuisse dicamus, ipsi Veritati adversamur, dicenti, se non venisse vocare justos, sed peccatores. Et sane, si Christo omne meritum absolute possibile de facto asseramus, dicendum foret, ipsum actu meruisse Patris, & Spiritus S. incarnationem, hoc enim meritum erat illi possibile. *Inferes* 2. Protoparentem in statu innocentiae non habuisse ex meritis Christi gratuita dona, ne accidentalia quidem, quia ut innocens, nec redemptione egebat, nec erat redemptionis minister: illa ergo habuit ex sola Dei Conditoris liberalitate. *Inferes* 3. esse Caput Ecclesiae secundum interiorem influxum, esse proprium Christi, sola enim ejus humanitas habet vim iustificandi, cum sola sit conjuncta Verbo. Sed secundum exteriorem gubernationem, commune est Christo & aliis, esse caput, differenter tamen; nam Christus est caput omnium, ad Ecclesiam pertinentium secundum omnem locum, & tempus, & statum & quidem propriâ virtute & autoritate; alii vero secundum specialem locum, ut Episcopi; vel determinatum tempus, ut Papa; & utrique in statu viæ, & vice ac autoritate Christi. Vide D. Th. a.6.

244 Inf. 4. cont. Cathar. Suar. aliosque, Christum quâ hominem, non esse propriè caput creaturarum irrationalium, cum nihil supernaturale in illas influat. Dicitur autem *primogenitus omnis creaturæ* Coloss. 1. quâ Deus, in natura creata subsistens: Vel quia nomine *omnis creaturæ*, intelligitur homo, sicut in illo Marci ult. *Prædictate Evangelium omni creaturæ*, juxta Greg. Inf. 5. id quod docet D. Th. aa. 7. & 8. diabolum, & Antichristum esse quodammodo caput omnium malorum: ille quidem secundum exteriorem gubernationem, cum ducantur ab eo in suum finem, nempè, in aversionem à Deo sub specie libertatis. Et sane omnes mali peccatum diaboli tanquam vexillum sequuntur, illud sponte, vel suggestione imitando. *Antichristus* autem est malorum omnium caput, ob malitiæ plenitudinem, cuius reputatur figura omnis alia præcedens.

245 Uterque autem unum sunt caput, non *simpliciter*, sed

sed *ordine*, quatenus in Antichristo plenissimè erit impressa malitia diaboli: unde iste erit in illo per malitiæ effectum, non per communicationem personæ, nec per intrinsecam inhabitationem. *Adam* verò licet sit posteriorum caput, quoad originalis traductionem, secùs ut personaliter peccantium: quia nec istorum aversionem à Deo, prout sic peccantium, suò peccatō intendit; nec istud fuit absolute maximum. *Inferes* demùm, Beatiss. Deiparam dici quidem, & esse Ecclesiæ collum, tanquam Capiti Christo conjunctiorem, & gratiâ cunctis SS. longè pleniorem; non tamen capti, ob defectum jurisdictionis, & influxus capitalis. *Ad* rationem autem capitis malorum (ut objectioni occurram) sufficit juxta PP. vel malitiæ influxus per suggestionem, ut in diabolo; vel excessus, ut in Antichristo.

TRACTATUS III.

DE SCIENTIA, ET POTENTIA ANIMÆ CHRISTI.

à q. 9. ad 13. inclusivè 3. p.

245

Contemplatâ Christi gratiâ, animam ejus afficiente, jurè speculandam exemplò assumit S. D. à q. 9. Scientiam, seu cognitionem illius, primam animæ potentiam, seu intellectum, ornantem: Joannem æmulatus, qui Christi gratiæ veritatem adjunxit. Porrò sicut Anima Christi triplici splendent gratiâ, substantiali, personali, & capitali: sic intellectus ejus triplici enît scienciam, beatam, infusam, & acquisitam. De quibus sequentibus Disputandum nobis est. Sit igitur

DIS-

DISPUTATIO I.

De Scientia Beatae Animæ Christi.

DUBIUM I.

Utrum Intellectus humanus Christi à primo conceptionis momento fuerit scientia beata illustratus?

247 **A**nte resol. supp. 1. ut fidē certum, & dissimilatum in VI. Syn. Gen. cont. Monotelitas, fuisse in Christo aliquam sciētiām, seu intellectionem creatam (*scientiam hīc largè accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani*, ait D.Th. a.1.) Cūm fides doceat, Christum orasse, meruisse, miratum esse, didiscisse, & in sapientia profecisse, multaque alia, intellectionem requirentia, & sibi quā Deo repugnantia, fecisse. Et sanè intellectus humanus Christi sine intellectione creata maneret imperfectus, ut potè in potentia; & suō fine, nempè, propriā operatione, privatus. *Supp. 2.* etiam ut fidē certum, ob dicta tom. 1. à N. 237. intellectum humanum Christi neutiquā posse præfatā scientiā Deum comprehendere. *Supp. 3.* repugnare prorsū intellectum humanum Christi intelligere per intellectionem incretam, ut de aliis beatis ostendimus tom. 2. à Num. 51.

248. Supp. tandem cum D.Th. a.2. esse in Christo, quā homine, scientiam beatam. *Tum*, quia fidē constat, ipsum plenè novisse Deum, juxta illud Joan. 8. *scio eum*, & sermonem ejus servo. Ubi ly *scio* cognitionem quidditativam denotat, non scientiam infusam, quā solū cognovit de Deo quoad an est: *Servare autem Patris sermonem*, ad Christum quā hominem, spectat: ergo quā homo, quidditativam Dei habuit cognitionem, in qua scien-

tia beata consistit. *Tum*, quia omne quod est in potentia, reducitur in actum per id quod est actu; oportet enim esse calidum id, per quod alia calefiunt; sed homo est in potentia ad scientiam beatam, in Dei visione consistentem, cuius est capax, quatenus est ad imaginem Dei; & reducitur in actum istum per Christi humanitatem, juxta illud Hebr. 2. *Qui multos filios in gloriam adduxerat*: ergo fuit in Christo scientia beata, & quidem excellentissime, *quia semper causam oportet esse perfectiorem causatō*. Et hinc infertur, D. Th. hic a. 2. solum resolvere existentiam scientiae beatæ in Christo, præscindendo à circumstantia temporis, de qua inquirit infra q. 15. a. 10. ubi resolvit, fuisse viatorem, & comprehensorem simul, & q. 34. a. 4. ubi propositum à nobis dub. dirimit. His prælibatis,

249 Conclusio est astir. comm. PP. & Theol. & adeò certa, ut oppositum, vel hereticum, vel heresi proximum, vel ut minimum, temerarium à Theol. judicetur. Illam luctucentissime firmat omniscius Canus noster lib. 12. de loc. c. 14. plurimis Scrip. PP. & rationum momentis. Prob. autem ex illo Psal. 64. adducto à D. Th. infra q. 34. a. 4. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti*. Ubi humanitatis assumptio cum ejusdem beatitudine jungitur, juxta August. Sed assumptio fuit ab initio conceptionis: ergo & beatitudo. *Tum* ex illo Joan. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis . . . plenum gratiæ, & veritatis*; at si Christus quæ homo, non fuisset ab initio beatus, nec fuisset ex tunc gratiæ aut veritate plenus, quippe deesset illi & suprema gratiæ perfectio, seu consummatio per gloriam, & summa veritatis cognitio, seu visio beata: ergo.

250 Prob. deinde rat. *Tum* quia Humanitas Christi in ipsa incarnatione fuit elevata ad supremum esse: ergo ad supremam operationem, seu visionem beatam. *Tum*, quia Christus quæ homo, à principio conceptionis est Filius Dei naturalis, adeoque hæres bonorum Patris: ergo ex tunc ea possedit per visionem beatam, cum hujus ex tunc fuerit capax. *Tum* quia Christus ante mortem fuit beatus, ut suprà vidimus, & inter alia, ipsa corporis gloria in transfiguratione-

tione ostendit, juxta PP. ergo cùm nihil cogat ad asserendum, quòd talis non fuerit ab initio, imò unio hypostatica, quam ex tunc habuit, talem ex tunc fuisse, evincat; beatus ex tunc credendus est. *Tum postremò*, quia aliàs ambulasset per fidem, quod est falsum: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

251 Opp. 1. cont. 1. supp. Christus per scientiam divinam cognoscebat omnia: ergo superflua fuisset in eo scientia creata. *Præt.* Lux minor per majorem offulcatur: ergo & quælibet scientia creata per increatam, ad quam illa comparatur ut lux minor ad majorem. *Ad 1. resp.* D. Th. hic a. 1. ad 1. Christum, quæ Deum, cognoscere omnia, cognitione increatâ, quæ non potest esse actus animæ Christi, cùm sit alterius naturæ; unde alius debuit in ea dari, aliàs nihil cognovisset, & ita esset frustrâ assumpta, cùm omnis res sit propter suam operationem. *Quæ contra* hanc solut. objici possent, soluta manent t. 2. à N. 55. *Ad 2. resp.* ibidem ad 2. Dist. ant. Si sint in eodem ordine illuminantis, ut lux Solis, & lux candelæ, C. Si lux minor sit in ordine illuminati, N. tunc enim potius augetur, ut lux aëris per lucem Solis; & sic clarescit lumen scientiæ humanæ in Christo per scientiam divinam.

252 Opp. 2, cont. 4. supp. Christus ex ipsa unione fuit beatus: ergo superflua foret in eo alia scientia beata. *Præt.* Maxima illa inducta à D. Th. verum quidem habet in causis principalibus, secùs in instrumentalibus (qualis est humanitas Christi respectu nostræ beatitudinis) ut patet in omnibus instrumentis naturæ, vel artis, quia nec semen est actu animal, aut planta, nec pennicillus imago: Imò nec verum habet in instrumentis animatis, nec enim oportet, ministerium actu habere gratiam, quam suô ministeriô præbet: ergo corruuit ratio illa D. Th. *Postremò* Christus non constituitur reducens nos ad beatitudinem, ratione beatitudinis: ergo non oportet, quòd istam actu habeat. *Constat.* nam maxima illa verificari nequit, nisi respectu illius formæ, ratione cuius causa operatur. *Ant.* verò constat, nam humanitas Christi agit moraliter in nostram beatitudinem,

ratione gratiæ , & meriti ; physicè autem *instrumentaliter*, per motionem fluidam, & ab *intrinseco* transeuntem.

253 Ad 1. resp. D. Th. a. 2. ad 2. quòd homo ille per unionem est beatus beatitudine increatâ, sicuti per eandem est Deus : sed præter hanc debuit esse beatus beatitudine creatâ , quâ ejus anima constitueretur in suo ultimo fine. *Ad 2. & 3.* Resp. illis convinci , rationem D. Th. non esse demonstrativam; quod ulterius fit manifestum, nam si Christus (ut potuit) non fuisset beatus, adhuc tamen posset cauare beatitudinem nostram & meritorie , & *instrumentaliter* physicè, sicut modò. Eit nihilominus ratio D. Th. optima congruentia , quâ solâ probari potest conclusio illa, utpotè enuntians factum , ex solo Dei arbitrio pendens: Ideòque S. D. non intulit necessarium simpliciter fuisse quòd in actu esset videns Deum , sed quòd *oportuit* ; quia scilicet erat decentissimum , quòd instrumentum excellētissimum , & quod simul erat efficiens principale meritorium , exemplar insuper nostræ beatitudinis , illam in se præhaberet actu , cùm illius aliunde sit capax. Et sanè humanitas Christi (ut ultimo specialiter occurramus) ut exemplar beatitudinis nostræ , operabatur ratione beatitudinis. Hæc benè nota , ut plurima solvas , quæ gratis , & importunè objici solent cont. rationes D. Th. quæ ratione materialè , demonstrativæ esse non possunt , sunt tamen optimæ congruentiæ.

254 Opp.3. cont.concl. Voluntas humana Christi(imminente passione) erat summè tristis , juxta illud , *Tristis est anima mea usque ad mortem*, quod etiam de voluntate accipiunt communiter PP. ergo non fuit tunc in ea summa delectatio , scientiam beatam necessariò consequens , nisi velis , duo simul contraria in eodem subjecto existere : ergo. *Præt.* Juxta D. Th. infrà q.15. a.6. eatenus appetitus sensitivus Christi fuit capax tristitiae , quatenus per dispositionem divinam delectatio divinæ contemplationis non derivabatur ad vires sensitivas: ergo si voluntas humana Christi fuit summè tristis , non fuit gaudens. *Ad 1.* (sanè difficile) N. conf. Ad prob. Resp. gaudium, & tristitiam coexistere divi-

nitùs posse in eodem circa diversa , vel circa idem sub diversa ratione objectiva , qualiter fuerunt in voluntate humana Christi : gaudebat enim de objecto beatifico , de quo neutiquam tristari poterat.

255 De morte autem delctabatur , quà utili , tùm ad proprii corporis gloriam , & nominis exaltationem , tùm ad salutem nostram : Tristabatur autem de eadem , quatenus naturæ dissentaneâ . Sic communiter Theol. si paucos excipiias . *Ad 2.* Resp. rationem illam D. Th. esse evidentissimam , & sufficientissimam , sed non necessariam , & adæquatam : Evidens quidem est , quòd gaudium in sola voluntate existens , non impedit existentiam tristitia in sensu (quam ibi propugnat respectu animæ Christi) cùm sic non contrariantur . Sufficeret nihilominus ad coexistentiam utriusque affectionis diversitas formalis objectiva ; unde & istam etiam assignat infrà q.46.a.8. ad 1. & q.26. de verit.a.10.ad 9. quamvis neutrobi loquatur de tristitia voluntatis propriâ , sed de tristitia passione , residente in sensu ; quia non de illa , sed de ista ex professo differebat , ut legenti patebit , ideòque de illa , nec ait , nec negat , esse compatibilem cum gaudio voluntatis .

256 Sed instabis 1. Quia alias nulla tristitia esset incompatible in eodem circa idem objectum , nam ratio formalis objectiva utriusque semper est diversa , cùm sint fuga , & prosecutio . Secundò : Quia utriusque coexistentia in voluntate Christi non fuisset miraculosa , sicut talis non est coexistentia amoris , & odii in eodem circa diversa , vel circa idem sub diversa ratione . Tandem per oppositum , quia summa tristitia expellit ab eodem summum gaudium , quantumvis de diverso objecto , ut 7. Ethic. c.14. docet Phil. & experientia ipsa testatur : ergo . *Ad 1.* N. sequel . Ad prob. Dist. ant. Ratio formalis *sub qua* , C. Que , N. Hæc enim potest non esse diversa , ut in Christi voluntate contigit ; simul enim tristabatur , & gaudebat de eadem materialiter morte , inspectâ secundum diversam rationem formalem *sub qua* , juxta dicta . Vide t. 3. N. 662.

257 *Ad 2.* N. sequel . Ad prob. Resp. disp. esse , quia amor &

& odium, aliæque similes affectiones, sunt incompatibilis in eodem, ob solam unitatem seu identitatem formalem objectivam; adeòque istâ sublatâ, naturaliter coexistere valent: Tristitia autem, & gaudium invicem ulterius pugnant, ob contrarium modum aficiendi subjectum, quod illa comprimit, istud dilatat: unde utriusque in summo coexistentia in eodem (quantumvis circa diversa) miraculosa semper est: sed circa omnino idem, omnino impossibilis. Verbô dicam: Oppositio tristitiae, & gaudii in eodem, circa formaliter diversa, est *connaturalis*, divinitus solùm vincibilis: sed circa formaliter idem, est *metaphysica*, neutiquam superabilis. Et per hæc patet ad ult.

258 Cùm ex modò dictis plenè solutus maneat objectus nodus; frustrà nonnulli distinctionem nescio quam comminiscuntur partis superioris, & inferioris, in Christi voluntate, ut illi gaudium, huic tristitiam de eadem morte tribuant. Ratione inquit superiorem, & inferiorem, per actuum officia distinctas, agnovit post August. & explicuit Ang. Doct. 1.p.q.79. a.9. & q.15. de verit. per totam, alibique: sed de voluntate, altum ubique silentium. Ubi cùmque autem superiori rationis parti animæ Christi tribuit gaudium, & foli inferiori parti tristitiam; loquitur aperte de sola tristitia passione, sensitivâ, & per *superiorem partem* intelligit voluntatem, per *inferiorem* verò, sensualitatem, seu appetitum sensitivum, qui dividitur per irascibilem, & concupisibilem, juxta ea quæ docet ex professo laudatâ q. 15. de verit. a.3. in corp. Nullibi tamen voluntatem in superiorem, & inferiorem distinguit, sed solùm rationem, Quòd etsi fecerit, nihil inde tamen: nam etsi rationi superiori, & inferiori diversi tribuantur actus (ut scientiæ, & sapientiæ,) non tamen adversi (ut scientiæ, & opinionis:) Gaudium autem, & tristitia, affectiones sunt, non modò diversæ, sed adversæ: Apage itaque hanc distinctionem.

259 Omittenda pariter est solutio illa Mag. Cani de repressione gaudii beatifici in voluntate Christi, passionis tempore, ut suam in nos charitatem miris modis ostenderet, *majoresque in nobis igniculos excitaret, tum pœnitentia, tum*

amoris, tum gratitudinis, ut Canus ipse eloquenter pro more, & juxta pie loquitur. Omittenda inquam est, tanquam non necessaria; sed non quia vel minima sit censurâ digna, ut plures temerè autumant: Est quippe aperta Ambrofii sententia, quem non tam expressit, quam excripsit Canus: Ergo pro me doluit Christus (ait ille lib. 10. in Lucam) qui pro se nihil habuit quod doleret: & sequestrata delectatione divinitatis aeternae, tandem meæ infirmitatis afficitur. Nec aliter commodiùs exponi valent duriusculæ quædam veterum PP. locutiones, ut ejusdem Amb. Hilarii, Epiphani, Leporii, aliorumque plurium, ad illa Domini verba, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? adeò, ut omnes illi nihil aliud scripsisse videantur, quam quod Canus explicatiùs, distinctiusque defendit.

260 Huic Cani sententiæ, ultrò, obnixè, & utrōque pollice subscribunt tres præclarissimi Societ. Scriptores, Salmeronius, Maldonatus, & Greg. de Valentia. Suffragatur etiam Delgadillus, teste Heinô in præsenti: Fallitur igitur quisquis illam Patrum ac Theolog. præsidiò destitutam pronuntiat. Fortius quod in oppositum objici solet, paucis diluit Canus ipse, dicens: Gaudium fateor ex Deo viso in voluntate necessariò nasci, non secùs atque ex Sole lumen, calorem ex igne: sed retraxit aliquando Sol radios suos; & nè calefaceret, compressus est etiam ignis: Quare nihil mirum videri cuiquam debet, si in hominum redemptione per hominis unius dolores explendâ, voluptas omnis reprimeretur, quam alias ex visione Dei profici sci, naturæ ratio demonstrat. Reliqua nullius ferè sunt ponderis, ut videri est apud Godoy disp. 32. à N. 33. Piccinard. & M. Serri in Cani Vindicationibus, cap. 8. Illud Cant. 3. (ut nihil omittamus) Et in die letitiae cordis ejus, quod ad passionis tempus passim refertur, sic glossat D. Th. ibidem, id est, Synagoga, quia ad litteram Ju dæi, & Synagoga gaudebant, & letabantur de passione Christi: unde nihil laudatæ sententiæ Cani officit.

261 Objici tandem solent cont. concl. quædam Scrip. test. quibus significari videtur, Christum ante passionem, & mortem suam non fuisse beatum: Dicitur enim Lucæ 24.

Nonnè oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Joan. 7. Nondūm Spiritus erat datus, quia Jesus nondūm erat glorificatus. Et cap. 17. ait ipse Dominus: Clarifica me Pater claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te. Tandem Apoc. 5. dicitur, Christum, quia occisus est, accepisse gloriam, & divinitatem: ergo. Resp. tamen facile, his & similibus locis sermonem esse, vel de gloria Corporis, & exaltatione nominis Christi; vel de restituzione unionis hypostaticæ cum tota humanitate, quæ in Resurrectione facta est. Unde nihil inde cont. concl.

DUBIUM II.

*Utrum Anima Christi in Verbo, seu scientia beata,
cognoverit omnia præsentia, præterita,
& futura?*

262 **C**oncl. est affirm. D. Th. h̄c a.2. & serè com. Theol. cont. nonnullos Veteres, & RR. non tamen de fide, ut perperām, & nimis rigidè censet Vazquez. *Ante prob. supp. ex dictis t. i. à N. 451.* non potuisse animam Christi h̄c scientiâ cognoscere omnia possibilia. *Supp. & alia plura totō illō Tractatu II. discussa,* nē acta agamus, & ut Angelico Doctori idem h̄c præmonenti in fronte q. 10. morigeremur. His igitur præsuppositis, Prob. concl. rat. D. Th. Beati enim vident in Verbo omnia ad eorum statum pertinentia, ut ostendimus t. i. à N. 248. sed præfata omnia spectant ad statum, & dignitatem Christi, etiam quā hominis, cui, ut Domino, subjecta sunt in perpetuum omnia; & insuper ut Judici vivorum, & mortuorum, horum omnium cogitatus; vel ut judicandi, si finale præcedant judicium; vel ut merces, aut pœna accidentalis, si illud subsequantur: ergo.

263 Hinc inferes i. Animam Christi cognoscere in Verbo accidentia successiva actu infinita; tales enim sunt cogitatus hominum, & Angelorum, per totam æternitatem fu-

futuri, qui æternitati, ut superiori eorum mensuræ, simul coexistunt, juxta dicta t. I. à N. 337. Sed non cognoscere substantias, aut accidentia permanentia actu infinita, quia non datur, nè in æternitate quidem, numerus permanentium actu infinitus; cùm fides doceat, mundum incœpisse, & generationem desitaram: ideoque dici potest, scientiam visionis animæ Christi, esse, & non esse, infinitorum, ut appositi docet Cajet. *Inferes* 2. animam Christi, non successivè, sed simul, & à principio beatitudinis, novisse omnia præsentia, præterita, & futura, cùm illa cognoyerit scientiâ beatâ, quæ nullam successionem, seu mutationem patitur, cùm æternitate mensuretur, juxta dicta t. I. N. 168.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

264 Opp. I. quòd ex Evangelio constat, Christum, quâ hominem, ignorasse diem judicii, interrogasse de loco sepulturæ Lazari, & orasse Patrem, ut transferret ab eo Calicem, si possibile foret: ergo quâ homo, non sciebat omnia in Verbo. *N. ant.* Verè enim sciebat tempus judicii, sepulturæ locum, & Patris voluntatem. Sed primum nescire se dixit ad manifestandum: sicut econversò Gen. 22. dixit Deus, *Nunc cognovi, &c.* id est, *nunc cognoscere feci*, ut ait D. Th. híc a. 2. ad 1. Recole dicta t. 3. N. 644. De secundo eò interrogavit, ut ostensò sibi sepulchrō, palam fieret Judæis, Lazarum verè fuisse mortuum, ut ejus resuscitationem negare, aut in dubium revocare, non possent. In tertio ostendere voluit naturale vitæ desiderium, Patris beneplacito subordinatum. *Dùm* autem Patres afferunt, Christum, quâ hominem, diem judicii ignorasse, accipiunt ly quâ reduplicativè; quamvis enim ut homo sciret, non tamen quia homo.

265 Opp. 2. Quia sequeretur, scientiam beatam animæ Christi comprehendere scientiam visionis Dei. *Sequeretur* præt. Christum plura cognoscere ut hominem, quām possit facere ut Deus. *Tandem* sequeretur, habere animam Christi lumen creatum infinitum, quali opus est ad cognitionem dictorum, cùm hæc sint infinita, juxta dicta N. 263. *Ad* 1. N. sequel. ob dicta tom. I. N. 256. *Quamvis* enim utraque eun-

eundem habeat terminum positivum ; hunc tamen clarius infinitè intuetur divina : quæ insuper omnes negationes liberè volitas distinctè , & in particulari attingit ; scilicet scientia beata animæ Christi ; cùm illæ negationes tot sint, quot pure possibilia. Et quia hæc solutio evidens est , aliā addere , jam non placet. *Ad 2.* Resp. multa esse , quæ simul possunt cognosci , tametsi non possint simul produci , ut partes temporis , & motūs. Et sane Deus cognoscit infinita , quæ produci simul non possunt. *Ad ult.* omissis variis solut. Resp. cum Cippullo , & aliis, N. sequel. Ad prob. N. ant. seu supp. Cognitio enim, quā comprehendit in Verbo potentiam creaturæ (adeoque infinitos hujus effectus) est finita ; ad quam proinde finitum sufficit lumen. Colligitur ex D. Th. hīc a. 2.

266 Opp. 3. Scientia beata animæ Christi nec se ipsam attingit (cùm se ipsam specificare, aut præcedere nequeat) nec suam perpetuam durationem ; aliàs cùm sit infallibilis, esset inanihilabilis, quod est falsum: ergo non se extendit ad omnia præsentia , & futura. N. ant. quoàd utramque p. Ad prob. 1. N. cons. Cognitio enim à solo objecto primario specificatur , quod respectu visionis est Deus, in quo se ipsam secundariò videt. *Ad 2.* N. sequelam , & prob. Visio enim beatifica suam perpetuam attingens durationem, attingit illam sub decreto Dei decernente illius perpetuitatem : unde sicut nequit desinere esse, ut stat sub decreto; ita falsificari nequit. Instaturque argum. in scientia Dei, revelatione, prophetiâ, fide , & aliis, de quibus non semel diximus ex professo. Videt. 1. N. 541. & 552.

267 Opp. 4. Christus D. cognoscere non potuit actus suos liberos futuros per scientiam beatam ; cùm enim hæc sit principium ex parte actus primi, antecedens actum, cum isto connexum , & per ejus parentiam inauferibile ; illorum libertatem everteret : ergo. N. ant. Ad prob. omissis variis solut. (quibus vix salvari potest necessitas amoris beatifici, & quôd prædeterminatio physica identifiable non posse cum auxilio sufficienti constitueretur actum primum , ut optimè suadet Illust. Castel.) Resp. cum eodem, & M. Boni-

livar de Merito Christi d. 2. §. ult. visionem beatam non esse connexam cum actu; quia licet repræsentatio intuitiva videretur actu, existere non possit sine isto; potest tamen entitas visionis adæquatè existere sine illa repræsentatione; hæc enim, cum sit respectiva, & connotativa, deficere potest ex defectu termini, aut connotati, invariata intrinsecâ visionis entitate, quoad rectum. Huic solutioni subscrabit in M. S. Sapientiss. Theologiæ D. & Professor Fr. Petrus Martyr Joan. Domus, & Academiæ nostræ non vulgare decus, qui paucis abhinc annis, è vivis abiit, maximò sui desideriò relictò.

DISPUTATIO II.

De Scientia indita, vel per se infusa, Animæ Christi.

Expeditâ consideratione scientiæ beatæ Animæ Christi; de per se infusa differit Ang. D. q. 11. Et suppositâ ilius existentiâ (quam ostenderat q. 9. a. 3.) ejus nunc objectum, actum, & habitum speculatur. Ad quorum elucidationem, sit

DUBIUM I.

Utrum Scientiâ per se infusâ, distinctè, & in particulari noverit Christus omnia naturalia, seu naturaliter, seu per revelationem cognoscibilia ab intellectu creato?

268 **C**oncl. est affirm. D. Th. hic q. 11. a. 1. & com. cont. paucos. Ante cuius prob. supp. i. præter visionem beatam, admittendam esse in beatis quandam aliam scientiam per se infusam, seu supernaturalem habitu-

tualem, ab ipsa scientia beata dimanantem, quâ res crea-
tas extra Verbum cognoscunt per species infusas. *Supp. 2.*
cont. Scot. Dur. & Gabr. ex D. Th. suprà q. 9. a. 3. hâc scien-
tiâ perfusum fuisse intellectum humanum Christi ab initio
conceptionis suæ. Et constat, *tum ex illo Coloss. 2. In quo*
sunt thesauri scientiæ Dei absconditi; quod non staret, si tali
scientiâ caruisset. *Tum* rat. D. Th. Quia aliâs humanitas
Christi esset imperfecta, ut potè non reducta ad actum
supernaturalis cognitionis rerum extra Verbum per spe-
cies infusas, ad quam, & ad quas (quantumvis supernatu-
rales) erat illa in potentia obedientiali, imò & connatura-
li, tanquam sibi, ut unitæ Verbo, debitas; Christo enim
incumbebat omnia cognoscere, omniumque saluti provi-
dere. His supp.

269 Prob. concl. quoâd 1. p. cont. Scot. & Dur. asser-
entes, res naturales cognosci ab intellectu humano Christi
scientiâ naturali per accidens ipsi infusâ. Prob. inquam:
Quia naturalia naturaliter cognoscibilia, possunt quamop-
timè, supernaturaliter, seu scientiâ per se infusâ cognos-
ci: ergo sic illa cognovit intellectus humanus Christi, aliâs
in potentia, seu imperfectus maneret. Prob. ant. Licet
scientia naturalis non posset ad objecta supernaturalia af-
fondere; supernaturalis tamen potest ad naturalia descen-
dere: sicut cognitio superior inferius objectum, infinita fi-
nitum, divina creatum attingere potest: ergo. Quod autem
ea clarè, distinctè, & quoâd rationes etiam individuales,
cognoverit, Constat ex dictis; quia aliâs maneret in poten-
tia ad illa sic cognoscenda, cum sic cognoscibilia sint, &
sic ea repræsentent species infusæ quibus utitur, cum ab
ideis divinis sint exemplatæ, ut de speciebus Angelicis di-
ximus t. 1. N. 856.

270 Secunda verò p. est etiam expressa D. Th. & prob.
quoâd secreta cordium, & futura contingentia, etiam libe-
ra, de quibus est specialis difficultas: Nam quamvis prædi-
cta noverit Christus scientiâ beatâ, non obstat quominus &
infusâ illa cognoverit; plura enim beatis utrâque scientiâ
innotescunt. Illa insuper cognoverunt sâpè Prophetæ per
lu-

lumen à lumine gloriæ distinctum : ergo non solō illō sunt cognoscibilia : ergo illa cognovit Christus scientiâ per se infusâ , sicut illa modò cognoscit, quamvis & illa agnoverit in via per lumen propheticum, quod non remanet in patria. Id demùm exigit dignitas Christi, qui , cùm sit supremus omnium Judex, debet omnia præterita, & futura, aperta, & oculta cognoscere, ut omnia trútinet, judicet, puniat, & coronet. *Nota* tamen, quòd præfata cognitio de futuris liberis, & cogitationibus nondùm existentibus, non est propriè intuitiva , cùm illa nondùm existant nisi in æternitate , quæ scientiam infusam non mensurat: impropriè tamen *intuitiva* vulgò audit, ob singularem illius scientiæ perfectionem, & sic conciliantur sententiæ , in speciem adverfæ, ut appositiè notant Marinis, & Labât.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

272 Opp.2. cont.2. supp. Visio beata excludit ab eodem enigmaticam fidei, ut patet 1. Cor.13. ergo & scientiâ infusâ; utraque enim comparatur ad illam, sicut imperfecta ad perfectam. *Præt.* Scientia per se infusa , & quævis alia cognitio , comparatur ad beatam, sicut dispositio ad terminum: ergo existente istâ in Anima Christi , superfluit quævis alia. *Præt.* Sicut materia prima est in potentia ad formam substantialem , ita intellectus ad formam intelligibilem; sed materia prima nequit simul actuari dupli formâ substanciali: ergo nec intellectus humanus Christi dupli scientiâ. *Ad hæc:* Intellectus Christi cognovit omnia objecta supernaturalia per scientiam beatam; naturalia verò per acquisitam : ergo superfluit infusa. *Tandem:* Scientia infusa , cùm sit supernaturalis , est indebita intellectui humano Christi: ergo ejus parentia est purè negativa respectu illius; adeòque nullam arguit in eo imperfectionem : ergo ruit rat. D. Th.

272 Ad 1. resp. D. Th. q.9. a.3. ad 1. disp. esse, quia cognitio per species infusas , nihil includit visioni beatæ oppositum; secùs fides, cùm sit de non visis. *Ad 2.* resp. ibidem ad 2. Dist. ant. Sicut dispositio ad terminum , tanquam vis ad illam, N. Quali effectus ab illa procedens , C. Manet er-

go in Christo scientia infusa simul cum beata; non quasi via ad istam, sed quasi per istam confirmata. *Ad 3.* (quod probat, nec divinitus posse intellectum dupli specie intelligibili simul actuari, nec simul existere posse in Angelis cognitionem matutinam , & vespertinam, pluraque alia , aperte falsa) *Relp. disp.* esse, quia forma substantialis est actus primus materiæ , adæquatam hujus potentialitatem explens; secùs species intelligibili respectu intellectus , quantumvis illa sit essentia ipsa divina, quia hæc non respondet potentialitati naturali intellectus, quâ exigit informari speciebus sibi proportionatis , & rerum propriis. *Ad 4.* N. conf. Quia omnia illa sunt cognoscibilia in Verbo , & extra Verbum.

273 *Ad ult. Dist. ant.* Est indebita intellectui humano Christi, nudè sumpto, C. ut assumpto ad esse Verbi , N. *Deinde datō ant. & 1. conf. Dist. 2.* Nullam arguit imperfectionē privativam, C. negativam, ab illo pariter relegandā, N. Nam, ut D. Th. discurrit, decebat ut Anima Christi Verbo personaliter unita, esset omnino perfecta ; adeoque nulla in ejus intellectu esset potentialitas (seu naturalis , seu obedientialis) non reducta ad actum : unde non solūm imperfectio privativa excludenda ab eo est ; sed etiam negativa , quam importat potentialitas obedientialis non redacta ad actum; nec enim includit parentiam perfectionis debitæ , sed indebitæ. *Quamvis* autem talis imperfectio negativa , seu non expletio potentiae obedientialis, anxietatem beatitudini oppositam non afferat , adeoque locum habeat in Angelis beatis, ut docet D. Th. q. 8. de verit. a. 4. ad 13. releganda tamen est ab humanitate à Verbo assumptâ , ob rat. D. Th. Vide D. Godoy disp. 32. N. 93.

274 *Opp. 2. cont. 1. p. concl.* Res naturales ad solam scientiam naturalem pertinent , cùm objecta proportionentur habitibus: ergo attingi non possunt scientiâ per se infusa , seu supernaturali. *Præt.* Potentialitas Animæ Christi ad naturalia cognoscenda , est naturalis: ergo per solam scientiam naturalem , cui soli proportionatur , expleri debet : ergo. *Ad 1. Dist. ant.* ad solam scientiam naturalem

per-

pertinent, per se primò, C. secundariò, & modò altiori, N. Ad prob. Dist. ant. Objecta formalia, & adæquata proportionantur habitibus, C. materialia & inadæquata, N. & hujusmodi sunt naturalia respectu scientiæ per se infusæ, à qua attinguntur sub altiori ratione formali, nempè, sub revelatione clarâ extra Verbum, per quod à fide, & scientia beata, differt. Ad 2. Dist. ant. Potentialitas ad cognoscenda naturalia per se primò, & modò naturali, est naturalis, C. secundariò, & modò altiori, N. Unde potentialitas illa primò modò, per solam scientiam naturalem expleri potest. Sed secundò modò est obedientialis, adeòque per scientiam supernaturalem explebilis.

275 Opp. 3. D. Th. in 3. d. 14. q. 1. a. 3. & q. 20. de verit. a. 6. docentem, Christum non agnovisse singularia per scientiam infusam, quia non pertinent ad perfectionem intellectus humani: ergo. Præt. Quia aliàs fuissent in intellectu Christi propè infinitæ species intelligibiles solò numerò distinctæ, cùm tot sint singularia, & individua naturæ humanae, v.g. Præt. Singularia cognosci non possunt per lumen intellectus agentis: ergo nec ab intellectu Christi per scientiam infusam. Ad hæc, Consequentia ista est nulla: *Christus est prudentissimus*: ergo cognovit omnia singularia, quia ad prudentiam solùm expectant singularia agibilia, præter quæ, sunt plura factibia ad artem pertinentia; & plura, nec agibilia, nec factibia, sed purè speculabilia, ut singularia arenæ, seminum, animalium: ergo ex plenitudine prudentiæ Christi, non rectè infert D. Th. h̄ic, a. 1. ad 3. cognovisse omnia singularia per scientiam infusam. Tandem, quia aliàs cognitio scientiæ infusæ Christi fuisset intuitiva; sed hoc est falsum, cùm species infusæ repræsentent objectum, præscindendo ab hujus existentia, eodem quippè modò illud repræsentant, sive existat, sive non: ergo.

276 Ad 1. Resp. cum Cajet. Med. aliisque. D. Th. rem perspicatiū meditatum, deseruisse h̄ic sententiam, quam locis objectis propugnaverat. Ad 2. N. sequel. nam species hominis, v.g. Christo infusa, repræsentat naturam humanam, & omnia hujus individua, conditiones individuales,

&

& accidentia ; est enim talis species exemplata ab essentia divina , omnia illa præhabente , & repræsentante. Ad 3. N.conf. nam per hanc scientiam cognovit Christus substanzias separatas, quæ virtute intellectus agentis cognosci non possunt. Deinde R. singularia cognosci posse reflexè per lumen intellectus agentis ; adeòque directè per scientiam infusam , mediâ specie repræsentante naturam , ut in singularibus contractam.

277 Ad 4.Resp. cum Cajet.N.ant. Cognitio enim omnium omnino singularium , præteriorum , præsentium , & futurorum, rectè colligitur ex plenitudine omnimodæ prudentiæ Christi , monasticæ , politicæ , regalis & monarchicæ totius universi , cui nempe *omnia sunt subjecta , præter eum , qui subjectit ei omnia* , ut dicitur 1.Cor.15. Dices , hinc solùm probari , nosse Christum omnia singularia per prudentiam , quæ est habitus distinctus à scientia per se infusa: ergo. N.ant. ex quo enim illa cognoscatur per prudentiam , rectè infertur , & illam nosse per scientiam infusam , cuius est noscere omnia quorum cognitio quomodolibet pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ , & hoc propter maximam ejus universalitatem. Ad ult. N.min. Ad prob.N.ant. imò repræsentant rerum existentias , & omnes conditiones individuas , ob rat. suprà allatam. Ad prob. Dift. ant. Eòdem modō ex parte repræsentantis,C. ex parte repræsentati,N. Eàdem enim specie immutatâ repræsentatur existens , ut existens , & non existens , sine existentia , juxta dicta t.1. N.875. Dicitur nihilominus talis scientia *impropriè intuitiva respectu futurorum , ob sui perfectionem , ut diximus N. 269.*

278 Opp.4.cont.2. p. In Anima Christi non est potentia obedientialis ad id quod est proprium Dei ; sed talis est cognitio futurorum contingētium , & cordis cogitationum , ut ostendimus t.1.à N.866. ergo. Præt. Futura contingencia , cùm nō habeant esse determinatum , nō sunt repræsentabilia per speciem aliquam à Deo inditam : ergo nec cognoscibilia ab Anima Christi per scientiam infusam. Ad 1. Resp. præfatam cognitionem , dici propriam Dei , quia nulli

Hi alteri potest esse connaturalis; non autem quod nō possit gratuitò & supernaturaliter creaturæ communicari. Ad 2. N. ant. Ad prob. inclusam Dist. ant. Non habent esse determinatum, secundum se sumpta, C. ut subsunt absoluto & efficaci decreto voluntatis Divinæ. N. Unde sicut essentia divina, ut habens adjunctum decretum, repræsentat per modum speciei futura contingentia: ita species infusa creata potest illa repræsentare, quatenus à divina essentia prout sic exemplata. Et hæc est frequentior solut. cui unicè standum est, relictis aliis, que prolixè nimis, & juxta inutiliter tradi ab aliquibus solent.

DUBIUM II.

An, & qualiter præfata scientia cognoverit Anima Christi supernaturalia creata, & Beatissimæ Trinitatis Mysterium?

279 **P**rima concl. *Christus per scientiam inditam omnia entia supernaturalia quidditativè, & comprehensive cognoscit.* Est com. cont. negantes Animæ Christi talem scientiam, & cont. Banez, & Alvarez, afferentes, cognosci quidem illâ evidenter in attestante supernaturalia; secus quidditativè, & comprehensive; quibus adhærent quoad ultimum, Lorca, & Suarez. Prob. autem: Omnia enim illa sunt finitæ perfectionis & cognoscibilitatis: ergo possunt per species finitas infusas quidditativè, & comprehensive extra Verbum repræsentari, & scientiâ infusâ pariter cognosci: ergo & in Christo erat potentia obedientialis ad omnia illa sic cognoscenda: ergo de facto ita illa cognovit; decuit enim ut omnia ejus potentialitas fuerit in actum redacta, ut sæpè diximus ex D. Th.

280 Secunda concl. *Per eandem scientiam cognovit Anima Christi evidenter quoad an est Trinitatis Mysterium, seu hujus existentiam.* Est com. cont. Vazquez, & per paucos alios, & supponit cont. Scotist. non cognovisse hâc scientiâ An-

mam Christi quidditativè abstractivè Deum, nec Trinitatem, species enim creata repræsentans quidditativè Deum (ad talem cognitionem exæcta) repugnat prorsus, ut ostendimus t. i. à N. 190. *Prob.* autem concl. rat. fund. ex dictis: Tali enim scientiâ cognovit Anima Christi quidditativè, & comprehensivè omnia supernaturalia creata; sed horum plura, ut fides, charitas, visio, v.g. sic cognosci non possunt, non cognitâ evidenter Trinitatis existentiâ, cùm necessariam dicant habitudinem ad Deum ut Trinum, quem fides credit, charitas amat, visio intuetur: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

281 *Opp.* i. cont. i. concl. Gratia sanctificans, lumen gloriæ, visio beata, & unio hypostatica, cognosci non possunt quidditativè per scientiam infusam: Non quidem gratia, quia nequit quidditativè cognosci, non cognitâ quidditativè naturâ divinâ, cuius est participatio formalis. Nec lumen gloriæ, quia est longè superius scientiâ infusâ: Nec visio beata, alias & ejus objectum (nempè Deus ut est in se) quidditativè pariter nosceretur scientiâ infusâ, quod planè repugnat: Nec demùm unio hypostatica, est quippè superioris ordinis ad scientiam infusam: ergo nequit per istam quidditativè cognosci: quemadmodùm nec supernaturalia, per scientiam ordinis naturalis.

282 N. ant. quoàd omnes pp. *Ad prob.* primę N. ant. ut enim cognoscatur, gratiam participare formaliter natu-ram divinam, sufficit istam cognosci evidēter quoàd an est. Et sanè Angelus comprehensivè cognoscit intellectū crea-tum, quin quidditativè cognoscat divinum, quem ille for-maliter participat. *Ad prob.* 2.p. Difl. ant. Est longè su-pe-rius in ratione cognoscitivi, C. in ratione cognoscibilis, N. Conveniunt enim in eodem immaterialitatis gradu: Unde sicut, propter hanc rationem, potest Angelus inferior (jux-ta ipsos opposentes) superiorem quidditativè, imo & comprehensivè cognoscere, quamvis elicere non valeat cognitionem ita perfectam, ac superior: potest similiter scientiâ infusâ cognosci quidditativè & comprehensivè lu-men gloriæ, quantumvis istō eliciatur visio beata, quæ per illam

illam elici nequit. Videt. i. à N. 190. Ad prob. 3. p. N. se-
quel. nam ad cognoscendum quidditativè, imò & compre-
hensivè cognitionem, sufficit cognoscere hujus objectum
evidenter quoàd an est; aliàs non posset Angelus naturali-
ter comprehendere, nec quidditativè cognoscere depen-
dentiam creaturæ à Deo. Ad prob. ult. p. Dist. ant. Est su-
perioris ordinis, absolutè, N. intra eundem ordinem super-
naturalē, C. & N. conf. & prob. nam ordo nature est om-
nino diversus à supernaturali, & istō inferior. Vide suprà,
N. 99.

283 Opp. 2. cont. eandem: Immaterialitas scientiæ in-
fusæ nequit specificè adæquare immaterialitatem luminis
& visionis: ergo nec illius cognoscitivitas, horum cognos-
cibilitatem; utraque enim immaterialitatem consequitur:
ergo scientia infusa nequit comprehendere lumen & visio-
nem: sicut nec Angelus inferior superiorem, ut plures ex
Nostris docent, ob eandem rationem. N. conf. Ad prob.
R. 1. vim cognoscitivam scientiæ infusæ pensari debere ex
istius radice, gratiâ nimirūm sanctificante, & unione hy-
postaticâ, longè perfectioribus lumine & visione: quip-
pè ad comprehensionem objecti non requiritur, quòd illius
principium proximum sit ejusdem immaterialitis &
perfectionis specificæ cum objecto; aliàs nullus Angelus com-
prehenderet se ipsum, quia nullius intellectus propriam ad-
æquat in specifica immaterialitate substantiam.

284 Ad comprehensionem igitur objecti, sufficit, quòd
causa adæquata intellectionis, adæquet ex aliqua sui parte,
perfectionem objecti: Adæquata autem intellectionis cau-
sa consurgit ex principio illius radicali, potentia, & vir-
tute potentie; non quidem ut ex causis partialibus, sed ut
ex partibus causæ, juxta dicta t. 1. N. 229. Cùm igitur in An-
gelo inferiori utrumque intellectionis principium, radi-
cale, & proximum (natura, scilicet, & intellectus) sit in-
ferioris immaterialitatis specificæ ad substantiam superioris;
istam propterea non comprehendit, juxta illam sententiam.
Cognitio verò luminis & visionis, elicita per scientiam in-
fusam, est verè illorum comprehensio, ut potè illorum per-
fe-

fectionem, & cognoscibilitatem adæquans, & superans ratione principii radicalis, nempè, gratiæ, & unionis; quantumvis illam non æquet ratione principii proximi, seu scientiæ infusæ. Deinde R. ad arg. N. conf. Ad prob. N. conf. ut enim scientia infusa comprehendat lumen, & visionem, & Angelus inferior superiorum; sufficit convenientia in gradu immaterialitatis genericæ.

285 Opp. 3. cont. 2. D. Th. afferentem hîc a. 1. Christum, per scientiam infusam, Dei essentiam non cognovisse; sed solum per beatam: ergo. Præt. Illa solum cognoscuntur per scientiam infusam, quæ repræsentantur per propriam speciem; sed Trinitatis Mysterium repræsentari nequit, adhuc quoad an est, per speciem propriam creatam, ob dicta tom. I. N. 190. ergo. Ad 1. R. loqui D. Th. de cognitione divinæ essentiæ in se, seu de cognitione Dei per essentiam; non verò de cognitione per suos effectus; aliás cognitionem Dei ut unius, à scientia infusa excepisset; nec enim Trinitatem excipit, sed *Dei essentiam*. Profectò D. Th. expressè ibidem docet, cognovisse Christum per scientiam infusam omnia, quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt... ad quodcumque donum Spiritus S. pertineant. Quæ si Vazquez attendisset, non affereret, Thomistas verba D. non legisse. Ad 2. Dist. maj. Illa solum cognoscuntur immediate, C. mediately, N. Trinitas autem cognoscitur per scientiam infusam mediantibus donis supernaturalibus, non ut effectibus Dei (qualiter ex illis cognoscitur ut unus, cum vis productiva ad extrâ sit indivisa, & communis tribus Personis) sed quatenus respicientibus Deum ut objectum, juxta dicta N. 278.

186 Ex dictis inferes 1. id quod docet D. Th. q. 11. a. 2. nimirum, potuisse Christum hâc scientiâ intelligere sine, & cum conversione ad phantasmatata: erat enim comprehensor, cuius est intelligere independenter à phantasmatibus, cum neutiquam subdatur corpori, sed totaliter ei dominetur: & de facto sic intellexit ea quæ per phantasmatata cognosci nequeunt, nempè, substantias separatas. At quia simul erat viator, & sensibns prædictus, potuit pro libito in-

telligere , se convertendo ad phantasmata. Inferes 2. id quod resolvit S. D. a.3. nempe , potuisse similiter eadem scientiâ intelligere cum discursu, ac sine illo : quamvis enim scientia illa non fuerit collativa quoâd acquisitionem , ut potè infusa; potuit nihilominus talis esse quoâd usum: Cùm enim Anima Christi esset rationalis , cuius proprium est conferre , & discurrere; poterat unum ex alio concludere, & de facto ita conclusit Matth. 17. nam ex Petri responso, quod nempè Reges , non à filiis, sed ab alienis tributum accipient , intulit Dominus : *Ergo liberi sunt filii.* Qui discursus soli scientiæ infusæ tribui potest , cùm plura involvat supernaturalia Mysteria de libertate filiorum Dei, adeòque in intelligibilia per scientiam naturalem, seu acquisitionem.

287 Inferes 3. cum S.D. a.4. scientiam infusam Christi , fuisse quidem perfectiorem Angelicâ ex parte influentis, quantum ad numerum scitorum, & scientiæ certitudinem, quia plura , & certius cognoscebat : esse tamen inferiorem Angelicâ ex parte recipientis , quantum ad modum cognoscendi, nempe, per conversionem ad phantasmatâ , & collativè, quem scientia infusa Christi permittit, secùs Angelica. Recepit insuper Christus species minus universales , quâm Angeli. Et hæc est differentia essentialis , firmans inferioritatem scientiæ infusæ Christi respectu Angelicæ ex parte subjecti : sed illam reservavit Ang. D. a. 6. solâ primâ hic indicata , tanquâm notiori ex a. 2. ut appositiè , pro more, notat Cajet.

289 Inferes 4. cont. Joann. à S.Th. & Cipull. scientiam per se infusam Animæ Christi , esse unum specie habitum; attingit enim omnia sub una ratione formalí , ob ejus superioritatem. Nec oppositum innuit D.T. dum hic a. 6. ait, fuisse distinctam secundum diversos habitus : accipit enim nomen *habitus* pro speciebus intelligibilibus , & quidem jure , tum quia illas connotat habitus , tum quia non semper omnibus illis actu utitur Anima Christi , & hanc esse mentem S.D. colligunt Berg. Medina, Arau. Maiorinis , Godoy, & plures alii , ex eo quod ibidem ad 3. aperte docet, scientiam infusam Christi esse unam ex parte luminis ele-

vantis intellectum , & plures ex parte specierum , objecti-
vè concurrentium. Et idem expressius docuit in 3.d.14. a.
3. qq.4. dicens: *Animæ Christi unō habitu omnia cognovit , quæ
ad hanc scientiam pertinent , quamvis diversis speciebus.*

DISPUTATIO III.

De Scientia acquisita , vel experimentali Animæ Christi.

DUBIUM UNICUM.

*Utrum Scientia naturalis fuerit prro priis actibus à
Christo comparata?*

290 **C**Oncl. est affirm. & D.Th. h̄c q. 12. a. 2. &

suprà, q.9. a.4. & com. cont. D.Bonav.Scot. Dur. Gabr. & Suarez , afferentes , illam fuisse Christo per accidens infusam ; id quod D.Th. docuit in 3.d. 14. q.3.a.3. sed illud h̄c , se ipso doctior factus , expressè retractat. Supponit concl. tanquam indubitatum , fuisse in Christo scientiam naturalem , seu per se acquisibilem. Prob. autem rat. D.Th. tum quia aliàs frustraneus , & otiosus fuisse in Christo intellectus agens ; cuius propria operatio est facere species intelligibiles actu , abstrahendo eas à phantasmatis bus. Tnm qua in Christo ponitur scientia connaturalis soli Dei , scilicet , *beata* , & scientia connaturalis Angelis , scilicet , *infusa* : ergo ponenda in illo est scientia undique connaturalis naturæ humanæ , scilicet , *acquisita* , quæ est connaturalis homini , non solum ex parte subjecti recipien-
tis , sed etiam ex parte causæ agentis , adeoque totaliter hu-
mana : non igitur habuit illam per accidens infusam , sed
de cursu vitæ sensim comparatam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

291 Opp. 1. Scientia, quæ sensibus sensim acquiritur, est valdè imperfecta, & diminuta, quia & supponit sui parentiam in subiecto pro aliquo tempore, nec attingere potest substantias separatas, imò nec plurima corporalia à sensibus remotissima, quorum proinde species ab his comparare nequit, ut occultas cœlorum virtutes, & in abyssis maris ac terræ visceribus latentia: ergo talis scientia dédecet Christi animam, præfata omnia perfectissimè naturali scientiæ cognoscentem ab initio, ut potè ex tunc veritatis, seu scientiæ plenam. *Præt.* Omnes virtutes morales naturales, seu per se acquisibiles, fuerunt per accidens infusæ voluntati humanæ Christi, juxta dicta N. 195. ergo & scientiæ naturales sic fuerunt infusæ illius intellectui. *Tandem:* Quia illas sic infusas habuit Protoparens, juxta D. Th. 1.p. q.94. a.3. ut scilicet, alios instruere posset: ergo potius Christus, ob eandem rationem.

292 Ad 1. Dist. ant. Est valdè imperfecta & diminuta, negativè, C. privativè, N. Nam scientiæ illi connaturalis est processus de imperfecto ad perfectum, & neutiquam debita cognitio spiritualium, & latentium; cum illius objectum sit sola quidditas sensibilis attingibilis lumine intellectus agentis, ut docet D. Th. q.12. a.1. ad 3. Neutiquam igitur indigna fuit Christo successiva acquisitio scientiæ naturalis: sicut nec quantitatis, figuræ, & usus membrorum; quippe scientia per se acquisibilis, non erat magis debita illi in statu infantili, quam perfecta quantitas, statuta completa, loquela distincta, gressus expeditus, & juxta ipsum Suarez opponentem, cognitio experimentalis. Imò acquisitio talis scientiæ conveniens fuit Christo ex parte scientiæ, scientis, & modi sciendi, ut optimè notat Cajet. nam acquisitio est generatio per se, & naturalis talis scientiæ, secùs infusio: sciens autem per inventionem, se ipsum movet, quod nobilis est, quam moveri ab alio, qualiter accidit scienti per infusionem: Modus tandem ita sciendi superadditur modis sciendi scientiæ beatæ, & inditæ, ut nullus convenire potens Christo, illi defuerit. *Ad 2.* constat discri-

men

men ex ibidem dictis, & à N. 203. Ad ult. R. disp. esse, quod Adam conditus est in ætate virili, ut principium, & Doctor hominum in naturalibus; Christus vero assumpsit statum infantiae, cui connaturale est crescere ætate & sapientiam: nec venit ut scientias naturales doceret, sed ut mysteria gratiae revelaret.

293 Opp. 2. cont. 1. rat. D. Th. Intellectus agens fuit in Adam, & remanet in Beatis, absque abstractione specierum à phantasmatibus; & tamen non frustra: ergo. Præt. Præcipius actus intellectus agentis, non est abstractio, sed intellectio: ergo non fuisset frustra, quamvis abstractione caruisset. Prob. ant. ex D. Th. q. un. de Anima a. 15. ad 9. dicente: *Anima cum fuerit à corpore separata, per intellectum passibilem recipiet species effluentes à substantiis superioribus; & per intellectum agentem habebit virtutem ad intelligendum.* Quibus innuit, intellectionem esse actum intellectus agentis, cum illam virtute istius elici dicat; sed intellectio est perfectior abstractione, cum ad illam ordinetur: ergo. Ad 1. R. disp. esse, quia Protoparenti non erat debita, & connaturalis specierum abstractio, sed potius infusio, ob dicta N. præced. adeoque parentia abstractionis non infert, otiosum in illo fuisse intellectum agentem, & idem dicendum de Beatis; id enim solùm dicitur frustra, & otiosum, quod caret actu sibi debitō pro statu, loco, & tempore: Christo autem econverso, non specierum infusio, sed acquisitionis, era~~t~~ connaturalis & debita, ob suprà dicta: qua propter si illa caruisset, otiosus in eo fuisset intellectus agens.

294 Ad 2. N. ant. Ad prob. omissis aliis solut. R. 1. cum Bergom. in tab. aur. dub. 1218. S. Doctorem eō loci in ea fuisse sententia, nempē, intellectum agentem simul cum patibili intellectionem elicere, adeoque illum non fuisse frustra in Christo, quamvis species à phantasmatibus non abstraxerit, ut docuerat loco suprà laud. ex sent. utrumque autem in præsenti retractasse. R. 2. sensum S. D. esse, quod anima separata, per intellectum dabisibile ut passibilem, accipit species, & per ipsum ut agentem

habere virtutem ad intelligendum. Itaque in eodem intellectu passibili duplex distinxit munus, scilicet, & *passivi*, quatenus recipit species, & *activi* seu *agentis*, quatenus intelligit, seu intellectionem agit; qualiter 1. p. q. 54. a. 4. concedit Angelis *intellectum agentem*, nimirum, æquivocè.

295 Inquires 1. An per hanc scientiam cognoverit Christus omnia? R. cum D. Th. hic q. 12. a. 1. cognovisse per eam omnia & sola illa, quæ per lumen intellectus agentis homini sunt cognoscibilia; adeoque per hanc scientiam non cognovit Christus substantias abstractas, nec singularia præterita, præsentia, & futura; quæ quidem scientiæ beatâ, & inditâ, plenissimè novit. Quamvis antem non omnia sensibilia fuerint Christo objectata, fuerunt tamen (inquit D. Th. ad 2.) *sujeta sensibus ejus aliqui*, ex quibus poterat in aliorum notitiam devenire, ob excellentissimam vim rationis ejus. Si quæ autem singularia, opportuna ad accipiendas species pro perfectione scientiæ fuerint à Christi sensibus remotissima; dici potest, juxta Cajet. ea Angelos ipsi exhibuisse: sicut illorum ministerio allati sunt ei panes in deserto, & Protoparenti adducta sunt animalia, illis omnibus nomina imposituro.

296 Inquires 2. Utrum Christus in hanc scientia proficeret? & an aliquid ab homine, vel Angelo didicerit? Ad 1. resp. D. Th. a. 2. affirmativè: profecit quippe in ea non solum quantum ad effectum & experientiam, sed etiam quantum ad essentiam ipsius habitus; nam intellectus agens poterat alias, & alias species abstrahere, quibus augeretur hæc scientia, quæ dicitur *humano*, quia humano modò acquiritur, & de ea est sermo (juxta Ambros.) dum Lucæ 2. dicitur, *quod Jesus proficiebat sapientiam*. Nec profectus repugnat perfectioni hujus scientiæ; nam licet semper fuerit perfecte secundum tempus; non tamen simpliciter & secundum naturam. Ad reliqua respondet negativè, aa. 3. & 4. Dedecebat enim omnium hominum Doctorem, ab eorum quocumque doceri, vel discere. Nec Angelicō lumine opus habuit ad perfectionem scientiæ, sive acquisitæ, si-
ve

ve inditæ ; ad illam enim satis est lumen intellectus agentis ; istam verò immediate à Deo adeptus est. *Conformatio* autem Angeli erga Christum, non fuit per modum instructio-
nis, sed ad demonstrandam ejus humanitatem.

297 Inquires tandem : An , præter triplicem scientiam hucusque expositam, nimirūm ., *beatam* , *per se inditam* , & *acquisitam* , fuerit in Anima Christi scientia naturalis , per se infusa quoàd species , qualis agnoscitur in Angelis , & anima separata ? *Affirmativè* respondent Lorca , Godoy , Gonet , aliquie ; sed *negativè* respondendum censeo . *Tum* , quia de tali scientia altum apud veteres omnes silentium . *Tum* , quia naturalis cognitio rerum naturalium per species à Deo infusas , non est connaturalis , aut connaturaliter debita Animæ Christi in ordine supernaturali , ut ex terminis liquet ; nec etiam intra naturæ ordinem , *non enim est naturale animæ* , quid per species infusas intelligat , cùm est unita corpori ; sed solum quando est separata ut docet D. Th. q. un. de An. a. 15. in corp. & ad 19. & a. 17. ad 2. Anima autem Christi erat corpori unita . Nec adversatur D. Th. dūm opusc. 2. cap. 216. geminare videtur cognitionem Christi infusam , ut erga naturalia , & supernaturalia crea-
ta versetur . Loquitur enim de eadem cognitione infusa su-
pernaturali , quæ non modò supernaturalia , sed & natu-
ralia perfectissimè attingit , juxta omnes : ideòque eam ,
aliam , & aliam , appellat S. D. non *subjectivè* , sed *objectivè*
dumtaxat . Nec alia fusè adducta à D. Godoy amplius ur-
gent , ut in eis disolvendis immorari oporteat .

DISPUTATIO ULTIMA.

De Potentia Animæ Christi.

POstquam egit S. D. de Gratia , Virtutibus , & Scientia Animæ Christi à q. 7. differit consequenter q. 13. de Potentia , seu potestate & virtute activa ipsius , tum absolute in se , tum in ordine ad diversa , & maximè supernatura-
lia .

DUBIUM UNICUM.

*Utrum Humanitas Christi , non solum moraliter,
sed & physicè instrumentaliter concurrat ad podu-
ctionem gratiæ , aliorumque effectum superna-
turalium & miraculorum?*

298 **A** Nte resol. supp. cum D. Th. a. 1. tanquam fide certum contra Ubiquistas, quod licet homo Christus per communicationem idiomatum dicatur Omnipotens, sicut dicitur Deus, &c. non tamen fuit humanitati communicata Omnipotentia simpliciter; imo id repugnare constat, quia infinitas simpliciter est proprietas naturæ divinæ , à qua humānitas permanit distincta post unionem, propriamque retinuit impermixtam & inconfusam, ut cont. Euthic. diffinivit Ecclesia. *Supp. 2. ex dictis t.3. à N. 433.* solū Deum esse posse causā efficientē principale gratiæ. *Supp. 3. humanitatem Christi fuisse causam moralem principalem prædictorum;* constat enim ex supra dictis, Christum, quā hominem , satisfaciōri & meritori influxisse in iustitiam nostram ; ac reliqua supernaturalia charismata. His præsupp.

299 Concl. est affirm. expressa D. Th. hīc a.2. & com. Thomist. quibus adhærent Suarez , Valen. aliique Societ. cont. Altis. Alen. D. Bonav. aliosque veteres, quibus, post Canum, subscribunt mordicūs Vazquez & quidem alli RR. Prob. autem concl. *Tum ex illo Lucæ 6. virtus ex illo exibat, & sanabat omnes.* Ex illo J. 1. *Gratia , & ueritas per Jesum Christum facta est,* aliisque videndis apud Medin. hīc ; quibus influxus physicus indicatur : sicut dum dicitur , ipsum ad miracula patranda adhibuisse sputum , contactum , imperium , & similia ; exitus enim effectus , efficientia , & reliqua , propriè accepta , quid physicum sonant dumtaxat , vel saltem propriūs , quam morale : ergo sic accipienda , sunt,

sunt, cùm nullum inde sequatur absurdū, ut ex solut. argum. patebit. *Tum ex CC. & PP. passim affirmantibus, carnem Christi, propter unionem ad Verbum, esse vivificatricem, cooperatricem divinitati, & quæ divinitatis sunt operatricem;* sed caro Christi non vivificat solum per modum nudæ conditionis, id enim aliis rebus (quamlibet minimis) convenire potest: nec per influxum moralem, cuius est incapax: ergo caro Christi, vel neutiquam influit circa prædicta, adeoque nec instrumentaliter, contra ipsos adversarios; vel influit physicè.

300 Prob. deinde rat. *Tum quia humanitas Christi juxta CC. & PP. est instrumentum & organum Divinitatis in ordine ad effectus supernaturales; sed non morale (cùm divinitas esse non possit causa moralis principalis influens merendo, orando, &c. sed solus Filius factus homo:) ergo physicum.* *Præt.* Humanitas Christi operatur justificationem & miracula virtute toti Trinitati communi, juxta illud Lucæ 11. *Si in digito Dei ejicio dæmonia, & Joan. 14.* *Pater autem in me manens, ipse facit opera:* ergo operatur illa physicè instrumentaliter; omnis enim virtus moralis Christi, est propria Personæ Filii merentis & satisfacentis. *Præt.* Quia aliás posset assumi ut instrumentum ad creandum, quod vel Patri Vazquez adversatur, cujns evasio ex dictis rejecta manet. *Tandem,* quia influxus ille physicus est perfectior morali, nec Christi humanitati repugnat, ut ex solut. argum. constabit: ergo concedendus illi est: non modò in terris degenti, sed etiam nunc in Cælis imperanti; quidquid nonnulli aūtument, nam rationes adductæ utrumque convincunt. Sicùs de illa ante Incarnationem; imò id apertè repugnat, ob defectum existentiæ, ad influxum effectivum (& maximè physicum) exactæ. Vide suprà N. 79. 81. & 88.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

301 Opp. 1. cont. 1. supp. illud Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Et illud Joan. 3. *Omnia dedit ei Pater in manus;* quæ omnipotentiam sonant, & de Christo, quæ homine, intelligunt PP. quorum plures do-

docent, Christum ut hominem verè esse Omnipotentem.
Præt. Quia aliàs dūm dicimus: *hic homo* (demonstratō Christō) *est omnipotens*, nihil aliud dicimus nisi : *Deus est Omnipotens*: ergo nihil dicimus cōmunicatum humanitati ad operandum.
Præt. Humanitas Christi acquisivit esse, & subsistere divinum : ergo & posse , quod sequitur ad esse, juxta Phil. Et hinc postremò corruit rat. D. Th. nec enim est magis propria Dei omnipotentia, quām sua existentia , quæ tamen communicata est humanitati , salvâ hujus essentiâ : ergo.

302 Ad 1. R. testim. illa intellecta de Christo quā homine , duplíciter verificari : primò , per communicationem idiomatum. Secundò, quia humanitati tributum est, ut tanquām instrumentum excellentiæ possit omnia, non quidem absolute , sed ad finem redemptionis necessaria , & ordinabilia. Et eodem modō accipiendi sunt PP. Ad 2. N. conf. Quamvis enim communicata non sit humanitati omnipotentia simpliciter , ob repugnantiam ; plura & maxima collata sunt ei dona, assumptaque est ut instrumentum divini Verbi ad facienda opera eximia. Ad 3. N. conf. & prob. Potentia namque , non existentiam nec subsistentiam rei sequitur , sed essentiam. Ad ult. N. ant. Ad prob. N. conf. Quia omnipotentia simpliciter ex sua ratione intrinseca dicit modum infinitatis , quō est in Deo circa omnes possibles effectus ; adeoque nequit formaliter creaturæ communicari, sicut nec infinitas ipsa , ratio entis à se, actus puri , & id genus: Existentia verò , & plura attributa, ex vi terminorum non explicant modum quō sunt in Deo. Vide t. 3. à N. 265. Et Joan. à S. Th. disp. 15. a. 1. ad 7.

303 Opp.2. cont. concl. Concil. Trid. sess.6. de Justit. ubi enumerans causas nostræ justificationis, nihil dicit de causalitate physica instrumentalī humanitatis Christi : ergo. *Præt.* D. Th. in 3.d.16.q.1.a.3, solam virtutem per modum orationis , & intercessionis agnoscit in Christi humanitate ad patranda miracula : ergo. Ad 1. N. conf. Concilium enim solum enumerat causas justificationis , quas fide creditur in illam influere , qualis non est influxus instrumentalis physicus quem humanitati Christi afferimus. Et quidem nec

nec influxus moralis instrumentalis meminit, quem inconsequenter cum meritorio confundit Vazquez. Vide Godoy disp. 40. n. 95. *Ad 2. omissâ solut. Cajet. afferentis, D. Th. correxisse hîc a. 2. sent. illam.* R. loqui S. Doct. de sola virtute principali; unde sensus est, quod nulla virtus fuit in Anima Christi ad principaliter patranda miracula, nisi moralis per orationem, aut intercessionem: *orans enim in oratione est sicut principale agens*, ut loquitur in 4. d. 5. q. 2. a. 2. Cum quo tamen stat, quod habuerit insuper virtutem physicam instrumentalcm ad tales effectus.

304 Opp. 3. Instrumentum physicum debet existere realiter, contingere subjectum in quo agit, præviè operari, & virtutē à cœla principali derivare; sed hæc omnia desunt humanitati Christi ad productionem gratiæ: *Primum* quidem, nam antequām existeret, causavit gratiam in antiquis PP. sicut illius Passio & resurrectio jam præteritæ causant vitam & resurrectionem nostram. *Secundum* etiam, nam existens in cœlo, non contingit homines quos justificat in terra; nec in terris degens, tangebat physicè illos quos foliâ voce sanabat etiam absentes, ut servum Centurionis, & filium Reguli. *Tertium* quoque, plura enim Christi miracula patrata sunt creatione, & suspensione concursus divini, ut patet in Columba Jordanis, & deambulatione super aquas; nulla autem creatura potest præviè agere in subjectum creationis (quod est nihilum) nec in concursum divinum. *Quartum* demùm, quia virtus illa, vel foret spiritualis (adèoque in Christi carne irreceptibilis) vel corporalis, & sic in anima subjectari non posset.

305 N. min. quoad omnes pp. *Ad prob. 1.* R. quod humanitas Christi fuit causa solùm moralis gratiæ veterum PP. ob dicta à N. 81. nostræ tamen Passio & resurrectio Christi est causa physica; remanet quippè in aliquo effectu physico, scilicet in cicatricibus, & dotibus gloriosis Corporis Redemptoris. *Ad prob. 2.p.* Dist. ant. non contingit, &c. contactu rei, C. contactu virtutis, N. Ad hunc autem requiritur quidem connaturaliter indistantia localis, non autem essentialiter; adeoque humanitas Christi potest, vir-

tute divinâ in subjectâ à se distantia physicè instrumentaliter agere. *Ad prob. 3. p. R.* in exemplis adductis supponi falsum, Columba enim illa non creata fuit, sed ex prægante materia generata. *Nec incessus super aquas, ex suspensione concursus Divini, sed ex dono agilitatis tunc redundare permisso, oriebatur.* Quòd si in aliquibus miraculis contigit creatio, aut divini concursus suspensio; de illis non loquimur, sed de omnibus ad quæ potest se causalitas instrumenti pretendere. *Ad prob. ult. R.* virtutem illam esse spiritualem, quæ benè potest transeunter in corpore recipi, ut dicemus, Deô dante, in Mat. de Sacramentis.

306 Prolixè nimis disputant hīc nonnulli de virtute, quâ humanitas Christi instrumentaliter physicè influit in effectus supernaturales, & miraculosos: An videlicet, sit illi extrinseca, vel intrinseca? An motio, vel qualitas? Absit tamen ut in his extricandis immoremur; philosophica enim sunt, & omnibus instrumentis communia. Sufficiat supponere communem Thomist. sent. quòd instrumentum physicum constituitur per virtutem intrinsecam, ab agente principali illi transeunter derivatam, seu qualitas sit, seu motio; adeoque idem dicendum de humanitate Christi ad patranda physicè instrumentaliter miracula, &c. Concedendum nihilominus est, illam permanenter habere potestatem ad tales effectus, quia per unionem hypostaticam fuit deputata instrumentum, cui debebatur elevatio ad illos, quando, & quomodò voluerit; non tamen quòd ei insit virtus aliqua permanens ad illos, quia hæc potius causam principalem, quam instrumentalem, efficeret humanitatem. Ac de III. Tract. tantùm.

TRACTATUS IV.

*DE DEFECTIBUS A CHRI-
STO in humanitate assumptis, & de
consequentibus unionem, convenien-
tibus Christo quantum ad esse,
& fieri.*

Ad q. 14. 15. & 16.

Absolutâ disp. de perfectionibus Humanitatis as-
sumptæ, consequenter agendum est cum S. Doct.
de defectibus ejusdem naturæ, & primò de de-
fectibus corporis, quam animæ. Sit igitur

DISPUTATIO I.

*De Defectibus Corporis assumptis à Filio
Dei.*

DUBIUM UNICUM.

*An, qualiter, & quosnam Corporis Defectus as-
sumperit Christus?*

307. **P**rima concl. Conveniens fuit, corpus assumptum à
Filio Dei, humanis infirmitatibus, & defectibus
sub-

subjacere. Est D. Th. q. 14. a. 1. & fide certa cont. Phantasia, quibus adhæsit Justinianus I. negantes, Corpus Christi (quod verum, & reale cont. Manichæos admittebant) fuisse passibile, & morti obnoxium; cuyus oppositum definitur in CC. Ephes. anathem. 12. Calced. act. 1. & Lateran. sub Martino I. consult. 5. can. 3. & aliis. Constat insuper ex illo Isaiae 13. *Verè languores nostros ipse tulit, & labores nostros ipse portavit,* & ex universa Evangelii historia referente, Christum passum fuisse famem, sitim, corporis fatigationem, demum mortem. Prob. deinde rat. D. Th. Expediebat enim præfatos defectus Christum assumere, ut pro peccato humani generis satisfaceret; ut fidem Incarnationis astrueret; & patientiæ præberet exemplum.

308 Secunda concl. *Corpus Christi necessariò subiacuit morti aliisque defectibus, necessitate tum naturæ, consequente materiam; tum coactionis, repugnante naturæ corporeæ, non autem voluntati divinæ, aut humane deliberatæ.* Et D. Th. a. 2. Ad cuius intelligentiam præmittit S. Doct. quod necessitas est duplex: altera *coactionis*, quæ fit ab extrinseco, & repugnat naturæ, & voluntati, cum utraque sit principium intrinsecum: altera est *naturalis*, quæ consequtitur principia naturalia, id est, formam, vel materiam; sicut necessarium est, ignem calefacere, & corpus ex contrariis compositum, dissolvi. Hoc præsupp.

309 Prob. concl. quoad 1.p. quia carni Christi ex Dei beneplacito permittebatur agere, & pati, quæ propria sunt illi. Quoad 2. verò patet, quia corpus Christi fuit clavis perforatum, & flagellis percussum. Quoad 3. demum, Christus enim *oblatus est, quia voluit, & voluntate divinâ, & humanâ deliberatâ*, licet mors esset contra naturalem motum voluntatis humanæ, ut Damasc. dicit, prout scilicet, naturaliter refugit mortem, & corporis nocimenta. Et hinc habetur, tales defectus fuisse Christo absolutè voluntarios, non quidem *formaliter*, tanquam à voluntate elicitos, aut imperatos; sed *objectivè*, tanquam volitos, amatos, & acceptatos.

310 Tertia concl. *Christus non contraxit hujusmodi defectus,*

ctus, sed voluntarie suscepit. Sic D. Th. a. 3. Theologos instruens, nè in errorem incident, & congruè loqui sciant. *Prob.* autem concl. *Tum*, quia tales defectus contrahuntur ex peccato, juxta illud Rom. 5. *Per peccatum mors*; sed in Christo non habuit locum peccatum: ergo. *Tum*, quia contraxio importat ordinem effectus ad causam; causa autem mortis, & horum defectuum in humana tatura, est peccatum, ut dicitur Rom. 5. soli igitur illi propriè dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati illos incurruunt; quod Christo repugnat: ergo.

311 Ult. concl. *Christus non omnes corporis defectus assumpsit, sed eos solum, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur ex peccato primi Parentis, quales sunt mors, fames, sitis, & ejusmodi.* Sic D. Th. a. 4. & quoad 1. p. constat. *Tum*, quia repugnat omnes eidem inesse, cùm plures invicem contrarientur. *Tum*, quia non assumpsit ignorantiam, pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum, repugnantes perfectionis scientiæ, & gratiæ, exactæ ad satisfacendum pro peccato humanæ naturæ. *Sed adverte*, D. Th. non sumere hic ignorantiam, &c. formaliter, qualiter sunt spirituales; sed causaliter ex parte corporis, juxta illud Sap. 9. *Corpus, quod corruptitur, aggravat animam.* Et illud Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris mei, &c.* Senitus ergo S. Doct. est, non assumpsisse Christum corpus ita dispositum, & prædominans animæ, ut perfectionem scientiæ, & gratiæ posset impedire.

312 *Tum*, quia nec assumpsit defectus, quibusdam hominibus ex caulis particularibus obvenientes, quales sunt lepra, morbus caducus, & id genus: hi enim defectus non profuerint, imò obsuerint fini incarnationis, cùm impeditre potuerint salutiferam ejus cum hominibus conversationem: Proveniunt insuper tales defectus, vel ex intemperatia individui, vel ex imperfectione virtutis formativæ, quorum neutrum convenit Christo, cùm fuerit in omnibus temperatissimus, & caro ejus de Spiritu S. concepta. *Jure* igitur quidam Concionator, qui tales morbos Christo tribuere non erubuit, iussus fuit retractare sententiam, tanquam

quam blasphemam, & erroneam, teste M. Medinâ hîc. Qui meritò addit, temerarium esse, & piarum aurium offendit, asserere, aliquem vel levissimum fuisse in Christo morbum: Oppositum enim est communis PP. D. Th. & fidelium sensus. Tum demùm, quia nec assumpsit defectum pulchritudinis, seu deformitatem, ut communiter ex PP. docent Theol. cont. Mich. de Medina; fuit siquidem speciosissimus, & pulcherrimus; non muliebri pulchritudine, sed virili, quæ omnino ipsum deceret. Videbis M. Medinam hîc. Altera concl. p. constat ex dictis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

313 Opp. i. cont. i. concl. aliquos PP. asserere, Christi corpus fuisse impensisibile, nec ullum verum sensisse dolorem. Ita aperte sentit Hilar. lib. 10. dicens inter alia *virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se deservientis exceptit.* Et rursus ibidem, de omnibus, quæ Christus pertulit, ita loquitur: *Afferrent hæc quidem impetum Passionis, non tam dolorem Passionis inferrent, ut telum aliquod aquam perforans, &c.* Hier. etiam in cap. 26. Matth. ait: *Erubescant, qui putant Salvatorem timuisse mortem, & Passionis pavore dixisse, Pater si fieri potest, &c.* Clem. Alex. lib. 6. Strom. c. 6. ita de Christo loquitur: *Ipse autem, ut semel dicam, impensisibilis erat: ergo.*

314 N. ant. laudati enim PP. apertissimè docent concl. noltram catholicam. Et quidem Hilarius (ut optimè observat P. Suarez infrà, q. 15. ar. 5.) sæpè in suis libris (*in quibus pietas fidei non vacillat*, ut Hier. ait cap. 7. ad Lætam) verum dolorem, sicut etiam famem, sitim, similesque defectus tribuit Christo. In Pial. 68. (ubi oppositum errorem tenuisse, contendit Vazquez) ait: *Universarum humanarum passionum sorte perfunctus, secundum suscepas infirmitates nostras loquitur: Et dolet ipse quidem extra necessitatem, & timoris positus, & doloris.* Et infrà: *Percussus ergo est Dominus, peccata nostra suscipiens, & pro nobis dolens.* Et post pauca: *Hunc igitur à Deo percussum persecuti sunt, super dolorem vulnerum, dolorem persecutionis addentes.*

315 Præt. Psal. 53. *Hinc es! (inquit) quid esurivit, sitivit-*

vit, dormivit, lassatus fuit, impiorum cætus fugit, mæstus fuit, & flevit, & passus, & mortuus est. Quid clarius? Quid apertius? Eadem habet lib. 3. de Trin. Meritò igitur Magister sent. DD. Angelic. & Seraph. (Patre Vazquez planè doctiores) & innumeris alii, Magnum Hilarium à tali errore vindicant. Ad loca igitur objecta respondet D. Th. q. sequenti. a. 5. ad 1. quod in omnibus illis verbis, & similibus, Hilarius à carne Christi, non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit... quia non accepit necessitatem per comparationem ad causam primam horum defectuum, quæ est peccatum, ut suprà dictum est. (hic nimis, a. 2.) Id quod ex Hilarii contextu evidentissimè ostendit. Et hæc est solutio Mag. in 3. d. 15. quam optimè expendit Sixtus Sen. lib. 5. Bibl. annot. 186.

316 Secundò respondet D. Ang. in 3. d. 15. in expos. Textùs. Et q. 26. de verit. a. 8. ad 7. quod ideo dicit (Hilarius) Christum sensum pœnae non habuisse; non quia pœnam non senserit, sed quia sensus iste non pervenit usque ad rationem immutandam; ad id namque perinde se habebant omnia quæ Christus pertulit, (et si impetum facerent) ac telum aquam perforans, &c. cujus oppositum blasphemabant Arriani (quos ibi exagitabat Hilarius) ut inde inferrent, Christum fuisse purum hominem. Vide omnino Cippullum q. seq. ubi multis eruditissimè firmat expos. D. Th. & impugnationes P. Vazquez apertissimè explodit.

317 Verum quidem est, quod D. Th. in 3. d. 55. in expos. Textùs, & D. Bonav. d. 16. a. 1. q. 1. ad 1. referunt, Guilielmum Episc. Parisiensem ipsis dixisse, se legisse Epistolam, vel libellum, in quo Hilarius præfatum retractavit errorem, Ejusdem retractionis meminit S. D. q. 26. de verit. a. 8. ad 7. & in 3. ad Anib. d. 15. & eodem loco Rich. Alb. Mag. & Carth. Cæterum, cum ex dictis apertissimè constet, nunquam Sanctissimum Doc. errorem illum docuisse; tenendum est, narrationem illam libelli à Guilielmo lecti, merum fuisse commentum, ut optimè infert laud. Cippullus. Ex dictis patet ad auth. Hier. Nec enim excludit à Christo verum timorem, sed eum solum, qui includit

turbatum & inordinatum animi affectum, seu motum, juxta vulgatam Patrum, & Theol. phrasim, afferentium, in Christo non fuisse *passiones*, sed *propassiones*, de quo infrà. Et eòdem modò exponitur Clem. Alex. quamvis de illo parum sit curandum, cùm illius opera, ob plures propositiones errorem sapientes, inter apocrypha sint rejecta à S. Gelasio in C. Rom.

318 Opp. 2. cont. eadem: Pœna consequitur culpam; sed in Christo non fuit aliqua culpa: ergo nec defectus corporales, qui sunt pœnales. *Præt.* Indecorum foret Christo dolere, fatigari, esurire, &c. *Postremo* Tales defectus obescent Incarnationis fini, cùm propter illos impedirentur homines ab ejus cognitione: ergo non illos assumere debuit, sed potius fortitudinem, quam in illo desiderabant PP. & ut congruentius diabolum superaret. *Ad 1.* Dist. maj. cum D. Th. a. 1. ad 3. consequitur culpam, vel propriam, vel alienam, C. necessariò propriam, N. maj. & concessâ min. N. conf. Christus enim suscepit pœnalitates illas *propter scelerâ nostrâ*. *Ad 2.* N. ant. sicut indecorum illi non fuit ex fœmina nasci, pannis involvi, lachrymari. *Ad ult.* N. ant. & prob. Licet enim per illos absconderetur ejus divinitas, manifestabatur tamen humanitas, quæ est via ad divinitatem pervenienti, juxta illud Rom. 5. *Accessum habemus per Jesum Christum ad Deum.* PP. autem desiderabant in Christo, non quidem fortitudinem corporalem, sed spiritualem, quâ & diabolum vicit, & humanam infirmitatem sanavit. Sic D. Th. a. 1. ad 4.

319 Opp. 3. cont. 1. p. 2. concl. Necessitas moriendi oritur ex peccato, juxta illud Gen. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris:* ergo non fuit in Christo, cui repugnat peccatum. *Præt.* Possibilitas Corporis Christi fuit miraculosa, miraculū enim est, quòd corpus unitum animæ beatæ (qualis erat Anima Christi) non fit impassibile: ergo non naturalis & necessaria. *Ad 1.* Dist. ant. Oritur ex peccato, tanquam à causa per se, N. tanquam à causa per accidens, seu removente prohibens, C. & N. conf. Homo enim *ex se mortaliter erat*, ob suam naturalem compositionem ex

con-

contrariis; dicitur autem peccatum causa mortis, quatenus per illud subtracta est justitia originalis, quâ impediebatur causa naturalis mortis. *Ad 2. Dilt. ant.* Fuit miraculosa mediatè & radicaliter, C. immediate & proximè, N. ant. & cons. Suppositò enim miraculò quod gloria animæ non redundaret in corpus; hujus passibilitas fuit naturalis, & necessaria.

320 Opp. 4. cont. 4. illud. Is. 53. *Verè languores nostros ipse tulit. . . Et nos putavimus eum quasi leprosum, &c.* Præt. Christus omnes infirmitates nostras sanavit: ergo omnes assumpsit. Præt. Assumpsit mortem: ergo à fortiori morbos. *Ad hæc:* Si non fuisset violenter occisus, fuisset naturaliter mortuus post longa tempora, *juxta D. Th. in 3. distin.* 16. q. 1. a. 2. erat enim mortalis naturæ; omne autem mortale, certam habet vitæ suæ periodum; atqui mors naturalis absque morbo esse nequit, ut Vallesius & plerique alii Medici affirmant: ergo. *Tandem:* Præter defectum virtutis formativæ, & inordinatum victimum, sunt aliae causæ morborum, ut influxus Cæli, & intemperies aeris: ergo ex his, et si non ex illis, poterat Christus ægrotare. *Ad 1.* N. cons. sensus enim Prophetæ est, tulisse & pertulisse Christum in passione pœnas, peccatis nostris debitas. Ultima autem verba indicant, quod Judæi cavebant ipsum, ac si esset leprosus.

321 *Ad 2.* N. cons. Assumendo enim naturam passibilem, curavit eam; & consequenter omnes alios particularis defectus, ad quam consequuntur, superadditis quibusdam particularibus causis. *Ad 3.* N. etiam cons. cum D. Th. a. 4. ad 3. Quia mors in omnes homines devénit ex peccato primi Parentis, non autem quidam alii defectus particularis. *Ad 4.* N. min. & prob. plures enim alii Medici oppositum docent, absolute loquendo; & quidem meritò, quia naturalis dispositio in qua potest humanum corpus conservari, habet certum terminum, sicut extrinsecum, & statim ac illum attingit, deficit absque alia prævia ægritudine, & dissolvitur unio animæ & corporis. Et ita contingere in Christo in ea hypothesi. *Et benè nota,* quod non quæli-

bet intemperies est morbus, sed solum quæ provenit ex humorum corruptione, vel putredine. *Ad ult.* N. conf. nam causæ extrinsecæ non poterant morbum in Christi corpore causare, obstante optima temperie, & complexione, quam ex vi virtutis formativæ habebat; quibus adjunctâ summâ prudentia, & cognitione omnium morbum inferre valentum, cuique horum refertere potuit.

322 Opp. demum cont. eandem. Quia saltē fuit in Christo corporis deformitas, juxta illud, *Non est spacies ei neque decor.* Cui concinunt nonnulli PP. afferentes, fuisse ipsum abjecta, & despiciibili formâ, vel certè non admodum eleganti. *Præt.* Christus fuit staturâ parvus, ut patet ex mensura, quæ habetur Romæ, & ex tunica inconsutili quæ asservatur in Gallia: ergo non fuit pulcher, in corpore enim parvo non est pulchritudo, juxta Phil. 3. Eth. *Præt.* Pulchritudo inter contemnenda adnumeratur, juxta illud, *false gratia, & vana est pulchritudo;* unde vitio dabatur olim Philosophis, esse pulchros: ergo illam non assumpsit Christus. *Ad 1.* N. ant. & prob. Propheta enim loquitur de deformitate quam habuit in passione. Et de eadem loquuntur PP. illi, vel de ignobilitate humanitatis infirmæ & passibilis, cum divinitate collatae; & maximè vitam egenam ducentis.

323 Ad 2. N. ant. oppositum enim constat ex figura, quæ impressa remansit in Sindone, quâ Corpus Domini-
cum inuolutum fuit in triduo, quæ asservatur Augustæ Tau-
rinorum. Nec oppositum habetur ex mensura, & tunica;
sed solum quod nec magnæ, nec parvæ fuerit staturæ, sed
exactæ ad debitam humani corporis constitutionem. *Ad*
3. resp. D. Th. in Psal. 44. contemnendam esse ab homini-
bus pulchritudinem *affectatam*, secùs *naturalem*, à sola na-
turali compositione, & perfectâ humani corporis forma-
tione ortam: hæc enim ad perfectionem pertinet, estque teste,
Amb. *simulachrum bone mentis, & figura probitatis*, de qua
intelligitur illud Euripidis: *Primaria seu eximia species dig-
na est imperio.* Et hanc solum asserimus Christo, non qua-
lecumque, sed summam quæ pertinebant ad statum, & re-

De Defectibus assump. ab Anima Christi. 165
verentiam, & gratiositatem in aspectu; ita quod quoddam di-
vinum radiabat in vultu ejus, quod omnes eum reverebantur,
ut Aug. dicit. Hæc D. Th.

DISPUTATIO II.

De Defectibus Animæ à Christo assumptis.

DUBIUM I.

Utrum Humanitas Christi, ex vi precise Unionis Hypostaticæ, facta fuerit impeccabilis?

324 **A** Liter proponi solet hoc celebre dub. *An vi-*
delicet, Christus, quæ homo, dè potentia Dei
absoluta peccare potuerit? Sed in idem reddit, quidquid non-
nulli (difficultatem non callentes) dicant, ut optimè no-
tat J. à S. Th. nemo quippè in dubium vertit, an Deus de-
potentia absoluta peccare possit, aut creaturam ad peccan-
dum juvare? id enim omnes judicant impossibile: sed diffi-
cultas est, *An ex vi unionis hypostaticæ, sublatis divinitus om-*
nibus aliis supernaturalibus donis, repugnet humanitati Christi
omne peccatum, seu cum unione compositum, seu illam de-
struens?

325 Ante cujus resol. supp. ut fide certum (cont. in-
fundum illum Præmonstratensem Apostatam, & quosdam
Calvinistas, quos Antichristianos jure vocant) nullum in
Christo fuisse peccatum, dicente ipso J.8. *Quis ex vobis arguet*
me de peccato? & Petro, Qui peccatum non fecit. Constat in-
super, quia defectus nostros assumpsit Christus ad satisfa-
ciendum pro nobis, ad veritatem naturæ comprobandam,
& ad virtutis exemplum: sed peccatum ad nihil horum con-
ducit, imò his omnibus adversatur, impedit quippè satis-
factionem, juxta illud Eccl. 34. *Dona iniquorum non probat*
Altissimus: Est etiam contra naturam, & viceutem: erg.

Supp.

Supp. 2. ut indubitatum, Christi humanitatem fuisse de facto, & de potentia ordinaria impeccabilem ratione beatitudinis, quâ ab instanti conceptionis fuit donatus, & cuius carentia erat impossibilis de lege ordinaria. His præsuppositis,

326 Concl. est affirm. & com. cont. Dur. Gabr. Marsil. & Scotistas cum suo Mag. quibus partim adhæret Puente-Hurtado, afferens, potuisse Christum peccare in sensu diviso, seu peccatô deltruente unionem. Concl. est adeò certa, ut oppositam aliqui judicent erroneam, & Capreolus, & Dion. Carth. dicant, contra illam non esse agendum argumentis, sed flammis; & qui mitiùs loquuntur, eam adminus *impiam*, *piarum aurium offensivam*, & *Theologo indignam* censem. Nec soli Thomistæ ita pronuntiat; nam Pater Suarez eam censet *temerariam*, & *impiam*: Granadus, *absurdam*, & *plusquam temerariam*, Vazquez (ut plures alios omittant) *notâ aliquâ dignam*. Hæc dixerim propter Fran. Hennum Scotistam, qui disp. 7 a. 5. stabilitâ suorum opinione (cujus oppositam ipse ut communionem tuetur a. 6. seq.) sic querulus loquitur: *Est cont. Thomistas, qui sonorosò verborum strepitu, & magnâ censurarum capinarum sartagine, in sententiam nostram invehunt, incertos (potius verbis apparenter devotis, quam rationibus fundatis) prævenientes. Quæ ultima verba (deemptô ly apparenter) ex Durando mutuatus est, in 3. d. 12. q. 2. dicente, In contrarium magis obſtēre verba devota, quam rationem efficacem. Sed quô jure hæc dicantur (abstinendo, pro more, à centuris) sequentia pendenti patebit.*

527 Prob. igitur concl. 1. auth. PP. quorum 80. testimonia congerit Vazquez disp. 61. cap. 2. omnes enim unō ore afferunt, Christum esse impeccabilem ex *vi unionis*, propter *unionem*, *quia Deus*. Et in Syn. VI. Gen. act. 8. & 19. adducuntur & probantur Athan. & Nazian. idem docentes, nimis, humanam voluntatem Christi, per ipsam assumptionem & unionem ad Verbum, factam fuisse impeccabilem; & ita deificatam, ut non possit divinæ repugnare, aut peccare: ergo. Respondent Scotiste, PP. sic loqui, non quod unio reddat for-

formaliter impeccabilem humanitatem, sed tantum *radicaliter congruenter*, quatenus ratione illius, erat humanitati congruenter debita beatitudo, reddens illam formaliter impeccabilem.

328 Sed cont.est 1. Quia aliás CC.& PP. quotquot de Christi impeccabilitate egerunt, non veram hujus causam assignassent; nunquam enim *beatitudinis*, sed solius *unionis* perpetuò meminére: Hæc autem, nec esset impeccabilitatis causa *sufficiens*, utpotè aliam desiderans, nec *necessaria*, cùm sine illa beatitudo redderet humanitatem impeccabilem, juxta omnes, quidquid dicat Hennus solut ad 1. sed cons.est temerarium: ergo solutio nulla. Præt. Quia ablata divinitus beatitudine ab humanitate Christi, remaneret hæc unita Verbo, & nihilominus peccabilis, non secùs ac humanitas aliorum; sed hoc apertè contradicit CC. & PP. Semper afflentibus, rationem impeccabilitatis Christi, esse unionem hypostaticam, & nullus adducetur, qui oppositum doceat: ergo. Tertiò PP. laudatæ VI. Synodi, act.8. & 11. aliique, præcipue Damasc. docent, operationes Christi esse non posse peccata, quia sunt *Theandrica*, seu *Dei vi-riles*; sed quod tales sint, non habent ex beatitudine, sed ex sola unione, ut patet: ergo ad solam unionem reducunt PP. impeccabilitatem Christi. Tandem Hilar. lib. 10. de Trinit. ait: *Ita repugnat Christum peccare, sicut Christum non esse Christum*: ergo juxta ipsum unio præcisè facit Christum impeccabilem, sicut facit illum Christum.

329 Prob. concl. rat. validissimâ, virtualiter quadruplici: Humanitas Christi ex vi præcisè unionis hypostaticæ, semotô quocumque aliò dono, subsistit in Verbo, intimè unitur Divinitati, sanctificatur substantialiter & infinite, postremò regitur & gubernatur à Verbo, cui ad hoc specialis incumbit obligatio; sed ex singulis his necessariò infertur omnino da Christi impeccabilitas: ergo ex vi unionis præcisè, Maj. quoad 1. & 2. p. est innegabilis; quoad 3. com. quoad 4. constat, dum enim duo conjunguntur seu uniuntur, quod superius est, tenetur regere inferius, quantumvis istud propriâ gaudeat libertate, quidquid Vazquez autumet; aliás nec

nec pater filios, nec maritus uxorem, nec Prælatus subditos regere tenerentur, peccaturi ni faciant. *Min.* verò prob. primùm ex primo : Si enim humanitas subsistens in Verbo peccaret, pecaret & Verbum ; nam , *juxta omnium Philosophorum scholam, actiones sunt suppositorum*, ut ajebat in Conc. Florent. sess. 19. noster Joannes Theologus pro Latinis disputans ; & ex illo principio intulit , *Spiritum S. à Persona Filii procedere* ; Quō argumentō convicti Græci , relictō errore quō detinebantur , præfatum dogma amplexati sunt. Ecquis autem credit , tot Gravissimos PP. convictos fuisse ratione innixā fallaci principio , & planè nullā, si (ut vult Vazquez , Durando consentiens , ut rationem D.Th. refellat) actiones non sunt suppositorum *effectivè & elicitivè* , sed *denominativè* dumtaxat?

330 Maneat ergo , quod licet PP. Florentini non diffinierint , actiones esse suppositorum *elicitivè* seu *influxivè* , (quod ultiro fatemur) illi tamen , tanquam vero Philosophico axiomati , communi calculo assenserunt ; cui assentioni refragari , temerarium videtur. Et hinc corruit quod allegat Vazq. ex VII. Syn. act. 5. Dictum enim illud Joannis Thesalon. ibi lectum , nempè , *Angelos pingi posse* , quia corpore sunt prædicti , probatum fuit à Synodo quoàd conclusionem , scilicet , *Angelos posse depingi* , eorumque *imagines venerari* , secùs quoàd rationem ; imò hæc despecta fuit à PP. ut ostendimus t. I. N. 801. Rationes autem CC. inductæ ad dogmata confirmanda , non refragantibus PP. imò assentientibus (qualis sanè fuit illa nostri Joannis de Montenegro) et si diffinitiones non fint , adeò tamen magnæ sunt authoritatis , ut nemo eas nisi temerè , tanquam falsis principiis nixas , traducere , aut in dubium vocare possit.

331 Prob. deinde actiones esse suppositorum , non solum *denominativè* , sed etiam *influxivè*. Tum , quia natura secundum se , nec net , nec stet. , ut Phil. ait : ergo operaciones debent esse à supposito operante ut *quod*. Tum , nam aliàs in divinis , non Pater generaret *ut quod* , sed essentia ; *quod* est hæreticum. Tum demùm , quia aliàs operaciones

nes Christi meritoriae & satisfactoriae nullum valorem haurirent, à supposito Verbi: Nec Verbum aliter influeret in actiones humanitatis, quām Pater & Spiritus S. quæ maxima videntur absurda. Sed demus, actiones solum *denominativè* esse suppositorum: Adhuc absurdum est, Verbum denominari *peccans*, tribueretur enim in peccatum ad vituperium, sicut tribuitur ei ad laudem redemptio: & què enim peccatum est dignum vituperiō, ac est laude digna redemptio; eodemque modō tribuendæ forent. Supposito Verbi operationes Christi peccaminosæ, ac tribuuntur honestæ, nam utræque solum sunt suppositi *denominativè*. Et hinc rursus infertur, quòd humanitate assumptâ peccante, ita propriè, simpliciter, & absolutè esset vera hæc proposi-
tio: *Verbum ut subsistens in humanita peccat*, ac ista: *Verbum ut in humanitate subsistens nos redemit, pro nobis meruit, & sa-*
tisfecit; quòd nihil absurdius.

332 Urgetur, & instauratur hæc ratio ex 1. capite: Negari non potest, quòd in aliquo vero sensu *actiones sunt suppositorum, seu subsistentium*: ergo vel sunt suppositorum *influxivè*, vel solum *denominativè*; si primum: ergo Christō peccante, Verbum esset specialis causa peccati, quod implicat. Si secundum: ergo pari modō deberet Christi peccatum imputari supposito Verbi ad vituperium, sicut ei imputatur ad laudem Christi meritum, & satisfactio; quod est horrendum: ergo.

333 Prob. deinde principalis min. ex 2. cap. Ex eo præcisè aliqua natura redditur impeccabilis, quòd conjungitur immobiliter regulæ rectæ operationis; sed unio hypothatica, conjungit & unit immobiliter humanitatem primæ regulæ rectæ operationis: ergo ex se præcisè illam impeccabilem reddit, multo potius quām beatitudo, cùm illa unio (utpotè substantialis) sit istâ potior & intimior. Ex tertio etiam cap. convincitur eadem Min. Implicat enim sanctitatem infinitam cum peccato componi, nam quod est infinitè factum, est dignum complacentiâ divinâ infinitè & sine termino; quodvis autem peccatum reddit subjectum cui inest, aliquâ displicentiâ dignum. Demùm ex 4. cap:
de-

demonstratur eadem veritas: Si enim humanitas regitur & gubernatur, vel saltem regi & gubernari debet specialiter a Verbo; non posset illa peccare, quin lapsus refundatur in Verbum: sicut dum peccat subditus, culpatur etiam annuens Prælatus, nam ut ait Salv. l.7. de Prov. *Probat debere fieri, qui sciens patitur perpetrari.*

334 Hæc ult.rat.est D.Th. in 3.d.12. q.2.a.1. & desumitur ex Amb. Epiph. Anaft. Imò & VI. Syn. act. 8. eadem ratione probat verbis Nysseni, voluntatem humanam Christi esse impeccabilem: *Impossibile enim est* (inquit) *in uno eodemque Christo Deo nostro duas simul, & adinvicem contrarias, seu dissimiles existere voluntates, quia quemadmodum corpus nostrum regitur, ornatur, atque ordinatur ab intellectuali & rationali anima;* ita & in homine Christo tota humana ejut conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper & in omnibus mota, Deo mobilis fuit. Qæ ratio inefficax foret, nisi Verbo, ratione unionis, specialis incumberet obligatio regendi humanitatem, ut liquet: ergo verè datur in Verbo talis obligatio, quidquid Vazquez dicat, laudatam rationem tanquam vulgarem & parvi momenti despiciens, propterea quod D. Th. illam urgens, dicat, *humanitatem esse instrumentum Verbi illam moventis*, quod falsum est respectu operationum connaturalium humanitatis. Sed fallitur Vazquez, nam mens D. Th. non est, quod humanitas in omnibus suis actibus sit instrumentum Verbi; sed solum, quod in omnibus illis Verbo subdatur ut regenti, sicut instrumentum non agit nisi ut principali agenti subordinatum.

335 Rationes istæ efficaciter probant, repugnare humaniti Christi, ex vi præcisè unionis hypostaticæ, omne peccatum actuale, seu compositum cum unione, seu illam destruens; seu grave, seu leve: *Convincunt enim, ut consideranti patebit, gratiam unionis, non modò peccatum expellere, sed & potentiam ad illud.* *Convincunt insuper, incópossibile esse cum unione quodvis peccatum habituale;* tam originale, quam personale grave aut leve. Et quidem tres priores id evincunt etiam de potentia absoluta; Ultima

verò eandem ostendit incompositatem juxta hanc prouidentiam, secùs in alia, in qua assumeretur humanitas peccatō originali, aut personali habituali fædata; quod quidem expelleret unio, sed non ex laudato capite, quod solū demonstrat impossibilitatem peccati actualis, & solius habitualis ex actuallī relicti.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

336 Opp.1. cont. supp. illud Psal.21. quod Christus in cruce pendens protulit, *Deus Deus meus respice in me; quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delicto um meorum.* Illud præt. 2. Cor. 5. eum qui non noverat peccatum (scilicet Christum) pro nobis peccatum fecit, scilicet Deus. Præt. cont. rat. Nam peccatum conduceret in Christo ad præbendum nobis pœnitentiae exemplum: ergo. Ad 1.R. primū test. intelligi de Christo, non in propria persona, sed membrorum, juxta regulam Ticonii ab Aug. & à D. Th. adductam hic: sicut accipitur illud Matth. 21. *esurivi, sitiui, &c.* Secundi, autē sensus est, vel quòd Deus fecit Christū peccatū, id est, *hostiam pro peccato*, sicut dicitur Olee 4. *Peccata Populi mei comedent Sacerdotes*, scilicet, hostias pro peccatis oblatas: Vel quòd fecit illum in *similitudinem carnis peccati*, ut dicitur Rom.8. & hoc propter corpus passibile & mortale quod assumpsit. Ad 2. N. ant. majus enim præbuit pœnitentiae exemplum voluntariè sustinendo pœnam pro alienis peccatis, quām si pro suo proprio eam subiret.

337 Opp.2. cont.1. rat. concl. Natura est adæquatum principium quo & quod suarum operationum: ergo suppositum non est principium quod illarum. Prob. ant. 1. quia operationes humanitatis Christi, & nostræ, sunt ejusdem rationis physicè entitativè, ob solam naturæ unitatem, cùm suppositum sit diversum: ergo. Secundò, quia humanitas producta divinitùs sine ullo suppositō (quod possibile judicant quidam ex nostris) esset principium quo & quod earundem operationū: ergo & modo. Tertiò quia humanitas generatur ut quod, sicut anima creatur ut quod: ergo operatur ut quod. Quartò quia anima conjuncta corpori, intelligit ut quod, juxta D. Th. 1.p. q.74. a.2. ad 2. sic enim separata

intelligit: ergo natura operatur ut *quod*. Postremò: Humanitas Christi est subjectum *quod*, accidentium illius, cùm hæc in supposito recipi non possint, ob illius immutabilitatem: ergo est etiam principium *quod* operationum.

338 Neg. ant. Ad 1. prob. N. cons. Unitas enim vel diversitas operationum unicè pendet ab unitate vel diversitate principii *quo*; quod est adæquata virtus agendi, & specificandi operationes: subsistentia autem constituens suppositum, quod est principium *quod* operandi, solum ut conditio concurrit ad operandum, sicut apprehensio boni ad actum voluntatis. Ad 2. prob. N. etiam cons. In illa enim hypothesi, operationes essent naturæ non existentis in supposito: Nos autem loquimur de natura existente in supposito, seu propriô, seu alienô, cuius operationes, dependere asserimus à supposito, ut principio *quod*, cùm enim talis natura non existat ut *quod*; nec operari potest ut *quod*: separata autem à supposito, & existeret, & operaretur ut *quod*.

339 Ad 3. prob. N. ant. Nec enim humanitas Christi fuit genita ut *quod*, sed solum ut *quo* à Beatisima Virgine. Christus autem fuit ab illa genitus ut *quod*, aliàs non fuisset filius Virginis, quod est hæreticum. Vide D. Th. infrà q. 35. a. 1. Anima autem rationalis, sicut quodammodo subsistit, quia à materia independens; ità quodammodo per se fit, & intelligit ut *quod*; non autem propriè per se fit, cùm non propter se, sed propter compositum fiat; nec omnino propriè intelligit ut *quod*, sed propriùs dicitur, *homo intellegit per animam*, juxta D. Th. 1. p. q. 75. a. 2. Hinc, Ad 4. prob. N. ant. ad prob. R. disp. esse, quod anima separata subsistit per exclusionem dependentiæ, & actualis communicationis, quamvis non aptitudinalis: conjuncta verò subsistit solius dependentiæ exclusione. Unde neganda est ult. cons. Ad ult. N. ant. & prob. accidentia enim humanitatis non inhærent Personæ Christi totaliter, & secundum omnia ex quibus illa componitur, sed secundum humanitatem & ideo non sequitur, subsistentiam Christi mutari, sed solum humanitatem: sicut solius humanitatis mutatio inferatur

tur ex eo quod Verbum, ut in illa subsistens, terminaverit
ut quod generationem ex matre, ut docet D. Th. infrà q.35.
a. 1. & 2.

340 Opp.3: cont.3. rat. Summa & infinita vita Verbi non reddit naturam assumptam immortalem: ergo nec infinita sanctitas Verbi reddit humanitatem Christi impeccabilem. R. disp. esse, quod vita in actu primo, debet physicè informare subiectum à quo distinguitur; vel ab isto procedere, si sit vita in actu secundo; & cum utrumque vitae divinæ repugnet, non potest vita infinita Verbi viventem reddere humanitatem assumptam, adeoque nec debet ab ista excludere mortem. Ceterum ad sanctitatem neutrum desideratur; ideoque sanctitas increata reddit humanitatem formaliter infinitè sanctam; ac proinde debet ab ista omne prorsus peccatum excludere.

341 Opp.4. cont. 4. rat. Verbum in se ipso nullâ lege obligari potest: ergo est incapax obligationis regendi humanitatem. Præt. Obligatio vitandi impossibile & repugnans, est implicatoria; sed suppositâ unione hypostatica, repugnat peccatum humanitati assumptæ: ergo implicat obligari Verbum ad illius regimen, nè labatur. Tandem Nam talis obligatio, nec esset propria Verbi, cùm foret ad opus ad extra, ad regimen scilicet humanitatis; nec esset Trinitati communis, cùm oriretur ex unitate personali inter humanitatem & Verbum, quæ est propria Verbi: ergo neutiquam subsistit præfata obligatio.

342 Ad 1.N. cons. Nam licet Verbum sit incapax obligationis regendi humanitatem, provenientis ab extrinseco, seu ab alio tanquam Legislatore; non tamen procedentis ab intrinseco, id est, à propria ipsius bonitate: qualiter dicitur, Deum teneri ad non mentiendum. Ad 2. omissis variis solut. dist. maj. Obligatio extrinseca, orta ex lege positiva superioris, C. Intrinseca, & orta ex propria bonitate, N. hæc enim obligatio non supponit, sed prorsus excludit potentiam ad oppositum; qualis est obligatio Dei ad non mentiendum, & Verbi ad cavendum humanitatis peccatum.

Ad

343 Adult. N. ant. quoad 2.p. ad prob. N. conf. Licet enim titulus & radix talis obligationis (scilicet unio hypostatica) sit propria Verbi , ipsa tamen obligatio est toti Trinitati communis: non secus ac obligatio *congruentia*, juxta Scotum , seu *connaturalitatis* , juxta alios , ornandi humanitatem gratuitis donis , quantumvis fundetur in unione propria Verbi : sicut etiam ex operibus Christi ratione unionis oritur obligatio Trinitati communis, ea acceptandi in satisfactionem pro peccatis hominum : Sicut tandem, juxta Vazq. (cujus est objectio) gratia unionis , quia sanctitas infinita , infert necessitatem Trinitati communem semper auxiliandi humanitatem ad bonum ; & non permittendi illi peccatum : Specialitas igitur unionis , non officit obligationis communitati.

344 Opp. 5. cont. concl. In humanitate Christi ut unita Verbo remanet potentia peccandi: ergo. Prob. ant. *Tum*, quia potentia peccandi est proprietas humanæ naturæ, prout ex nihilo factæ ; est insuper à Deo , & de ratione liberi arbitrii. *Tum*, quia humanitas Christi ex vi unionis non est facta omnipotens , æterna, aut immensa : ergo neque impeccabilis , nam impeccabilitas est proprietas divina , æquè ac omnipotentia , æternitas , &c. ergo. N. absolutè ant. cum D. Th. in 3. d. 12. q. 2. a. 2. Nam potentia peccandi absolute dicit potentiam , non modò remotam (quæ verè fuit in humanitate Christi, ut potè ex nihilo factâ) sed etiam proximam , seu proximè in actu primo ad peccandum expeditam, humanitati assumptæ repugnantem, ob rationes concl. *Nec* potentia peccandi , quâ talis , à Deo est , nè remota quidem, quia prout talis , importat defectum; quamvis à Deo sit potentia quâ peccatur, ut locô laudatô, alibi que docet D. Th. *Nec* talis potentia est de ratione liberi arbitrii, aliàs Deus liber non foret. Vide t. 2. à N. 157. Et per hæc patet ad 1. prob. ant. Ad 2. N. conf. ad prob. dist. ant. Impeccabilitas ab intrinseco , & ex principiis essentialibus, est proprietas divina, C. impeccabilitas ab extrinseco , ratione alicujus doni ab extrinseco advenientis , qualem humanitati Christi asserimus, N.

345 Opp.6. Potuit Deus absolutè negare humanitati Christi auxilia , quibus egebat ad præcepta adimplenda: ergo potuit Christi humanitas ista non adimplere , adeoque peccare. Præt. Operari bonum cum potentia ad malum, ad laudē potius, quam ad vituperium facit, juxta illud: *Qui potuit transgredi , & non est transgressus : ergo id Christo dengandum non est.* Ad 1. N. ant. nam talia auxilia erant humanitati Christi necessariò debita , ob rationes concl. tametsi requisita ad opera supererogationis , possent illi absolutè denegari. Ad 2. N. conf. Licet enim laudabile fit non transgredi in habentibus potentiam transgrediendi ; laudabilius tamen est, & penè divinum, non transgredi , nec posse transgredi.

DUBIUM II.

Utrum in Christo potuerit esse fomes peccari.

346 Supp.1. cont. Dur. fomitem non esse ipsum appetitum sensitivum secundum se sumptum, & secundum suam naturam ; aliàs non esset in nobis effectus peccati originalis : fuissetque in statu innocentiae , & maneret in Beatis , cont. Trid. sess. 3. can. 5. declarans, fomitem dici aliquandò peccatum ab Apost. *quia ex peccato est , & ad peccatum inclinat*, quod utique statui innocentiae , & beatitudinis , repugnat. Supp.2. ex D.Th. infrà q.27. a.3. *quod fomes nihil aliud est , quam inordinata concupiscentia sensibilis appetitus , habitualis tamen :* adeoque importat de materiali inclinationem appetitus sensitivi in suum objectum ; de formalí verò privationem subjectionis ad rationem , ex defectu iustitiae originalis provenientem. Et quia se habet per modum actus primi , & causæ efficientis ad motus inordinatos appetitus ; ideo tales motus appellari solent *fomes in actu secundo*.

347 Supp. 3. non fuisse in Christo fomitem neque in actu secundo, atque in actu primo. *Primum est fide certum.*

tum. *Tum ex V. Syn. Gen. act.8. can. 11.* anathematizante eos, qui cum Theodoro Mopsuesteno asserebant, Christum fuisse passionibus concupiscentiae obnoxium. *Tum*, quia tales motus essent peccatum in Christo, siquidem poterat illos præcavere. *Secundum* autem ostenditur à D.Th. a.2. *Tum ex illo Matth. 1.* *Quod in ea natum : est*, de Spiritu S. est; Sed Spiritus S. excludit, non modò peccatum, sed etiam inclinationem ad illud, seu fomitem in actu primo; ergo. *Tum*, quia virtutis moralis est, subjecere appetitum rationis: ergo perfectissimæ (qualis fuit in Christo) est, fomitem excludere, seu totaliter appetitum comprimere, ut contra rationem insurgere non possit. *Tum* demùm, quia defecetus fomitis, non est ordinabilis ad satisfaciendum, sed potius est satisfactioni contrarius: ergo non fuit in Christo. His prælibatis,

348 Concl. est neg. & com. cont. Vazquez, Lugo, Beccanum, Arriagam, aliosque RR. Prob. autem in primis de fomite quād actum secundum. *Tum* quia summa & infinita Humanitatis Christi sanctitas, cùm summè distet à peccato, non solum isti opponitur, sed etiam motibus appetitus ad illud inclinantibus. *Tum*, quia cùm Verbo ratione unionis, specialis incumbat obligatio regendi humanitatem, nedùm ut rationalem, sed etiam ut sensitivam; si prædictos motus non coiceret, cùm facillimè posset, imputaretur ei ad culpam: non secùs, ac imputantur parti superiori puri hominis motus sensitivi inordinati, si illos negligit coercere, cum possit. *Tandem*. Quia præfati motus, cùm essent actiones naturæ sensitivæ unitæ hypostaticè Verbo, necessariò forent tribuendi Verbo ut in illa subsistenti, non solum *denominativè*, sed etiam *influxivè* & *effectivè*, ut causæ speciali, juxta dicta supra à N. 329. Sed cons. implicat, nam tales motus sunt objectivè mali, & in peccatum inclinant: ergo.

349 Prob. deinde repugnare Christo fomitem quoàd essentiam, seu in actu primo, *Tum ex modò dictis*: Cui enim repugnat actus secundus, repugnat etiam actus primus, cùm iste ab illo specificetur: ergo si repugnat Christo fo-

fomes in actu secundo, &c. Tum, quia repugnat Humanitati Christi expeditio per modum actus primi ad motus inordinatos: ergo fomes quoad essentiam. Prob. ant. Talis expeditio dicit carentiam impedimenti, se tenentis ex parte actus primi in ordine ad sic operandum; sed hujusmodi carentia repugnat humanitati unitae Verbo, nam impedimentum motuum inordinatorum, est unio hypostatica, ob supradicta; quae utique te tenet ex parte actus primi in ordine ad omnes operationes humanitatis Christi; haec enim non intelligitur subsistens, & existens, adeoque nec potens operari, sine unione hypostatica: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

350 Opp. i. cont. 3. supp. Christus Heb. 4. dicitur *tentatus per omnia*: ergo etiam à concupiscentia, seu fomite. Præt. Fuit in Christo tristitia de morte subeunda, licet ipsi præcepta esset à Patre: ergo & motus inordinatus, seu fomes in actu secundo. Tandem. Perfectio virtutis moralis non sufficit ad extinguendum, immo nec ad ligandum fomitem, ut patet in Joanne Bap. aliisque SS. virtute heroicâ præditis sine privilegio extinti aut ligati formitis, soli Beataissimæ Virgini eximiò, juxta Theol. ergo ruit ratio D. Th. Ad i. resp. D. Th. infrà q. 41. a. 1. ad 3. quod Christus tentari voluit per omnia, & in omnibus, sed *absque peccato*, ut ipse Apost. ait; ideoque tentari voluit ab hoste, sed non à carne, seu concupiscentia, quia hujus tentatio non potest esse sine peccato, juxta illud Aug. l. 19. de Civit. c. 4. *Nonnullum peccatum est quando caro concupiscit adversus spiritum,*

351 Sed benè nota, ut difficilem instantiam præcludas, quod quamvis tentatio carnis possit esse in nobis absque peccato, ut potè quæ... nocere non consentientibus... non valet, ut ait Trid. sess. 5. Non tamen potest esse sine peccato in omni subjecto potente illam prævenire, & coercere; qualis erat Christus: ideoque infert D. Th. tentationem carnis non posse in illo sine culpa reperiri. Ut hinc videas, caualem illam D. Th. doctrinalem, & universalem quidem esse, sed intelligendam de omni & solo subjecto potente tentationem carnis cohibere nè contra rationem insurgat, ut optimè

notat Godoy disp. 42. N. 41. *Vel dic cum eodem, quod dum D. Th. ait, quod tentatio carnis non potest esse sine peccato, loquitur non de peccato formaliter; sed de peccato objectivè, causaliter, & inclinativè, cuiusmodi est tentatio carnis, quantumvis rationem præveniat; quæ proinde Christum dédecet quammaximè. Sic etiam accipiens est Aug. ut vel nomen vitii, quò utitur, indicat; quod propriè significat habitum ad peccandum inclinantem.*

352 Ad 2. R. ex D.Th. hic ad 3. & infrà q. 18. a. 5. N. conf. Licet enim appetitus sensitivus Christi refugeret inefficaciter mortem secundum se, & ut naturæ contrariam (quod est rationi conforme) non tamen ut præceptam, seu ut ad finem redemptionis ordinatam, qualiter solùm voluntas eam prosequebatur: Unde nec aliqua fuit in eo interior pugna appetitus contra rationem; nec enim talis fuga, & prosecutio erant de eadem morte secundum idem, quod ad pugnam, & fomitem desideratur. *Nec hinc inferas, inordinatum appetitus motum in nobis, omnem deliberationem antevertentem, non esse actum fomitis: licet enim non attingat formaliter objectum prohibitum, benè tamen causaliter & inclinativè, cùm enim sit efficax, inclinat voluntatem in illud.* Et propter idem, si fuga mortis in Christo anteverteret rationis imperium; foret actus fomitis, nam esset absoluta & efficax, adeoque quantum est ex se, inclinaret voluntatem ad fugiendam mortem ut præceptam. Vide D. Godoy à N. 54.

353 Ad ult. dist. ant. Perfectio gradualis intensiva virtutis moralis, non sufficit, &c. C. Perfectio intrinseca modalis, quam habuit in Christo, in Beatissima Virgine, & Adamo innocentia, N. Itaque exclusio fomitis non est tribuenda perfectioni graduali gratiæ, & virtutum (aliás admittenda foret in J. Bap. Apostolis, aliisqne SS. intensiori gratiâ, & virtute præditis, quām fuerit Adam in statu innocentiae) sed modo intrinseco quem habuerunt in Christo, in Beatissima Matre ejus, & Adamo innocentia; qui modus est quædam participatio gratiæ Patriæ, & Virtutum illam consequentium, excludentium omnes motus inordinatos rationem

nem prævenientes: Quemadmodum confirmatio in gratia, non consistit in majori intensione gratiæ (cùm gratia non confirmans in bono, fit sèpè intensior confirmante in illo) sed in quadam participatione gratiæ & charitatis consummatæ, quæ est modaliter distincta à gratia & charitate viæ, juxta D.Th. 2.2.q.24. a.7. ad 3. & hinc facilè solves plures inst. quas in contrarium adducit Vazquez. Vide Cippull. Godoy, & Gonet.

354 Opp.2. cont. 1.p. concl. Motus inordinati appetitus sensitivi, cùm rationem præveniant, solum materialiter & objectivè possunt esse mali; sed actus solum materialiter mali non repugnant humanitati Christi, possunt quip. pè cohonestari, imò & meritorii evadere, si ignorantia invincibili regulerentur, ut plures docent: ergo. *Præt.* Potuit Christus assumere humanitatem amentem, & ebriam: ergo & potuit absolutè motus inordinatos pati. *Ad 1.* R. 1. N. maj. loquendo de Christo, in quo præfati motus forent formaliter mali, nec rationem antevertere possent, ob rationes concl. *Deinde* permisâ maj. N. min. Ad prob. inclusam, N.ant. quoâd utramque p.cujus falsitatem planè ostendimus t.2. à N.434. Datô autem, posse actum materialiter malum, honestum evadere ob ignorantiam invincibilem; adhuc repugnaret infinitæ humanitatis sanctitati, excludenti quamlibet ignorantiam, à morali imperfectione, & indecentiâ utique impræcindibilem. *Ad 2.* N. conf. Quia tunc motus talis humanitatis, rationem anteverentes, prohiberentur à Verbo, nè in aliquid prohibitum inclinarent, alias moralem indecentiam involverent.

355 Opp.3. cont. 2.p. concl. Summa virtutum Christi perfectio, (ob quam excluditur de facto fomes à Christi humanitate, juxta D.Th.) potuit isti absolutè deesse: ergo. *Præt.* Habitus Vitiosus non repugnat absolutè humanitati Christi: ergo nec fomes. *Ad 1.* N. conf. Nam licet virtutum perfectio fuerit causa sufficiens exclusionis fomitis; non tamen unica, seu adæquata; illum enim excludebant, & visio beata, & gratia unionis; unde unione subsistente, repug-

naret humanitati fomes, tametsi huic de potentia absoluta deessent visio, & virtutum perfectio. *Ad 2.N.ant.* nam vi-
tium est *objectivè*, & *inclinativè* pejus, quām fomes; cūm sit
facilitas, promptitudo, & inclinatio ad peccandum forma-
liter: adeòque potius Unioni repugnat, quām fomes: Neu-
trum igitur potest Deus specialiter causare. Et datō oppo-
sitō, adhuc utrumque humanitati Christi repugnaret; non
secūs ac pœnitentia supernaturalis, cuius Deus specialis
est causa.

DUBIUM III.

Utrum in Christo potuerit esse ignorantia?

356 **S**upp. 1. ex D. Th. q. 3. de Malo a. 7. quod igno-
rantia est triplex, scilicet, *simplicis negationis*,
privationis, & *prava dispositionis*. Prima non est propriè ta-
lis, sed quædam nescientia. Secunda est *privatio scientia*, seu
carentia scientiæ eorum, quæ quis aptus natus est scire;
quæ si ulterius scire teneatur, erit ignorantia *moralis*; secūs,
si secūs. De quo videndus D. Th. 1. 2. q. 76. a. 2. Tertia est
habitus falsus, seu erroneus, scientiæ contrarius. Supp. 2.
verè fuisse in Christi Humanitate *nescientiam*, seu simplicem
scientiæ negationem, cum non omnia noverit possibilia.
Supp. 3. ut fide certum cont. Gnosticos, & Agnoitas, qui-
bus adhærent Luth. & Calv. cum sequacibus, nullam in
Christo fuisse ignorantiam propriè talem. Id quod ostendit
S.D.a.3. *Tum*, quia Christus venit ut ignorantias nostras
auferret; ignorantia autem per ignorantiam non tollitur.
Tum, quia plenitudo scientiæ, quam habuit, excludit igno-
rantiam, sicut plenitudo gratiæ, fomitem peccati. His
supp. fit

357 Prima concl. *Impossibilis absolute fuit in Christo ig-
norantia privativa moralis*, seu eorum, quæ scire tenebatur; se-
cūs non moralis, seu eorum, quæ scire non tenebatur. Est com.
& quoad 1. p. æquè certa, ac Christi impeccabilitas; nam

talis ignorantia est peccatum, ob negligentiam, ut ostendit D. Th. ubi suprà, & 1. 2. q. 76. a. 2. Quoad 2. verò p. etiam constat. *Tum*, quia talis ignorantia nec peccatum est, ut ibidem docet D. Th. nec moralem indecentiam secum affert. *Tum*, quia potuit Deus absolutè nullam infundere humanitati scientiam, aut notitiam: sicut potuit nullam infundere gratiam & virtutem, ut nullus ambigit: ergo.

358 Secunda concl. *Ignorantia positiva*, seu *habitus falsus aut erroneus*, quantumvis *speculativus*, planè repugnat *humaniti Christi*. Est com. Thomist. quibus adhærent Suarez, aliquique RR. cont. Vazquez, Lugo, & quosdam alios, existimantes, possibilem absolutè fuisse in Christi humanitate errorem actualem speculativum, vel à Deo specialiter causatum, vel ab Humanitate jam assumptâ elicatum: eadem autem videtur esse ratio de errore habituali, seu ignorantia positivâ. Prob. autem concl. 1. Error habitualis, quantumvis speculativus, est objectivè, & inclinativè moraliter malus: ergo repugnat Humanitati Christi, non secùs ac vitium, & fomes. Prob. ant. Error habitualis speculativus inclinat in actualem errorem quà talem, & ut ab ignorantia distinctum; sed iste est formaliter malus moraliter, cùm sit assensus, judicium, seu sententiam de ignorantia, quod sine imprudentia & temeritate esse non potest, ut ex D. Th. diximus t. 2. N. 589. ergo.

359 Præt. Deus neutiquàm esse potest specialis causa actus falsi speculativi, tametsi nec error propriè, nec peccatum sit; sed si iste esse posset in humanitate Christi, posset Deus esse causa specialis illius, cùm Verbum influat *ut quod* in quamlibet Humanitatis assumptæ operationem, qualis utiquè esset actus ille: ergo. Prob. maj. Deus nec de potentia absoluta potest esse specialis causa alicujus, in ipse non contenti sub propria, & specifica ratione; sed actus falsus sub ratione specifica sui contineri nequit in Deo, qui summa veritas est: quemadmodùm nec peccatum, quia Deus summè bonus est, ut probat D. Th. 2. 2. q. 1. a. 3. ergo. Vide t. 3. à N. 626. Tandem: Nam datò Patri Vazquez, actiones *denominativè* solum esse à supposito, adhuc verifi-

caretur de Verbo , quòd erraret , aut saltē falleretur; quod satis incónvenit: ergo .

SOLVUNTUR ARGUMENTA .

360 Plura objici solita cont. 3. supp. seu concl. D. Th. a. 3. soluta manent t. 3. à N. 643. & 644. & in hoc t. N. 264. Illis ergo omissis, Opp. 1. cont. eandem illud Lucæ 2. Et Jesus proficiebat sapientiā , &c. ergo saltem à principio fuit in illo aliqua ignorantia. Præt. Illud Matth. 15. 17. Non intelligitis , quia omne quod in os intrat , in ventrem vadit , & in secessum emittitur? Quibus ignorasse videtur philosophiam de nutritione , in qua aliquæ alimenti partes in substantiam aliti convertuntur , reliquis in secessum missis: ergo. Ad 1. N. conf. quia ignorantia est carentia scientiæ , seu notitiæ , non cuiuscumque , sed debitæ in esse suo tempore ; scientia autem experimentalis semper fuit perfecta secundum tempus aut ætatem Christi , ut ait D. Th. sup. q. 12. a. 2. ad 2. Unde sicut catulus ante nonum diem non dicitur cæcus : sic nec Christus in tenera ætate dicitur ignorans , licet multa per talem scientiam non nosceret. Vide sup. N. 292.

361 Ad 2.R. cum Caj. dictum illud , omne quod in os intrat , &c. esse verum. Tum , quia juxta Hippocratem , in corpore sano perparum , aut ferè nihil alimenti retinetur , quod proinde pro nihilo reputatur. Tum , quia ly omne distribuit p̄o partibus subjectivis , non p̄o integralibus ejusdem individui ; unde non debet fieri descensus ad omnes cibi partes , sed ad omnes cibos ; ita quòd nullus sumatur cibus , qui in secessum non mittatur ; non autem ita , quòd nulla pars sit in cibo , quæ in secessum non vadat. Verissimum ergo est , omne quod in os intrat , in secessum mitti , quamvis falsum sit , totum quod in os intrat , in secessum vadere; sed Christus omne dixit , non totum : adeoque nulla inde inferatur ignorantia in ipso. Quæ ex PP. objici possunt ad idem , unicō verbō soluta manent N. 293. in fine.

362 Opp. 2. cont. 2. concl. In hypothesi absolutè possibili , quòd Christus , quæ homo , omni donō scientiæ caruissest , cognosceret res , sicut cæteri homines , opinando cir-

circa eas: ergo posset falli, & falso assentiri: ergo & posset iteratis hujusmodi assensibus habitum falsum, seu erroneum comparare: ergo iste, seu ignorantia positiva, non repugnat intellectui humano Christi. *Præt.* Christus, quæ homo, efformabat entia rationis: cognoscebat insuper spiritualia ad modum materialium: sed utrumque importat deceptiōnem ac errorem: ergo. *Tandem:* Deceptor fuit in sensu: ergo potuit errare in intellectu, cùm hujus cognitio ortum habeat à sensu. *Ant.* conſtat, quia videbat Solem, Lunam, & Stellas, longè minores, quām in se sunt: Videbat colorē in Iride, & collō columbæ, ubi non est, & alia id genus: ergo.

363 Ad 1. N. cons. Cūm enim omnes ejus operationes forent à Verbo, ut à principio *quod*, nulla posset esse falsa. Nec posset tunc intellectus humanus Christi assentiri verò cum formidine ex parte subjecti, quæ secum fert contingētiā falsitatis; sed cum formidine dumtaxat ex parte medii; unde nec tunc strictè opinari posset; cum ad id non sufficiat formido ex parte medii, juxta communem Thomist. sent. 2.2. q. 1. a. 1. *Ad 2.* N. min. nam intellectum humānum efformare entia rationis, non est decipi; sed juxta suum modum naturaliter imperfectum attingere objecta. *Nec* fallitur dūm spiritualia ad modum materialium cognoscit, sic quippè illa repræsentantur per species à phantasmatibus abstractas. Falleretur autem, si spiritualia judicaret esse materialia; quod intellectui humano Christi repugnat planè. *Ad ult.* N. ant. Ad prob. N. cons. nam objecta illa eō modō videre, non est visum decipi, sed connaturalis modus videndi ea; cùm sic illi repræsententur per speciem; adeoque potius falleretur, si aliter illa videret. Talis modus cognoscendi per sensum, et si nobis præbere possit occasionem errandi, secūs Christo, ob rat. conclusionis.

364 Opp. 3. ad idem. Sicut Verbum Divinum est summa veritas, ita est summa vita; sed summæ vitæ Verbi non repugnat mors in natura assumpta: ergo nec error, aut falsitas in eadem. *Relicta* in sua probabilitate solut. M. Cip-
pul-

pulli, Illust. Godoy, aliorumque, R. cum J. à S. T. disp. 2. de Fide, a. 4. ad 2. conf. 4. aliisque, disp. esse, quia mors, cùm tantùm dicat privationem vitæ, quæcumque illa sit; & tantùm habeat rationem mali naturæ; quamoptimè potest reperiri in humanitate assumpta, & à Deo approbari. Error autem aut falsitas, seu actualis, seu habitualis, quamlibet speculativa, moralem importat indecentiam, & deformitatem, adeòque neutiquam à Deo infundi, aut specialiter à Verbo caufari valet. Vide t. 3. N. 651. *Hinc inferes, quòd si Verbum assumeret humanitatem in errorem anteà lapsam; nec posset iste permanére, quia refunderetur in Verbum ut subjectum illius, de quo prædicaretur; quod plane dédécet.*

DUBIUM IV.

An, & qualiter fuerint in Christo dolor sensibilis, tristitia, timor, ira, cæteræque passiones?

365 **E**Xclusis jam à Christo præcipuis animæ defensionibus, nempè, peccatô, hujusque radice, seu *fomite, & ignorantia*; de reliquis ex professo differit S. D. ab a. 4. hujus quæst. cuius doctrinam præsenti dub. comprehendemus. *Ante resolutionem supp. I. cum. D. Th. hic a. 4. passionem animæ in corpore constitutæ, aliam esse corporalem, animalem alteram.* Ptimâ patitur anima per corporis læsionem, quia cùm sit forma corporis; corpore aliquâ passione perturbatò, necesse est, & illam per accidens perturbari, scilicet quoad esse quod habet in illo: Cùm autem Corpus Christi fuerit passibile, necesse est, ut etiam ejus anima hòc modò passibilis eslet. *Animalis* verò (de qua præcipue hic agitur) nihil est aliud, juxta Ansel. & D. Th. 2. 2. q. 22. a. 1. quâm *Motus appetitivæ virtutis sensibilis, ob boni, vel mali imaginationem.* Sive (quod idem est) *Motus appetitus sensitivi in prosequendo bonum, vel fugiendo malum, ut sibi à phantasia, vel cogitativa offeruntur.* Hujusmodi-

di autem motus, seu actiones appetitus, vocantur *passiones*, quia in illis se habet appetitus per modum patientis, raptur enim quodammodo ab appetibili; annexa insuper est his motibus immutatio quedam à naturali dispositione subjecti, ut ibidem ait S. D.

366 Supp.2. ex eodem ibidem a. 4. alibique, omnes passiones animæ esse undecim; quarum sex sunt in concupisibili, scilicet, *amor*, *desiderium*, & *delectatio* respectu boni; *odium*, *fuga* vel abominatio, & *tristitia* seu dolor, respectu mali: Quinquè verò sunt in irascibili, *nimirum*, *spes*, & *desperatio* respectu boni; *timor audacia*, & *ira* respectu mali. Supp.3. quod passiones respicientes malum, proprius sunt tales, quamquam quæ bonum. De omnibus autem procedit dub. tametsi de expressis in titulo specialiter disserat S. Doct. quia major de illis poterat esse difficultas. His prælibatis,

367 Prima concl. est affirm. & fide certa cont. Marcionem Valentini, Manichæos, alioisque hæreticos. Constatque, tum ex pluribus Scrip. locis modo adducendis. Tum ex diffinitione S. Leonis Mag. Epist. 11. ubi ait: *sensus corporis* vigebat sine lege peccatis, & *veritas affectionum* sub moderatione Deitatis; & mentis. Tum ex VI. Synodo actu 4. & 8. Tum rat. D. Th. a. 4. dessumptâ ex PP. Filius Dei verum hominis corpus habuit, verum hominis animum: ergo habuit veros animi affectus. Tum efficaciter, quia hujusmodi affectiones consequuntur ex principiis naturæ humanæ, nec derogant plenitudini gratiæ, aut scientiæ Christi, & deserviunt maximè ad finem incarnationis, seu ad satisfaciendum pro peccatis nostris, ad comprobandum veritatem humanæ naturæ, & ad præbendum nobis virtutis exemplum: ergo verè illas assumpsit.

368 Prob. deinde concl. de singulis passionibus appetitus sensitivi, tam concupisibilis, quam irascibilis, quas N. 366. indicavimus. Nam sive in Christo *amorem*, constat ex illo Joan. 21. *Ecce quem amas infirmatur . . . Ecce quomodo amabat eum.* Quibus non modo amor voluntatis indicatur, sed & sensibilis, qui rationalem concomitari solet circa

ca objectum sensibile, ob mutuum potentiarum connexionem; nec indecens est, sed valde conformis Christo, tam ut viatori, quam ut comprehensori. De desiderio constat ex illo Lucæ 22. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Nec desiderium sensibile dédecet Christum sponte suâ volentem subjici fami, siti, aliisque defectibus, importantibus sensibile desiderium cibi, potûs, &c. Fuisse in illo delectationem quæ vocari etiam solet *gaudium, latitia, fruitio, & voluptas,* habetur ex illo Joan. 21. *Gaudeo propter vos, & similibus.* Nec suadibile est, voluisse Christum miraculosè privari honestâ delectatione sensibili, quam naturaliter excitare in eo poterant cibus, potus, aliaeque res gratæ, & jucundæ. Et ex his etiam liquet, fuisse in illo *odium, fugam, & tristitiam respectu mali, odium quippe contrariatur amori, fuga desiderio, & tristitia delectationi, contrariorum autem eadem est ratio.*

369 Prob. etiam concl. de passionibus irascibilis, scilicet de *spe, desperatione, timore, audacia, & irâ.* Et quidem de spe constat, *tum ex illo Psal. 31. ex Persona Christi, In te Domine speravi, &c. Tum,* quia connaturale erat humanitati Christi, & neutiquam indecens, sperare multa bona quibus in hac vita caruit, & quorum consequutio erat ardua & difficilis respectu potentiae naturalis humanitatis. Et hinc patet, fuisse in illo *desperationem*, quæ nihil est aliud, quam displicentia appetitus, desitentis à prosecutione boni apprehensi ut impossibilis saltē naturaliter, aut nunquam consequendi; cuiusmodi erat, respectu humanitatis, vitatio mortis, & cruciatum, suppositâ passibilitate corporis. De *timore* ex apprehenso malo futuro, habetur ex illo Joann. 14. & Matth. 26. *Surgite, eamus hinc,* quibus indicatur fortis & audax affectus sese hostibus offerendi. De *ira* demum secundum ordinem justitiae, quæ dicitur *ira per zelum,* constat J. 2. ubi dicitur de Christo esse impletum illud Psal. 68. *Zelus domus tua comedit me.*

370 Secunda concl. Hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad objectum, principium, & effectum. Est D.Th. a.4. & com. Prob. autem quoad 1. p. quia

quia nostræ fæpè in illicita teruntur , quod Christo repugnat. *Quoad* 2. autem, quia in nobis frequenter præveniunt usum rationis: Sed in Christo omnes motus appetitus sensitivi oriebantur secundum dispositionem rationis, ut docet Aug. 14. de Civit. c. 9. *Quoad* 3. demùm , quia nostræ quandoquè non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem ; quod non fuit in Christo. Unde Hier. super illud Matth. 26. *cæpit tristari, &c.* has Christi affectiones , *propassiones* appellat : non quod nomen *passio* semper significet motum appetitus inordinatum & perturbatum ; sed quia ignari illud sic usurpant (sicut illud usurpabant Platonici) ideo, quamvis affectiones Christi sensitivæ *passiones* non absurdè appellari possint cum Damasco , pluribusque DD. aptius tamen cum Hier. vocantur *propassiones*.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

371 Opp. 1. cont. 1. concl. Passiones Animæ sunt quædam ægritudines, juxta Tullium; sed in Christi Anima nulla fuit ægritudo , cùm hæc peccatum consequatur , juxta illud Psal. 4. *Sana adimam meam , quia peccavi tibi : ergo Præt. Rom. 7. passiones animæ vocantur passiones peccatorum:* ergo repugnant Christo sicut peccati fomes. *Ad 1. resp. D. Th. ad 2.* Tullium loqui juxta Platonicos, existimantes, solos inordinatos motus esse passiones. Sic etiam expendorus est Hier. dūm negat fuisse in Christo passiones. *Ad 2. R.* non omnes animæ passiones vocari ab Apost. *passiones peccatorum*, sed solas illas, quæ in illicita tendunt, & quæ proinde Christo repugnant , sicut fomes. Sic D. Th. ad 3.

372 Opp. 2. Prov. 12. dicitur: *Non contristabit justum quidquid ei acciderit :* ergo nec Christum , maximè justum. *Præt. Iaiæ 41.* dicitur de Christo , *Non erit tristis , nec turbulentus :* ergo. *Præt. Juxta Phil. 7. Etich.* Omnis tristitia est malum, & fugiendum : ergo nulla fuit in Christo. *Tandem : Christus oblatus est quia ipse voluit,* ut dicitur Is. 53. ergo non fuit in illo tristitia , hæc enim est de his quæ nobis nolentibus accident , juxta Aug. 14. de Civit. c. 6. *Ad 1. & 2. resp. D. Th. a. 6.* excludi ibi à justo, & Christo, solam tristiam perfectam , seu frangentem animum , & perturban tem

tem rationem. *Ad 3.* resp. ibidem, omnem tristitiam esse malum pœnæ; at non semper esse malum culpæ, sed solum quando ex inordinato affectu procedit. *Ad ult.* R. ex ipso ad 4.N.conf. Licet enim paſſio & mors fuerit Christo voluntaria ex fine redemptionis; fuit tamen ipsi involuntaria, & tristitiam causans, considerata secundum ſe: ſicut medicina amara non eſt ſecundum ſe volita, ſed ſolum ex fine sanitatis. *Testimonia PP.* in ſpeciem negantium verum Christo dolorem, ſoluta manent à N.313. *Concordiam* verò doloris & tristitiae cum gaudio Christi beatifico, firmavimus à N.255.

372 Opp.3. Hilarium 1. de Trin. Hier. in c.27. Matth. & August. enarrat. in Psal.21. negantes, fuſſe in Christo timorem. *Præt.* Imaginativa, appetitus ſenſitivi regulativa, non eſt cognoscitiva mali futuri, cùm ſpecies non recipiat à ſenſibili futuro, ſed præſenti: ergo appetitus ſenſitivus eſt incapax timoris, qui eſt fuga mali futuri imminentis. *Præt.* Verus timor ut à tristitia diſtinctus, importat incertitudinem eventus mali futuri, nam juxta Arift. 2. Rhetor. c.5. non eſt abſque ſpe illud evadendi; ſi enim hæc abſit, apprehenditur illud ut præſens, adeoque potius tristitiam cauſat: ergo non fuit in Christo, omnia mala futura certiſſime cognofcente. Hinc Matth. 26. fugam mortis adhuc non appellat timorem, ſed tristitiam: *Triflīs eſt (inquit) anima mea uſque ad mortem;* quia nimirūm, illi quaſi præſens erat, ob ſummam certitudinem. Quā ratione dixit S. D. 1. 2. q. 42. a.2. extremo ſupplicio damañatos non tam timere, quām triftari.

374 R. ad 1. ex dictis à N.313. laudatos PP. ſolum negare Christo timorem inordinatum, fortitudini oppofitum, qui dicitur *timiditas*: & timendi neceſſitatem, ortam ex peccato. *Ad 2.* R. ex D. Th. in 3. d. 15. q. 2. qq. 3. quod imaginativa noſtra, licet per ſe ipſam non poſſit futura cognofcere, bene tamen ex conjuſtione ad intellectum, quatenus ſcilięt intellectus apprehendens malum futurum, derivat in imaginativam quandam ſpeciem, quā illud poſſit ipſa cognofcere, & ad illius fugam appetitum mozure.

Vide Cajet. I.2. q.40. a.3. §. *Ad evidentiam.* Ad 3. omisit
solut. Caj. R. cum Cipullo, Prud. & aliis, dist. ant. Verus
timor efficax, de quo loquitur Phil. C. inefficax, N. & dist.
conf. nō fuit in Christo verus timor efficax, C. inefficax, N.

375 Habuit igitur simul Christus veram tristitiam, ve-
rumque timore, et si inefficacem, de eadē passione, & morte
secundum diversa: Timebat quippe illas quatenus erant
verè futuræ; tristabatur autem de illis, quatenus ratione
certitudinis erant quadantenus præsentes: quemadmodum
potest quis de eodem bono futuro habere simul spem, &
gaudium; spem quidem, quatenus illud verè non possidet,
gaudium verò, quatenus aliqualiter illud habet, juxta illud
Rom. 12. *spe gaudentes.* Hinc habes, D. Th. in I. concl. a. 7.
loqui de timore inefficaci, quem concedit Christo; in 2. verò
de efficaci, quem illi negat. Timor autem inefficax (ut
instantiam præcludam) et si imperfectus, est verè talis: si-
cūt de amore inefficaci, aliisque animæ effectibus dicitur.
Et quidem infirmus sponte efficaciter volens membra pu-
tridi sectionem, verè nihilominus, et si inefficaciter, illam
timet & horret. Nota præterea, appetitum sensitivum
hominis, propter subordinationem ad voluntatem, posse
appetere bonum, & refugere malum juxta conditionem
actus voluntatis; adeoque inefficaciter, & conditionatè.
Imò probabile est, appetitum bruti capacem esse affectus
inefficacis; talis enim videtur motus canis appetentis panem
ostensem, quem tamen accipere renuit, ob metum baculô
minitantis.

376 Opp. 4. In Christo non fuit admiratio, quæ est una
ex speciebus timoris: ergo. Prob. ant. *Tum*, quia admirari
non est nisi ignorantis, juxta Phil. in Metap. *Tum*, quia jux-
ta eundem 4. Ethic. magnanimus (qualis erat maximè Christus)
non est admiratus. *Tum* demùm, quia nullus mira-
tur de eo quod ipse facere potest; sed Christus facere pote-
rat, quidquid erat magnum in rebus: ergo de nullo admirabatur.
N. ant. Ad 1. prob. dist. ant. ignorantis, vel simpli-
citer, vel cum addito, C. necessariò simpliciter, N. Ad ad-
mirationem enim sufficit quod ignoretur causa effectus no-

vi, & insoliti, respectu cognitionis, quam sequitur admiratio: Cum ergo admiratio in Christo solam experimentalem sequatur cognitionem, sufficit, quod secundum experientiam causam ignoraret, Quod autem sufficiat experientia ad admirationem, patet, nam qui saepissime audivit Oceani molem, miratur nihilominus ad primum ejus intuitum: Miratur & Astrologus dum primo oculis intuetur eclypsim, quam evidenter praenoverat futuram. *Ad 2. prob.* R. id dixisse Phil. quia magnanimus non facilè admiratur: Christus autem admirabatur de fide Centurionis, non quod esset magna quantum ad ipsum, sed quantum ad alios. *Ad 3. dist. conf. de nullo admirabatur, secundum virtutem divinam, quæ omnia poterat, C. secundum humanam scientiam experimentalcm, N.*

377 *Opp. 5. Ira viri justitiam Dei non operatur*, ut dicitur Jac. 1. *Opponitur insuper mansuetudini*, ut patet in ethicis. Et tandem, quamvis sit per zelum, mentis oculum turbat, juxta Greg. 5. Mor. c. 33. ergo non fuit in Christo. *Ad 1. dist. ant.* Ira rationem præveniens, cui tribuitur operatio ut principali agenti, C. rationem subsequens, ut in Christo, N. tunc enim operatio quæ est justitiae, non iræ tribuitur, sed rationi, cujus est ira quasi instrumentum. *Ad 2. dist. aut.* Ira ordinem rationis transgrediens, C. moderata, N. nam mansuetudo medium tenet in ira. *Ad 3. Dist. ant.* In nobis, C. in Christo, N. In nobis enim potentia animæ mutuò se impediunt, ita scilicet, quod operatio intensa unius, alterius operationem debilitat; ideoque ira, quantumvis moderata per rationem, utcumquè impedit oculum animæ contemplantis. In Christo autem, ob moderationem divinæ virtutis, una potentia non impediebatur ab altera in suis operationibus. Ex hucusque dictis, satis superque constat id quod S.D. resolvit a. ult. q. 15. nimirum, Christum fuisse simul viatorem, & comprehensorem.

DISPUTATIO ULTIMA.

De consequentibus Unionem , quantum ad ea quæ conveniunt Christo secundum esse , & fieri.

378 **C**onsideratis hactenùs Incarnationis Mysteriò quantum ad substantiam Unionis , aliquique illam concernentibus ; differit Sanctiss. D. à q. 16. ad 26. inclusivè de consequentibus ipsam , & convenientibus Christo , vel secundum se (tām secundum esse & fieri ; quam secundum rationem unitatis) vel per comparationem ipsius ad Patrem , & econtrà : vel per comparationem ad nos. *De primo* (omnino necessariò ad rectè & catholicè loquendum in hoc Mysterio) accuratissimè tractat. q. 16. quam præsenti disp. emedullabimus , reliqua sequenti Tractatu. Sit igitur

DUBIUM I.

Utrum hæc propositio Deus est homo , sit propria , per se , & in materia naturali?

379 **S**upp. ut fide certum, talem propositionem esse veram, non solum propter veritatem terminorum, quia Christus est verus Deus, & verus Homo (quorum primum negavit Photinus , secundum verò Manichæus, ab Ecclesia anathematizati;) sed etiam propter veritatem prædicationis , quia utriusque unio est vera & substantialis , non autem accidentalis & effectiva , ut blasphemavit Nestorius. Hoc supposito, seu suppositâ veritate Mysterii,

380 Concl. est affirm. & quodā i.p. est D.Th. a.i. & com.

com. cont. Dur. afferentem, locutionem illam esse impro priam, & potius dicendum, Deum esse *humanatum*, quam *hominem*; quod erroneum communiter audit, & jurè. *Tum*, quia aliàs nec Beatiss. Virgo esset propriè Mater Dei; quod est hærefis nestoriana. *Tum*: Quia si talis propositio esset impropria, vel esset propter improprietatem subjecti, aut prædicati, aut copulæ; sed primum est error Photini, secundum Manichæi, tertium Nestorii: ergo. *Tum*, quia hæc, *Verbum caro (seu homo) factum est*, est propria: ergo & ista, *Verbum est homo*, unumquodque enim est id quod fit, si maneat post factionem: ergo & ista: *Deus est homo*; nam in ea ly *Deus supponit pro Verbo*. *Tum* demum, nam de quolibet supposito alicujus naturæ prædicatur propriè nomen significans naturam illam in concreto: sicut de Sorte & Platone propriè prædicatur homo; sed Verbum, pro quo suppedit hoc nomen *Deus* in illa propositione, est suppositum naturæ humanæ: ergo.

381 Quoad 2.verò p. concl. est com. Thomist. quibus alii plures adhærent, cont. D.Bonav.Scot.Dur.Suar.Vazq. aliosque. Sensus autem illius est, quod talis propositio est per se, & in materia naturali, non quidem ratione Deitatis, quæ est forma importata per subjectum, sed ratione suppositi. Prob. autem. Quia suppositâ Incarnatione (per quam Persona Verbi subsistit in natura humana, estque hypostasis illius) ly *Deus* in illa propositione determinatur, ratione prædicati *homo*, ut supponat pro Filio Dei, non utcumque, sed ut substantialiter unito humanitati, seu ut subsistenti in illa; *talia enim sunt subjecta, qualia permittuntur* (quoad suppositionem) ab eorum prædicatis: ergo in illa prædicatur natura humana in concreto de sua hypostasi, seu individuo: ergo est propositio per se, & in materia naturali, utpotè est prædicatio speciei, seu secundi prædicabilis, non secùs ac ista, *Petrus est homo*: ergo. *Conf.* Nam sic accepto ly *Deus*, idem est dicere, *Deus est homo*, ac, *Christus est homo*; sed hæc est propositio per se, & in materia naturali: ergo & illa. Recole dicta t. I. à N. 740.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

382 Opp.1. cont. supp. Magis convenientur Personæ divinæ adinvicem, quam humana natura, & divina; sed illæ non prædicantur adinvicem: ergo nec istæ: ergo hæc est falsa, *Deus est homo.* Præt. Hæc est falsa, *Anima est caro:* ergo & ista, *Deus est homo.* Tenet cons. ex illo Symboli, *sicut anima & caro unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus.* Tandem: Homo est quid absolutum: ergo si verè prædicatur de Deo, verè prædicatur de tota Trinitate; quod est hæreticum. Ad 1. Dicit. cons. Nec istæ in abstracto, C. in concreto, N. Conveniunt enim in supposito, tametsi adinvicem distinguuntur: Personæ autem divinæ distinguuntur adinvicem, quamvis in natura convenienter. Ad 2. N. cons. & prob. nam anima & caro abstractè dicuntur, sicut divinitas & humanitas: Neutrubi ergo prædicatur abstractum de abstracto, sed utrobique concretum de concreto; nam hæc est vera: *Animatum est carneum*, seu *corporum.* Ad ult. R. quod homo prædicatur de Deo ratione unionis, importantis relationem; unde nulla est sequela. Sic D.Th. a.i.

383 Contra 1.p.concl. nihil opponit Dur. quod sit ad propositum, ut optimè notant. J. à S.Th. & Marinis. Fundamenta enim illius, si quid probant, suadent dumtaxat, propositionem illam non esse *essentialē*, sed *accidentale*; quod sanè, et si gratis admittatur, minimè destruit proprietatem prædicationis, nec enim minus propria est hæc propositio, *Petrus est albus*, quam hæc, *Petrus est homo*: Proprietas enim prædicationis solum exigit, quod id quod importatur per prædicatum, verè & propriè, & non metaphorice aut analogice conveniat subjecto; sive tale prædicatum conveniat essentialiter, sive accidentaliter; sive sit magis, vel minus idem cum illo subjecto, sive non. In quo deceptus est Dur. Illius igitur argumentis omissis, quæ videri possunt apud Cabreram, & Cipullum,

384 Opp.2. cont. 2.p.concl. Prædicatum illius propositionis non est de essentia subjecti, cùm nec sit de intellectu Ferrer Epit. Tom. IV. N il-

illius, nec conveniat omni contento sub illo, nec enim convenit Patri, aut Spiritui S. Præt. Propositio essentialis & per se, verificatur cum reduplicatione subjecti, sicut homo inquantum homo est animal; sed hæc propositio, *Deus est homo*, non est vera cum reduplicatione subjecti, nam esse hominem non convenit Deo, ex eo quod est Deus, alias necessariò esset homo: ergo. Tandem: Omnis propositio per se, & in materia naturali, est necessaria & æternæ veritatis; sed hæc, *Deus est homo*, non est hujusmodi, cùm ante Incarnationem esset falsa, modò etiam potest esse falsa de potentia absoluta, quâ potest Deus dimittere naturam assumptam: ergo.

385 R.ad 1. dist. ant. Non est de essentia subjecti, ratione formæ significatæ per subjectum, C. ratione suppositi illius, N. Ad 1. prob. R. quod ly *homo* est de intellectu subjecti ut suppositi, eō modō, quō subjectum humanum intelligi non potest sine humanitate. Ad 2. prob. N. conf. nam solum prædicatum, quod est de essentia subjecti ratione formæ significatæ, debet convenire omni contento sub subjecto; secùs quando solum est de essentia subjecti ratione suppositi determinati; quia subjectum restringitur ad illud, ut contingit in laudata propositione, in qua ly *Deus* restringitur, ratione prædicati, ad determinatum suppositum Verbi. Sed instat Vazquez. Quod subjectum, seu *Deus*, ponitur absolute, & nullō afficitur nomine, quō determinetur ad supponendum pro speciali supposito: ergo. R. tamen, determinari à prædicato, juxta laudatam regulam, sicut in his, *Deus generat*, *Deus spirat*, quæ sunt veræ de fide, & non nisi ratione determinati suppositi subjecti; quæ determinatio prôvenit à prædicato, nec opus est aliō nomine.

386 Ad 2. Dist. maj. Si sit essentialis & per se ratione formæ significatæ per subjectum, ut adducta in exemplum, C. si solum sit talis ratione suppositi subjecti, ut in præsenti, N. Sed instat Vazquez ergo hæc, *Verbum Dei est homo* (in qua suppositum est etiam significatum) erit vera cum reduplicatione subjecti; sed consequens est falsum, nam hæc sum-

sumpta reduplicative, est falsa, *Verbum Dei*, ut *Verbum Dei*, est homo: ergo. R. N. min. & prob. Nam ut reduplicatio caderet supra suppositum, debebat sic fieri, *Verbum Dei*, ut *unitum humanitati*, est homo, nam ly homo determinat ad suppositum divinum, non prout in natura divina, sed prout in humana. Quod videre poterat Vazq. apud Cajet. §. Ubi patet, & vidis- set contritum laqueum, quô Cajetanum capere autumat.

387 Ad ult. dilt. maj. Si sit talis absolutè, & sine addi-
to restringente, C. si secus, N. & concessà min. dilt. cons.
eadem dilt. Talis enim propositio est per se, & in materia
naturali, cum duplaci additô, nempè, suppositô Incarna-
tionis Mysteriô, & solius suppositi in humanitate subsisten-
tis. R. 2. talem prop. esse æternæ veritatis, sumptô ly est
nominaliter, & non participialiter; quia sicut de essentiâ
Petri est, quòd sit homo, ita de essentia Verbi humanati;
nam licet quoad existentiam sit temporalis hæc unio; essen-
tia tamen hujus uniti, est subjectum, de quo semper prædica-
tur homo. Et in hoc sensu est æternæ veritatis, sicut ista,
Petrus est homo. Et sanè talis ab omnibus reputatur ista, *Chris-*
tus est homo, quæ est eadem cum ista, *Deus est homo*, nam
suppositâ fide Incarnationis, idem est utriusque subjectum.
Idem, propter idem, esto judicium de ista; *Homo est Deus*, de
qua D. Th. a. 2.

DUBIUM II.

Utrum in hoc ineffabili Mysterio detur vera; ¶
propria communicatio idiomatum? ¶ *qua-*
nam sint hujus Regulae?

389 **S**upp. 1. Communicationem idiomatum nihil
esse aliud, quam, naturæ divinæ & humanae,
earumque proprietatum seu attributorum, mutuam prædi-
cationem: Licet enim *idioma* idem sit quòd *proprietas*, usus
tamen inualuit apud Theologos, ut talis communicatio ad
mutuam naturarum prædicationem extendatur. Supp. 2.

rationem adæquatam hujus idiomatum communicationis, esse unionem utriusque naturæ in Christo; non quod istæ fuerint inter se confusæ, ut Eutychiani & Theopaschitæ blasphemarunt; nec quia attributa naturæ divinæ fuerint formaliter communicata humanæ, ut Brentius, Kemnitius, aliqui Lutherani effutierunt; sed eò præcisè, quod utraque natura fuerit substantialiter unita in uno eodemque supposito Divini Verbi: hæc enim unio sufficit, ut prædicta divina & humana, seu utraque natura, & utriusque proprietates, concretim acceptæ, supponant pro eodem, pro eadem scilicet persona Verbi, in utraque natura subsistente, de qua proinde, & mutuò adinvicem, verè prædicitur, in quo stat communicatio idiomatum. His suppositis.

390 Concl. est affirm. & fide certa, tum ex Scrip. que loquens de Christo, sèpè divina tribuit homini, & humana Deo. Joan.3. *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, Filius hominis, qui est in Cælo.* Et c. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Rom.8. *Proprio Filio suo non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et 1. Cor.2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Tum ex Symbolo Apostol. ubi legimus, Filium Dei unicum, de Spiritu S. conceptum, ex Maria Virgine natum, passum sub Pilato, crucifixum, mortuum, sepultum, &c. Tum ex Synodis III. V. aliisque, difariantibus contra Nestorianos, Beatissimam Virg. esse verè Dei Matrem, quia ille homo, cuius est Mater, verè est Deus. Accedit consensus PP. quorum test. vide apud Suarez disp. 35. sect. 1. Accedit & manifesta ratio desumpta ex unitate suppositi, ut dictum est N. præced.

391 Cùm naturæ in Christo possint sumi, vel in concreto, vel in abstracto, & rursus illarum combinatio possit esse vera unō modō, & falsa alterō; ideo ad stabiendam rectam ac tuam loquendi formam, alias assignant Theologi Regulas ex D. Th. hic, alibique excerptas, quarum præcipuæ sunt sequentes. *Prima:* Utraque natura, earumque proprietates, concretim sumptæ, possunt de se invicem

cēm prædicari, quia sic supponunt pro eodem in recto: verē enim dicitur, Deus est homo, Homo est Deus, Deus est natus, crucifixus, mortuus, &c. Similiter, Homo est immortalis, omnipotens, &c. Et pariter, Mortalis est immortalis, temporalis est aeternus. Secunda Regula: naturæ aut earum proprietates (sive abstractim, sive concretim, sumantur) neutiquām prædicari possunt de naturis, aut earum proprietatibus sumptis in abstracto: Quia nulla esset identitas prædicati cum subjecto, nam abstractè sumptæ, non supponunt pro supposito, sed solū pro se ipsis, quæ inconfutæ, & distinctæ manent: Unde omnes istæ sunt falsæ, Divinitas est humanitas, Humanitas est divinitas, Divinitas est homo, Humanitas est Deus, Humanitas est aeterna, Aeternitas est temporalis, Mortalitas est immortalis, aut immortalitas.

392 Tertia: Abstracta significantia naturam Divinam, aut ejus proprietates, verē prædicantur de Christo quocumque nomine expressō; secūs abstracta significantia naturam humanam, aut ejus proprietates: Unde verē dicitur, Christus, Filius hominis, Hic homo est Deitas, aeternitas, &c. non tamen humanitas, corporeitas, &c. Quia Christus supponit pro supposito Verbi, cui identificatur Deitas, aeternitas, &c. non autem humanitas, corporeitas, &c. Quarta: Prædicta denominativa, ab humanitate desumpta, verē prædicantur de Deo, si accipientur *denominativè substantialiter*, secūs si *accidentaliter*: Quia substantialiter sumpta, nihil significant Mysterio Incarnationis repugnans, imò importat unionem substantialiem, ut patet in his propositionibus, Filius Dei est incarnatus, humanatus, &c. Sumpta vero accidentaliter, exprimunt unionem accidentalem, quæ Mysterio repugnat. Et quia ly dominicus ut plurimum accipitur *denominativè accidentaliter*, ideo vitanda est hæc propositio, Christus est homo dominicus, illamque retractavit Aug. lib. I. retract. c. 19.

393 Quinta regula: Concreta unius naturæ non possunt prædicari de concretis alterius cum particula reduplicativa. Quamvis enim id de quo prædicantur sit idem, scilicet, suppositum; secūs id, ratione cuius dicuntur. Prædi-

cata enim diuina dicuntur de homine ratione naturæ divinæ, & prædicata humana dicuntur de Deo ratione humanitatis: particula autem reduplicativa denotat, prædicatum convenire subiecto ratione naturæ: Unde falsæ sunt istæ, *Christus quā Deus, est homo, corporeus, &c. Christus, quā homo, est Deus, aeternus, &c.* Sexta Reg. Illa quæ nata sunt convenire personæ ratione sui ipsius, non possunt dici de Christo, si habeant repugnantiam ad proprietates personæ aeternæ, quæ sola in eo est, sicut patet in nomine creature: Ea verò quæ non sunt nata convenire personæ nisi ratione naturæ, vel partis naturæ, possunt dici de Christo, quamvis habeant repugnantiam ad personam aeternam, & hoc propter dualitatem naturarum sicut pati, mori, & alia hujusmodi. Sic D.Th. q.29. de verit. a.9. ad 1.

394 Septima Reg. De Christo D. ratione duarum naturarum, prædicari possunt opposita privativè, non tamen contradictoriè. Dicitur enim de Christo, & de Deo, quod est *virus, & mortuus*; secùs quod est *vivens, & non vivens*, quia ly *non vivens*, ex modo significandi, negat omnem vitam, & pro semper, ly autē *mortuus* significant negationē solius vitæ humanæ, pro tempore determinato. Prefatas regulas colligit S.D. ut plurimū ex his principiis fidei, nimirum, *In Mysterio Incarnationis est tantum unum suppositum, in natura Divina & humana subsistens... In hoc Mysterio manent naturæ distinctæ & inconfusaæ.*

395 Ad majorem dictorum intelligentiam, sciendum est 1. prædicata Christo convenientia, alia convenire ipsi præcisè quā Deo, ut esse aeternum: alia quā homini, ut esse rationalem, risibilem: alia demùm, quatenus est Deus homo, ut esse Redemptorem. Primi generis vocantur *divina*, secundi, *humana*, tertii, *theandrica*, id est *humano divina*. Sciendum est 2. in quibusdam prædicatis non dari communicationem idiomatum, tametsi in concreto sumantur. Et hujusmodi sunt 1. quæ soli humanitati conveniunt, ut *assumi*, & *assumptione mutari*, vel soli supposito, ut *assumere*, & *incarnari*.

396 Secundò, attributa quæ non conveniunt nature, pro-

prout est in supposito quod humanitatem assumpsit, ut *generare, spirari*, quae conveniunt quidem Deo, sed prout subsistenti in Patre, & Spiritu S. non tamen in Verbo. *Tertio*, quae ex modo significandi cadunt supra rationem totius compositi, ut *esse personam compositam*, quod verè de Christo enunciatur, secùs de Verbo, & homine. *Hinc* facilè solvuntur argumenta quae cont. concl. & Regulas supra positas fieri solent: Procedunt enim de prædicatis, vel repugnantibus subiecto, vel importantibus appellationem propter quam supposito non conveniunt, aut tollentibus eam, ratione cuius conveniunt, aut extrahentibus subiectum à ratione unionis fundantis idiomatum communicationem, ut modò constabit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

397 Opp. i. cont. concl. & i. Regulam. Corpus Christi in triduo mortis remansit unitum Verbo; sed tunc non fuit idiomatum communicatio, cùm nec corpus dici possit *sa piens*, aut *justum*, nec Verbum *pars naturæ humanae*: ergo. *Præt.* Mutabilitas est proprietas naturæ humanæ; sed prædicari nequit de Deo, aut Christo: ergo. *Præt.* Hæc est falsa, *Deus est mortuus*: non secùs ac ista, *Deus est mutatus*, cùm mori sit mutari de non esse ad esse: ergo. *Ad 1. N. conf.* quia cùm corpus solum sit pars naturæ humanae, nec ipsum, nec ejus proprietates, prædicari possunt de Verbo; imò nec de homine Christo; nec econversò. *Ad 2. Dist. maj.* Est proprietas humanitatis, importans appellationem formalem, aut virtualem ad illam, C. secùs, N. & concessà min. N. conf. Vel Dist. consequens distinctione maj. *Ad ult. N. ant.* nam ly *mortuus* denotat mutationem factam in natura humana, secundum quam Deus amisit vitam hominis, idèque verificatur de Deo homine. Ly autem *mutatus* significat mutationem factam in supposito, cui applicatur in hac propositione, *Deus est mutatus*, adeòque est falsa.

398 Opp. 2, cont. 2. Regulam. Rectè sequitur: *Filius Dei moritur*; *Filius Dei est Deitas*: ergo *Deitas moritur*. *Præt.* Deitas dicitur à PP. incarnata, concepta, nata: ergo dici potest mortua, & passa; & quidem sic dicitur à Fulgen. ep.

2.ad Ferrandum. Tandem in Officio S. Crucis dicitur, *vita mortua*: ergo. Ad 1. N.ant. Variatur enim appellatio, nam *ly moritur* applicatur in maj. Verbo Divino ratione humanitatis, in consequenti vero, Deitati ratione sui. Simile vi-
tium commititur in sequentibus: *Deus generat*; *Deus est Dei-
tas*: ergo *Deitas generat*. *Verbum generatur à Deo Patre*; *Ver-
bum est Deitas*: ergo. Ad 2. & 3. R. Ecclesiam & PP. sume-
re abstracta pro concretis: sicut interdùm concreta pro ab-
stractis accipiunt, ut liquet in illo August. & Ambr. *Tu ad
liberandum suscepturus hominem*. Illa autem propolitio, *Dei-
tas est incarnata*, est vera in sensu identico, propter identi-
tatem Deitatis cum Verbo, quod fuit incarnatum. Nec inde
inferas, quod Deitas dici posset homo; nec enim fit ho-
mo, nisi quod unitur humanitati per modum suppositi illam
sustentantis.

DUBIUM III.

*Utrum istae sint veræ: Deus factus est homo: Ho-
mo factus est Deus:: Christus est creatura:: Iste
homo, demonstrato Christō, ince-
pit esse?*

Prosequitur Aug. D. doctrinam rectè loquendi in hoc Mysterio, in examen vocans (ab art. 6. ad 12. seu ult. hujus quæst.) septem propositiones, quarum 4. priores præsenti Dub. comprehendimus; reliquas sequenti eluci-
daturi. Pro illius igitur resol. sit

399 Prima conclusio: Hec est vera, *Deus factus est ho-
mo*, secùs ista, *Homo factus est Deus*. Quoad i.p. est fide cer-
ta ex illo Joan. 1. *Verbum Caro factum est*, quod per inde est,
ac si diceretur, quod *Deus homo factus est*. Ex illo etiam ad
Gal. 4. *Misit Deus Filium suum in mundum, factum ex mulie-
re*. Ex illo Symboli PP. *Et homo factus est*, & ex pluribus
aliis Scripturæ, & CC. testimoniis, quibus accedit consensus
PP. & ratio D.Th. a. 6. unumquodque enim verè dicitur fa-
ctum

Cum id, quod de novo incipit prædicari de ipso, quia est verè tale de novo: sed esse hominem, de novo incepit prædicari de Deo: ergo. Secunda etiam pars constat, quia in illa propositione, propriè acceptâ, (prout scilicet participium *factus* ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum) ly *homo* supponit personaliter; sed de supposito naturæ humanæ de quo verificatur esse Deum, dici non potest factum esse Deum, cùm semper & essentialiter sit Deus: ergo.

400 Secunda concl. Hæc propositio, *Christus est creatura*, nec est absolute concedenda, nec in rigore & proprietate sermonis est vera. Quoad i.p. est D.Th.a.8.& com. & meritò, nè in modo loquendi conveniamus cum Arrianis. Solùm ergo concedenda est cum determinatione, scilicet, secundum humanam naturam. Secunda etiam pars est com. Thomist. nec dissentit Cajet. ut ostendit Cabrera, & notat Joan. à S. Th. Est etiam frequentior in Scholis cont. Vazquez, Suarez, & alios RR. Supponimus autem ly *creatura* non sumi hic strictè pro facto ex nihilo, (aliàs nec humanitas Christi esset creatura) sed latè, seu pro habente esse reale extra Deum. Quò supposito, prob. hæc p. rat.D. Th.in 3.d. 11. q.1. a.2. & 4.cont. Gen. c.48. Quia creatio vel factio propriè respicit esse simpliciter, quod est proprium suppositi subsistentis; sed suppositum Christi non potest fieri aut creari: ergo nec Christus: ergo dici non potest creatura. Nec oppositum insinuat hic a.8. Tum, quia secunda ratione probat, propositionem illam esse negandam, quia *creatura* est prædicatum potens convenire ratione suppositi: ergo falsò absolute enuntiatur de Christo, cui repugnat ratione suppositi: Prædicatum enim aptum convenire toti, & parti, si solùm conveniat parti, nequit verè enuntiari absolute de toto, sed solùm cum limitatione. Unde hæc est absolute falsa. *Aethiops est albus.*

401 Tum, quia a. præcedenti docet, hanc esse absolute falsam, *Christus est factus*, cuius falsitatem dicit esse probandam a. 8. (seu præsenti) & 9. quia nimirùm, idem est sensus harum propositionum, *Christus*. seu *hic homo* (desig-
na-

natō Christō) est factus, incepit esse, est creatura: ergo evi-
denter censet hanc, Christus est creatura, esse absolute fal-
sam. Prob. insuper hæc 2.p. Omnis creatura aliquando non
fuit; sed Christus semper fuit: ergo non est creatura. Præt.
De ratione creaturæ est quod inceperit esse; sed Christus
non incepit esse, ut mōx videbimus: ergo. Conf. creatura
includit negationem præcedentis esse, sed quod habeat esse
post non esse: ergo. Tandem: Rectè sequitur: Christus est
creatura; sed Christus est Filius Dei: ergo Filius Dei est crea-
tura: sed consequens in rigore sermonis est hereticum, non
secūs ac istæ, Filius Dei factus est Deus, seu, incepit esse Deus,
quidquid Vazquez, aliique dicant: ergo.

402 Tertia concl. Hæc propositio, Christus, seu *hic ho-
mo* (demonstratō Christō) incepit esse, est absolute falsa in
rigore sermonis. Est com. cont. Scotum afferentem, esse veram,
& contra Durandum, tenentem, esse æquivocam, &
in aliquo sensu veram, quibus Vazquez, aliique adhærent.
Prob. autem. Tum ex illo Hebr. ult. *Iesu-Christus heri, &
hodie, ipse & in secula*. Tum, quia propositio illa damnata
est Pariliis, & cum esset appellatum ad Sedem Apost. re-
probata est ab Alex. VI. teste Cajet. hic. Tum, quia demon-
stratur suppositum divinum, cuius æternitati repugnat in-
ceptio; terminus enim concretus in subjecto positus, tene-
tur seu supponit materialiter pro supposito, juxta veram
dialecticam. Tum, quia benè sequitur: Christus incepit esse,
Christus est Filius Dei; ergo Filius Dei incepit esse; sed conse-
quens est hereticum: ergo. Tum Postremò ad hominem
cont. Scot. & Dur. Nam juxta ipsos, hæc est simpliciter fal-
sa, Christus est creatura: ergo & ista: Christus incepit esse, so-
lius enim creaturæ est incipere esse.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

403 Opp. i. cont. i.p. i. concl. Fieri hominem, est fieri
simpliciter, homo enim significat substantiam; sed hæc est
falsa, Deus factus est simpliciter: ergo. Præt. Rectè sequitur
ab inferiori ad superiorius affirmative: Deus factus est homo:
ergo factus est animal, vivens, corpus, substantia, ens, imò
factus est absolute; sed consequens est falsum: ergo. Conf.
Hæc

Hæc est vera, Deus non est factus: ergo & ista, à superiori ad inferius negativè, Deus non est factus homo. Præt. Fieri hominem, est mutari; cùm si transtire de non esse tale ad esse tale; sed repugnat Deum mutari: ergo. Tandem: Hæc est falsa, Deus factus est Persona Filii Dei: ergo & ista: Deus factus est homo; homo enim, prout de Christo dicitur, supponit personam Filii Dei.

404 Ad 1. dist. maj. cum D. Th. a. 6. ad 1. Si natura humana incipiat esse in supposito denuò creatō, sicut in nobis, C. si secūs, N. Deus autem dicitur factus homo, eò quod humana natura incepit esse in supposito Divino, ab æterno præexistente: ideoque Deum fieri hominem, non est Deum fieri simpliciter. Hinc. Ad 2. N. maj. quoad ult. partes. Nec enim arguitur per illum locum; sed fallaciter ab inferiori ad superius virtualiter negativè, ob inbibitam negationem in termino à quo; fit enim homo ex non homine, & substantia, ex non substantia, &c. unde sicut cùm dicitur, quod Deus factus est homo, animal, corpus, significatur, quod ante non erat homo, &c. quod est verum; ita dum dicitur, quod factus est vivens, &c. denotatur quod ante non erat vivens, &c. adeoque præpositiones illæ sunt absolute falsæ.

405 Ad conf. N. cons. & suppositum, quod scilicet, arguatur à superiori ad inferius negativè, sed paralogizatur à simpliciter ad secundum quid: sicut si dicatur: Petrus non potest fieri homo: ergo non potest fieri musicus. Ad 3. dist. maj. Fieri hominem subjectivè, est mutari, C. fieri terminativè, N. maj. & concessâ min. N. cons. Itaque fieri subjectivè hominem, dicit mutationem in subjecto ipso, quod per transmutationem sui acquirit esse hominem: At acquirere, esse humanum, seu fieri hominem terminativè, non dicit mutationem in subjecto terminante, sed in natura terminata: Cùm igitur Deus factus sit homo, non per transmutationem personæ, sed solâ terminatione naturæ humanæ, incipiendo de novo subsistere in illa, tota mutatio se tenet ex parte humanitatis: Ideoque D. Th. ad 2. ait, quod esse hominem, convenit Deo ratione unionis, id est, ad modum quod relatio advenit termino, qui, sine sui mutatione,

poteſt illam terminare: Hanc enim uſſe mentem D. S. patet a. 1. ad 4. *Ad ult.* N. conf. & prob. nam *homo* in 2. prop. ſupponit Personam Fili Dei, non nudam, ſed prout ſuſtit in humana natura, ut docet D.Th. hic ad ult.

406 Opp.2. cont.2.p. ejusdem. *Tum*, quia Aug. Nazian. Damasc. aliique PP. apud Cippul. concedunt propositio- nem illam. *Tum*, quia talis prop. nihil aliud significat, quām quod per divinam actionem factum eſt, ut homo ſit Deus, qui ſensus veriſsimus eſt. *Tum*, quia omne quod nunc eſt aliquid quod prius non fuit, poſteſt dici factum eſſe illud; ſed homo nunc eſt Deus, & non ſemper fuit Deus: ergo homo factus eſt Deus. *Tandem*, quia recte ſequitur per conversionem ſimplicem: *Deus factus eſt homo: ergo homo factus eſt Deus.* *Ad 1. & 2. R.* PP. loqui in ſenſu relatio- in 2. objectione, qui verus eſt, ſed improprius, ut oſtendit D.Th. a. 7. proprius autem adductus eſt ſuprā. *Ad 3. N.* min. quoād 2. p. quia ly *homo* in illa prop. propriè ſumptā, ſupponit perſonaliter pro eo, qui eſt Deus, quiquidem ſem- per fuit Deus, quia eſt ſuppoſitum Filii Dei. *Ad ult.* N. ant. neque enim efficitur ex prædicato ſubjectum, & econ- versō; nam ſubjectum antecedentis eſt Deus, & prædicata- tum eſt, *factus eſt homo*, hæc enim prop. *Deus factus eſt homo*, æquivalet huic, *Deus eſt ille, qui factus eſt homo*. Unde con- vertens illius eſt, *Is*, qui *factus eſt homo*, eſt Deus, quæ ve- ra eſt.

407 Opp.3. cont.2.p. 2.hanc. prop. *Christus eſt creaturæ*, abſolutè proferri à M. Leone. Hier. pluribusque aliis PP. videndiſ apud Medinam, & Suarez, quibus favere videtur. D.Th. hic a. 8. non abſolutè rejiciens illam, ſed tantū ad vitandum Arrianismum: qua propter ſolut. ad 2. æquiparat illam huic, *Christus eſt incorporeus, & impaſſibilis*, quæ abſolu- tè eſt vera, & ſolum eſt neganda ad vitandum Manichæif- mum: ergo. *Præt.* Non minus repugnat ſuppoſito Christi naſci, & mori, quām creari, aut fieri; ſed Christus verè, & propriè dicitur *natus, & mortuus*: ergo. *Præt.* Proprieta- tes utriusque naturæ verè, & propriè prædicantur de ſuppo- ſito utriusque naturæ, quōcumque nomine ſignificetur; ſed eſſe

esse creaturam, est proprietas naturæ humanæ: ergo. *Conf.* Christus propriè est homo, & verè collocatur in prædicamento substantiæ: ergo. *Tandem:* Hæc est vera, *Christus, in quantum homo, est creatura:* ergo & ista, *Christus est creatura,* nam à reduplicativa ad suam præjacentem tenet consequentia.

408 Ad 1. R. cum D. Th. in illa Patrum locutione subintelligendam esse determinationem, nempè, secundum quod homo, quam brevitatis causa interdùm omittunt. D. autem Th. in corpore, utrumque apertè docet, nempè, & esse negandam, ob vitandum errorem; & esse falsam, sicut ista, *Aethiops est albus.* In solut. autem 2. arg. æquiparat utramque illam propositionem in eo solùm, quod neutra concedenda est absque determinatione, vitandi erroris causâ. Et quamvis altera neganda sit etiam, quia absolutè falsa, id tamen non expresit ibi S. D. tanquam non necessarium ad argumenti solutionem. Ad 2. R. disp. esse, quod de nativitate, & morte dubitari non potest, quod conveniat Christo ratione personæ, sed apertum est, ex ipsa terminorum significatione, convenire illi ratione humanitatis; secùs est de creatione, inceptione, subjectione, & id genus: quæ proinde, non obsolute, sed cum determinatione possunt illi attribui. Hinc.

409 Ad 3. Dist. maj. verè, & propriè prædicantur, &c. sive absolutè, & simpliciter, sive cum addito, C. omnes absolutè, & simpliciter, N. & concessâ min. Dist. conf. verè, & propriè prædicatur cum addito, & determinatione naturæ humanæ, C. absolutè, & simpliciter, N. Omnes quidem proprietates utriusque naturæ dici possunt de Supposito Christi, quocumque nomine significatō; sed non omnes eodem modō: nam proprietates naturæ humanæ, quas aper- tum est convenire supposito ratione humanitatis, ut *nasci, pati, mori, & hujusmodi;* absolutè, & simpliciter tribuuntur illi: Secùs illæ de quibus suspicari potest, quod convenient supposito ratione sui, ut *esse creatum, factum, deficiens, mutabile, & id genus.* Et per hæc patet ad conf. Ad ult. N. conf. Ad prob. N. suppositum, quod scilicet, propositio il-

illa sit reduplicativa, nam ly *inquantum* non sumitur in illa reduplicative, quidquid dicat Cipillus; sed specificative diminutive, juxta Sotum, Bañez aliosque communiter.

410 Opp.4. cont.3. Christus incepit esse homo : ergo incepit esse; arguitur enim ab inferiori ad superius affirmativa. Præt. Rectè sequitur: *Christus incepit esse Christus*: ergo incepit esse: sicut bene valet: *Petrus incepit esse Petrus*: ergo incepit esse. Præt. Rectè sequitur: *Christus est generatus*: ergo habuit esse post non esse: ergo incepit esse. Ad 1. N. cons. & prob. Imò arguitur ab inferiori ad superius negativa, ob negationem quam includit ly *incepit*, incipere enim importat nunc esse, & non priùs. Unde consequentia illa æquivalet huic: *Christus antea non erat homo*: ergo *Christus antea non erat*. Propter eandem rationem non tenet sequens: *Petrus incipit esse albus*: ergo incipit esse coloratus.

411 Ad 2. N. ant. nam ad veritatem illius antecedentis sufficit, quòd Christus inceperit esse homo, terminus enim positus in prædicato, tenetur formaliter, id est, pro natura significata, ut ait D. Th. a. 7. ad 4. Ad verificandum autem illud consequens, oportet, Christum incepisse absolute. Ad prob. N. cons. Quia Petrus est terminus unius naturæ; adeoque si Petrus incipit secundum illam, incipit absolute. Secùs Christus, quia ly *Christus* est terminus duarum naturalium. Ad ult. N. ant. Licet enim consequentia illa teneat regulariter, secùs in Christo, ob præexistentiam suppositi ipsius.

DUBIUM IV.

Utrum istæ sint veræ: Christus, secundum quòd homo, est creatura :: Christus, secundum quòd homo, est Deus: Christus, secundum quòd homo, est hypostasis, vel Persona?

412 **P**rima concl. *Hæc prop. Christus, secundum quòd homo, est creatura, in sensu proprio est*

vera, adeoque concedenda absolutè prolata. Est com. cont. Scot. & Gabr. concedentes, esse in sensu proprio falsam, & contra nonnullos, afferentes, esse ambiguam. *Prob.* autem rat. D. Th. a. 10. Quia in illa ly *homo* magis propriè stat pro natura humana, quām pro supposito; sed hæc, *natura humana est creatura*, est vera in sensu proprio, & formalī: ergo & illa. *Prob.* maj. nam ly *homo* desumitur ibi in vi prædicati, seu fit prædicatum, idem enim est dicere, *Christus, secundum quòd homo*, ac, *Christus, secundum quòd est homo*; sed prædicatum tenetur formaliter, seu pro natura: ergo. *Subjungit* autem D. Th. quod si adderetur aliquid contrahens ad suppositum, propositio esset falsa, ut si dicatur: *Christus, secundum quod hic homo, est creatura*, in qua pronomen *hic* trahit ad suppositum, quod est æternum.

413 Secunda concl. *Hæc prop.* *Christus, secundum quòd homo, est creatura, seu incepit esse, est vera in sensu reduplicativo.* Est com. cont. Scot. & Vazq. & prob. Quia in illa ly *secundum quòd*, non solum specificat, & designat rationem, secundum quam convenit Christo esse creaturam, seu incipere esse (qui sensus est specificativus) sed etiam reduplicat sufficientem, & necessariam rationem, & causam, ut sit creatura; quia humanitati (quam reduplicat) per se, essentialiter, & secundum quòd ipsam, convenit esse creaturam, & incipere esse: ergo talis propositio non solum est vera in sensu specificativo, sed etiam reduplicativo, non qualcumque, sed causali, quidquid limitent Medina, & J. à S. Th. hæc enim causalis est vera: *Quia Christus est homo, est creatura*; ut optimè ait M. Cabrera. Vide Sotum lib. 4. summul. c. 3. ubi docet, sensum reduplicativæ, esse causalem; ita ut ex reduplicativa fiat causalis, & econversò.

414 Tertia concl. *Istæ propositiones: Christus secundum quòd homo, est Deus...* *Christus, secundum quòd homo, est hypostasis, vel persona, in sensu proprio, & formalī sunt false, adeoque negandæ, absolutè prolatae.* Est com. & expressa D. Th. a. 11. & 12. Et ratio est eadem, ac præcedētium. Quia terminus in reduplicatione positus, magis propriè tenetur pro natura, quām pro supposito; sed natura humana, nec est Deus,

Deus, nec persona : ergo. Subdit autem S. D. quod si ly
homo accipiatur pro supposito, utraque propositio, est
vera, quia suppositum Christi, est persona Filii Dei, cui
per se convenit esse Deum : Sed hic sensus est impro-
prius, ut aperte docet in 3. d. 10. q. 1. a. 2. q. 1. Nec op-
positum innuit hic dum ait, quod terminus in reduplicatio-
ne positus, magis propriè tenetur pro natura, quam pro supposito,
nec enim sumit ly magis propriè comparativè, sed adversa-
tivè, ut in simili diximus t. 2. N. 471. Et in eodem sensu
improprio dixit a. 10. esse falsam istam, Christus, secundum
quod homo, est creatura. Addit præt. S. D. a. 12. quod hæc
prop. Christus, secundum quod homo, est persona, sumptò ly
homo pro humanitate, est vera, si facit hunc sensum : Hu-
manitas in Christo habet esse in aliqua persona, secùs si istum:
Humanitas in Christo habet propriam personalitatem, causatam
ex principiis ipsius humanitatis. Neuter tamen sensus est pro-
prius, & formalis dictæ propositionis, ut optimè ait Illust.
Marinis hic cap. 4.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

415 Opp. 1. cont. 1. & 2. In Christo nihil est creatum
nisi humanitas ; sed hæc est falsa, Christus, secundum quod
homo, est humanitas: ergo etiam, &c. Præt. Nulla prop.
simpliciter falsa ob repugnantiam extermorum, qualis est
ista: Christus est creatura, vel incepit esse, fieri potest vera per
additam reduplicationem; hæc enim, cum sit determinatio
extremi ad extremum, alterum non diminuit, adeoque il-
lorum repugnantiam non tollit : ergo. Tandem: Omnis re-
duplicativa vera verificat suam præjacentem, in quam re-
solvitur ; sed hæc, Christus est creatura (quæ est præjacens,
& prima exponens illius reduplicativæ) non est vera: ergo
nec talis reduplicativa.

416 Ad 1. N. conf. Nam licet Christus non sit humani-
tas, est tamen habens illam, & nomen *creatura* non solum
de abstractis, sed etiam de concretis dicitur. Sic D. Th. a.
10. ad 1. Ad 2. N. maj. Ad prob. N. conf. Imò, quia redu-
plicatio est determinatio, seu partitio, efficiens quod extre-
mum non accipiatur secundum totum, sed secundum ali-
quid

quid ipius; illud diminuit, & ex consequenti tollit repugnantiam repertam in præjacente inter extrema sumpta sine reduplicatione. Itaque reduplicatio non diminuit strictè, seu non tollit significatum termini, sicut ly *pictus*, *mortuus*, *in potentia*, addita homini; diminuit tamen latè, modò dicto: Unde argumentum Scoti procedit fallaciter ab inferiori ad superius negativè; nempè: *Reduplicatio non diminuit strictè: ergo non diminuit.*

417 Ad ult. Dist. maj. Si reduplicatio sit totalis, C. si sit partialis, N. tunc enim ly *inquantum*, habet rationem, non solum particulæ reduplicativæ, sed etiam diminutivæ, ut contingit hic: adeoque præjacens non est quam ponit Scot. Iclicèt, *Christus est creatura*, sed ilta, *Christus secundum humauitatem est creatura*. Solutio est D. Th. hic ad 3. docentis, de quolibet alio homine, præter Christum, rectè inferri esse simpliciter creaturam, si talis sit, quà homo; secùs de Christo: quia quilibet alias homo, cùm sit suppositum solius humanitatis, solum habet esse secundum istam: Christus verò est suppositum etiam Divinitatis, secundum quam habet esse increatum. Quibus innuit, quòd in hac, *Christus, quà homo, est creatura*, ly quà reduplicat diminutivè, secùs in ilta v.g. Petrus, quà homo, est creatura; quæ proinde verificat hanc præjacentem, *Petrus est creatura*: Sed ex prima non infertur ilta, *Christus est creatura*, sed ista, *Christus, secundum humanitatem, est creatura*.

418 Opp. 2. cont. 3. Christus, quà homo, habet gratiam unionis, per quam est Deus: ergo quà homo, est Deus. Præt. Quà homo, dimittunt peccata, juxta illud Matth. 6. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c. Sed dimittere peccata est proprium Dei: ergo quà homo, est Deus. Præt. Christus est homo iste particularis; sed prout talis, est Deus; cùm ly *iste* designet suppositum: ergo. Ad 1. resp. D. Th. quòd ordinari ad esse Deum per gratiam unionis, convenit Christo secundum humanam naturam; at verò esse Deum, convenit ei secundum divinam; nec enim secundum idem convenit alicui moveri ad aliquid, & esse illud; nam moveri

cónvenit alicui ratione materiae, esse antem in actu, ratio-
ne formae. Ad 2. dist. maj. Quà homo, dimitit peccata,
instrumentaliter, C. authoritativè, N. Ad ult. N. conf. nam
licet Christus secundum rem non sit homo communis, sed
iste; in propositione tamen illa, *Christus, quà homo, est Deus,*
non trahitur ex reduplicationis nota ad suppositum, ad
quod trahitur ex pronomine in ista alia, *Christus, quà iste*
homo, est Deus, ideoque ista est vera, illa autem falsa, & sic
accienda est solutio D.Th. a.11. ad 3. ut optimè notat
Cajet.

APPENDIX.

De pertinentibus ad unitatem in Christo.

419 **A**bsolutâ consideratione eorum quæ in Christo unionem sequuntur quantum ad esse & fieri; progreditur D.Th. investigare spectantia ad unitatem in Christo in communi, nam (ut ait S.D.) de pertinentibus *ad unitatem*, *vel pluralitatem in speciali*, *suis locis determinandum est*: sicut supra (q. 8.) determinatum est, quod in Christo non est una tantum scientia. Et infra (q. 35.) determinabitur, quod in Christo non est una tantum nativitas. Differt autem q. 17. 18. & 19. de unitate Christi quantum ad esse, quantum ad velle, & quantum ad operari: In quibus examinandis immorari non licet, sufficiat, illa breviter indicare.

420 Quæstione igitur 17. docet 1. quod Christus est unus, & unum simpliciter & omnibus modis: quia unitas vel pluralitas Christi, non est pensanda secundum naturas, sed secundum supposita; cum ambæ naturæ solùm prædicitur de Christo in concreto, & secundum unitatem quam dicunt suppositi; sed fides docet, Christum esse unum suppositum, & personam maximè unam: ergo. Dùm autem dicitur à PP. quod Christus est aliud, & aliud; sensus est, quod est habens aliam, & aliam naturam. Docet deinde a. 2. quod in Christo est tantum unum esse existentiale, scilicet,

cet, increatum, de existentia enim loquitur hic S.D. non de subsistentia, quoniam esse in Christo unam, jam supra docuerat: ait insuper hic, quod hypostasis est id quod habet esse. Et ad 1. quod personam consequitur esse: ergo esse de quo loquitur, non est subsistentia. *Probat* autem, unam tantum esse in Christo existentiam, quia una tantum est in illo persona, quae est immediatum susceptivum existentiae. *Hinc* apparet, D.Th. supponere, existentiam creatam & ab essentia, & à subsistentia realiter distingui, alioquin locum non haberet praelens quæstio; cum fide certum sit, humanitatem Christi propriam habere essentiam, propriaque existentiâ carere.

421 *Quæstione 18.* resolvit 1. duas esse in Christo voluntates, divinam scilicet, & humanam; quarum primam illi denegarunt Nestoriani, & Photiniani, effutientes, Christum non esse Deum *naturaliter*, sed *participativè* solum, per gratiam: secundam verò inficiati sunt Appollinaristæ, Manichæi, & Monothelitæ, nam Appollinaristæ negarunt Christo animam, Manichæi veram humanitatem, Monothelitæ (quamvis duas in Christo agnoscerent naturas) humanam itamen voluntatem illi inconsequenter negabant. *Nec* audiendus est Vazquez, contendens, Monothelitas non negasse Christo facultatem, seu potentiam voluntatis, ut Scholaſtici cum D.Th. afferunt; sed solam voluntatis operationem, ut se solum ex CC. planè deduxisse gloriatur. Sed quis non miretur, malle ipsum imperitiæ, & in eruditionis Scholaſticos omnes notare, quam hæreticos inconsequentiæ? Et quasi major inconsequentialia non fore, admittere potentiam seu principium proximum operationis, & negare operationem? *Vide* Joan. à S.Th. hic dub. unicō.

422 Ostendit deinde S. D. a. 2. fuisse in Christo appetitum sensitivum, qui *sensualitas* dicitur: pertinet enim ac perfectionem naturæ animalis, inclusæ in humanitate, quam Filius Dei perfectam assumpsit. Notat autem, quod appetitus sensitivus, prout natus est obediens rationi, dici potest *rationalis*, & voluntas per participationem. *Articulô 3.* do-

cet, quod sumptu voluntate pro potentia, est una sola voluntas humana in Christo; si autem sumatur pro actu, duplex est in Christo voluntas, seu duplex est species actuum voluntatis. Et ratio est, quia una potentia sufficit respectu finis, & eorum quae sunt ad finem; actus vero diversus est: fertur quippe voluntas in finem absolutem, tanquam ut in se bonum; in media vero, comparativem ut bona ex ordine ad finem. *Actus voluntatis circa finem, dicitur thelisis, seu, simplex voluntas, & voluntas ut natura.* Circa media vero vocatur bulisis, seu voluntas ut ratio, seu electio. Et hinc infert a. 4. fuisse in Christo liberum arbitrium, cuius actus est electio, juxta dicta i. p. q. 83. a. 3.

423 Articulô 5. docet, quod Christus secundum voluntatem sensualitatis, & rationalem per modum naturae, poterat aliud velle, quam Deus; sed voluntate rationali per modum rationis, seu electivam, semper idem volebat quod Deus: & probat ex illo Christi orantis ad Patrem: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ubi triplex voluntas patet, scilicet, divina in ly tu; humana conformis divinæ, in ly sicut tu, quæ est voluntas per modum rationis; & humana, aliud volens, quam divina, in ly non sicut ego volo. Et haec est voluntas rationalis per modum naturae, repudians mortem absolutem, & voluntas seu appetitus sensualitatis refugiens dolores sensibiles, & corporis laesionem, quæ Deus, ex fine humanæ salutis, volebat Christum pati, &c. ergo. Vide omnino tom. 2. à N. 393. ubi de conformitate humanae voluntatis ad divinam egimus ex professo. Et hinc infert a. 6. nullam in Christo fuisse voluntatum repugnantiam aut contrarietatem subjectivam, & objectivam; haec enim exigit oppositionem in eodem, & secundum idem, quæ non fuit in Christo, ob saepè dicta.

424 Quæstione 19. a. 1. docet contra Eutychianos, & Monothelitas, fuisse in Christo duas operationes, alteram divinitatis, alteram humanitatis. *Tum*, quia utraque in illo habet propriam formam, & virtutem operativam; adeoque propriam operationem. *Tum*, quia alias, vel Christus esset imperfectus, si nimis humanitas in illo propriam non

non haberet operationem; vel facta esset confusio naturarum, si nempè una conflata esset virtus ex divina & humana. Tum demum, quia hæc veritas diffinita est in VI. Synod. Gen. ab act. 2. ad 17. Articulò 2. ostendit S.D.unam tantum fuisse in Christo operationem humanam ex parte principii activi, quod est ratio & voluntas, & à quo actio dicitur humana: unde non loquitur de unitate numerica, aut specifica, aut genetrica operationum; sic enim plures sunt in Christo (sicut in quolibet alio homine) humanæ operationes. Art. 3.& 4. agit S.D. de merito Christi, de quo ex professo Tract. sequenti. Sit igitur

TRACTATUS III.

DE MERITO *Christi.*

425 **P**lura quæ h̄c exagitari solet de Merito Christi, decursū præcedentium Tractatum resoluta manent, ut illius valor, infinitas, hujusque radix, & id genus alia, merito & satisfactioni communia. Illis ergo omissis; & suppositis quæ de Meriti essentiâ & conditionibus ex professo tradidimus t. 3. à N. 542. reliqua, Merito Christi propria, duabus sequent. Disp. differemus. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De existentia Meriti Christi.

DUBIUM UNICUM.

An, & quando Christus meruerit?

426 **P**rima concl. *Christus verè, & propriè meruit.*

Est de Fide ex variis Scrip. locis, quibus redemptio nostra, & exaltatio Christi, ejus Passioni, humiliati, & obedientiæ, ut causæ meritoriae, tribuuntur, ut Is. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longevum,* & Phil. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illud.* Ex Trid. fessl. 6. c. 7. distiniente, Christum fuisse causam meritoriam nostræ justificationis. Constat insuper rat. Omnia quippè ad meritum necessaria, reperiuntur perfectissimè in Christo; omnes enim operationes ejus erant liberæ, honestæ, à subiecto grato, & viatore, & ex promissione Dei, & directione charitatis ad præmium ordinatæ: ergo.

427 Secunda concl. *Christus meruit à primo conceptiōnis instanti, & toto vitæ decursu; secūs post mortem, & in hujus instanti.* Quoad i.p.est D.Th.infrā q.34.a.3.& com.cont. B.Alb.Alenf. D.Bonav. aliosque antiquos. Constat autem ex illo Hebr. 10. *Ingrediens mundum, dixit, hostiam, & oblationem noluisti, &c.* Tunc dixi, ecce venio ut faciam voluntatem tuam; sed operatio Christi, de qua loquitur Apost. fuit meritoria, subjugnit enim: *Quâ voluntate sanctificati sumus:* Fuit insuper elicita in i. instanti; nec enim dixit, *ingressus mundum, sed, ingrediens:* ergo. Quòd si aliquando PP. laudatum testim. explicit de voluntate Dei, de qua dixit Christus, *ut faciam voluntatem tuam Deus,* intelligendi sunt de causa sanctificante primâ, & principali; nullus tamen

men nostram & communem interpretationem impugnat: Immerito igitur illam rejicit Vazquez. *Prob.* deinde hæc p. concl. rat. D. Th. Christus enim fuit sanctificatus in primo instanti, perfectissimō sanctificationis modō, seu more adultorum, & per proprium actum; sed proprius actus liberi arbitrii homini sanctificati est meritorius: ergo.

428 Quoad 2. verò p. est cont. Dur. autumantem, non meruisse Christum totō infantiae tempore, defectu usūs rationis, ob organorum indispositionem; quod malè audit. *Prob.* ergo hæc p. concl. Quia non repugnat, Christum totō vitæ decursu meritum continuaisse, cùm beneficīo scientiæ infusæ habuerit usum rationis independentem à phantasmatibus, adeoque nullō unquam sensuum impedimentō interruptum: ergo potuit sine ullā intermissione varios virtutum meritorios actus elicere: ergo de facto illos sic elicuit, cùm id illius dignitatem, & erga nos charitatem, maximè commendet.

429 Quoad 3. p. etiam est com. cont. nonnullos, & prob. *Tum*, quia post mortem, jam non erat amplius in statu viatoris, de lege ordinaria requisitō ad meritū; quā lege se non fuisse exemptum, indicat ipse Christ. *Joan. 9. dicens:* *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari.* Ubi per diem intelligitur tempus vitæ, per noctem verò, tempus mortis, juxta *Hier. Aug. Chrysost.* aliosque PP. *Tum*, quia aliàs non magis fuisset consummata redemptio nostra per mortem Christi, quā per opera subsequentia; quod est hereticum: ergo. *Et hinc constat ult. p.* quia in instanti physico mortis, Christus non erat viator, cùm enim viventia desinant per primum sui non esse, tunc verum fuit dicere: *Nunc primò non est Christus, ut homo, vivens vitā mortali;* ergo. Unde D. Th. infrā q. 50. a. 6. docet, mortem Christi in facto esse, non fuisse operatam meritorie salutem nostram.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

430 Opp. 1. cont. 1. concl. Merens debet esse liber, & viator; sed Christus non erat liber, cùm esset determinatus
ad

ad unum, scilicet bonum; nec viator, cum esset comprehensor: ergo. *Præt.* Sicut Christus dum viveret, habuit gloriam animæ, & non corporis: ita Sancti qui nunc sunt in gloria; sed isti non merentur gloriam corporis: ergo nec Christus illam meruit. *Præt.* Gloria corporis sequitur necessariò, quasi naturali ordine, ex gloriâ animæ, juxta Aug. sed meritum non est respectu hujus modi: ergo. *Tandem.* Meritum per prius respicit gloriam animæ, quam Christus non meruit: ergo nec aliquid aliud mereri potuit; remotò enim priori, removetur posterius. *Ad 1.* N. min. quoad utramque p. Ad prob. 1. N. conf. Licet enim voluntas Christi esset determinata ad bonum, non tamen ad unum bonum; sed poterat hoc, vel illud bonum facere, & non facere; quod sufficit ad merendum. Sic D. Th. q. præced. a. 4. ad 3. & q. 29. de verit. a. 6. ad 1. Vide t. 2. à N. 167. *Ad prob. 2. p.* N. etiam conf. quia ut docet D. Th. suprà q. 15. a. 10. Licet Christus esset comprehensor, quatenus habebat gloriam animæ: erat tamen simul viator, quatenus tendebat ad beatitudinem corporis.

431 *Ad 2. resp.* D. Th. ibidem, ad 3. & loco laudatō de verit. ad 5. disp. esse, quod nec animæ SS. in Patria sunt passibiles, nec eorum corpora aliquid agunt; anima autem Christi erat passibilis, & per corporis passiones ad illius gloriam tendebat. *Ad 3. R.* cum D. Th. loco de verit. ad 4. majorem esse veram, quando anima est omnimodè glorificata secundum ordinem ad Deum, & secundum ordinem ad corpus: Anima autem Christi non erat sic glorificata, sed solum in ordine ad Deum: secundum autem quod erat forma corporis, passibilis erat. *Ad ult. Resp.* S. D. ibidem ad 7. N. conf. non enim ex defectu Christi contingit, quod gloriam animæ non meruerit. *Nota hic,* quod licet Christus fuerit viator ex speciali privilegio; hoc tamen supposito, non ex illo meruit, ut perperam infert Scotus: Sicut, supposito miraculo unionis hypostaticæ, non miraculosè, sed connaturaliter humanas eliciebat operationes.

432 *Opp. 2. cont. 1. p. 2. concl.* Ad meritum requiritur de-

deliberatio consilii; sed hæc haberi nequit in instanti, consultatio enim mediorum requirit tempus: ergo. *Præt.* Meritum, cùm sit usus liberi arbitrii, est actus voluntatis, & intellectus; sed iste præsupponit actum sensus, qui esse non potuit in primi instanti conceptionis Christi, ob imbecillitatem organorum: ergo. *Præt.* Angelus non potuit peccare seu demererri in primo instanti: ergo nec mereri. *Præt.* Quia aliás Christus nihil postea meruisset; idem enim quod quis semel meretur, fecit quodammodo suum: nemo autem meretur quod suum est. *Tandem:* Actus, quō adultus se ultimò disponit ad justificationem, non est meritorius, cùm non dignificetur à gratia habituali, à qua non procedit: ergo ratio D. Th. assumit falsum.

433 Ad 1. R. cum D. Th. infrà q. 34. a. 2. ad 2. deliberationem consilii non requiri, nisi ob inquisitionem incerti: cùm igitur Christus omnia certò noverit à primo instanti, consiliò non indiguit ad eligendum, & merendum. *Ad 2.* Resp. S. D. ibidem ad 3. quod Christus per scientiam infusam potuit intelligere absque phantasmate; adeoque absque operatione sensus. *Potuit* insuper in primo instanti exercere operationem sensus tactus, quia habuit animam rationalem in corpore formato jam & organizato. *Ad 3.* resp. eādem q. a. 3. ad 1. disp. esse, quia liberum arb. ad bonum se habet per se & naturaliter; ad malum verò, per modum defectus & præter naturam; & hoc est posterius: unde liberum arbitrium naturæ integræ, in primo instanti creationis, moveri potest ad bonum merendo; non autem ad malum, peccando. *Ad 4.* Resp. ex eodem ibidem ad 3. N. sequel. ad prob. N. min. nihil enim prohibet, idem esse alicujus ex diversis causis. Idem ergo quod Christus meruit in primo instanti, meruit posterioribus actibus & passionibus, non quidem ut esset sibi magis debitum, sed ut sibi ex pluribus causis deberetur. *Ad ult. N. ant.* ultima enim dispositio ad justificationem, est meritoria; non quidem gratiæ, sed gloriæ, ut perpetuò docet D. Th. Ad prob. N. ant. ob dicta ex professo t. 3. à N. 521.

434 Opp.3. cont. 3.p. ejusdem Christus nunc in Cælo existens, orat pro nobis ad Patrem, juxta illud Joan.2. *Ad vocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum : & Rom. 8. Christus Jesus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis ;* sed oratio est meritoria, quia est impetratoria; impetratio autem meritum est, juxta illud Aug. epist. 105. Nec remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat : ergo. *Præt.* Christus vulnere láteris, quod post mortem accepit, verè meruit, juxta PP. passim afferentes, ex illo formatam fuisse Ecclesiam, fluxisse vitam, salutem, Sacra menta.

435 Resp.ad 1. N. min.ad prob.N.conf. Meritum enim etiam congruum, ab impetratione distingui, est aperta & cōstans sententia D.Th. docet quippè, perseverantiae donum sub impetratione cadere ; non autem sub merito : orationem peccatoris impetratoriam esse posse, licet non meritoriam: animas beatorum nihil prorsùs mereri ; impetrare tamen sibi beatitudinem corporis, nobis autem, animæ. Aug. verò loquitur de merito largè sumptô, pro quomodo libet conducente ad salutem. Ad 2. N. ant. Ad prob. R. effluxisse quidem memorata à vulnere illo, non tamen meritorie formaliter, sed objectivè, quatenus Christus dum viveret, transfixionem illam, & inde pretiosi sanguinis fluxum liberè acceptavit, Patrique pro nobis obtulit. *Habuit* insuper vulnus illud in Sacra menta, horumque virtutem, influxum figurativum, exemplarem, & effectivum, quam tribuunt PP. & Theologi morti, sepulturæ, & Resurrectioni Domini, erga nostram salutem.

436 Opp. tandem cont. ult.p. ejusdem. Christus meritus est redemtionem morte suâ : ergo. *Præt.* Tandem durat in Martyribus(adeoque in Christo)martyrii meritū quādiu durat martyrium ; at istud completur in primo instanti mortis : ergo & meritum. *Tandem.* Ad meritum sufficit voluntarium in causa ; sed in instanti intrinseco mortis fuit hæc Christo voluntaria in causa, scilicet in morte fieri, sibi liberâ : ergo. Ad 1. R. cum D. Th. infrà q. 50. a. 6. dist. ant. morte suâ in fieri, C. in facto esse, N. Ad 2. N. maj. nec

nec enim esse potest martyrii meritum , nisi vivente martyre , cum non nisi vivens mereatur : Martyrium autem completur , dum verum est dicere , *Martyr occubuit*. Martyrium igitur includit instans mortis , quod martyrii meritum excludit. *Ad ult. dist. maj.* Si adfint reliqua ad meritum exacta, C. Si secùs, N. & concessâ min. N. conf. Nec enim Christus tunc non meruit defectu libertatis ; sed quia jam erat extra viam : Sicut nec beati merentur per actus formaliter liberos.

DISPUTATIO II.

*De Actibus , quibus Christus Dominus
meruit.*

DUBIUM I.

*An , & qualiter meruerit Christus per actum
charitatis?*

437 **P**RIMA concl. est affirm. & com. cont. Vazq. & constat, *tum ex illo Christi Joan. 14. Ut cognoscat mundus quia diligo Parrem , & sicut mandatum dedit Peter, sic facio ; surgite , eamus hinc , nempè , ad passionem.* Quibus eximiæ charitati suæ tribuit , redemptionem nostram , quam proinde illâ promeruit. *Tum , quia nullus actus potest esse meritorius præmii supernaturalis , nisi à charitate imperatus , ut ostendimus t.3. à N. 551.* ergo cùm in Christo alii actus fuerint meritorii ; & ipse charitatis actus, illos imperans , liber & meritorius fuit ; nec enim necessariò illos imperat : & propter quod unumquodque tale , & illud magis. *Præt.* Christo tribuendum est meritum perfectissimum ; sed tale est meritum actus charitatis ,
cum

cum sit specificè præstantius meritô aliarum virtutum: ergo.

438 Secunda concl. Non datur in Christo duplex charitatis actus, alter regulatus scientiâ infusâ, & alter scientiâ beatâ. Est frequentior cont. Scotum, Medinam, Zumelem, aliosque. Et prob. Tales enim actus nec possent distingui solô numerô, quia duo accidentia solô numerô distincta non possunt simul cōpaci in eodem subjecto: nec possent specie invicem differre, cum idem respicerent objectum formale, divinam scilicet bonitatem, ut est in se; diversitas autem cognitionum, insufficiens est ad distinguendos specificè actus charitatis, sicut & alios voluntatis; quia nimis, hujus objectum non est apprehensio, sed bonum apprehensum. Hinc D.Th. 1.2. q. 67. a.2. ait; *Christus non habet pro objecto cognitionem, sic enim non esset eadem in patria; sed habet pro objecto rem cognitam, quæ est eadem, scilicet, ipsum Deum.*

439 Tertia concl. *Christus meruit per ipsum actum charitatis beatificæ, ut terminatum ad divinam bonitatem, quantumvis est ratio diligendi creaturas.* Est frequentior inter Nostrates, quibus adhærent plures ex extraneis. Et prob. rat. fund. Talis enim dilectio, prout sic terminata, est libera: cum enim creaturæ, quantumvis clare videantur, rapere aut necessitare non possint voluntatem; nec bonitas ipsa divina, prout est actu formalis ratio creaturas diligendi: ergo talis dilectio fuit in Christo meritoria. Tenet conseq. nullus enim dilectionem Christi beatificam, inficiatur meritoriam, nisi ex defectu libertatis. Conf. Eadem divina dilectio est simul necessaria, & libera erga suam bonitatem, secundum diversas terminationes: fertur quippe necessariò in illam, ut est in se diligibilis; liberè vero, prout est ratio diligendi creaturas: ergo idem dicendum est de dilectione beatifica animæ Christi, quæ est expressio quædam, & participatio divinæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

440 Opp. 1. cont. 2. concl. ex D.Th. hic a.3. ad 1. docente: *Christum non meruisse per charitatem, inquantum erat*

comprehensoris, sed inquantum erat viatoris: ergo datur in Christo duplex charitatis actus; alter regulatus visione beatâ, conveniens illi ut comprehenfori, quô non meruit; alter regulatus scientiâ infusa, & conveniens ipsi ut viatori, quô meruit. *Præt.* Præfati actus sunt accidentia respectiva: ergo poslunt solô numerô distingui à terminis inspectis, non obstante unitate subjecti. *Possunt* præt. specie distingui præfati actus, respiciunt quippe diversam formaliter bonitatem; nam Deus, ut propositus cognitione infusa, & beatâ, est formaliter objectivè diversus in ratione boni: sicut est in ratione veri, ut objectus prædictis cognitionibus: ruit igitur undique ratio conclusionis.

441 Ad 1. N. cons. Nam D. Th. unicum ibi, & ubique, agnoscit in Christo charitatis actum, necessarium simul, & liberum, sub diversa terminatione, & visione beatâ sub utraque ratione regulatum: asserit autem, illô ut liberô, meruisse dum viveret, secùs modò; quia tunc erat simul viator, nunc autem solum comprehensor; ad meritum autem exigitur status vitae. Ad 2. N. cons. nam accidentia respectiva respiciunt terminum ut formam, à quo proinde desumere nequeunt materialem, seu numericam unitatem, aut distinctionem, sed à solo subjecto, sicut accidentia absoluta. Nec præfati charitatis actus respicerent distinctum terminum, sed eandem bonitatem Dei, per utramque cognitionem illam, propositam. Ad 3. N. triplex ant. ad ultimi prob. N. cons. quia bonitas alicujus objecti consequitur veritatem in illo repertam, sub conceptu communi veri, non autem sub hoc, aut illo conceptu veri, sumpti ex hoc vel illo motivo: adeoque licet ratio veritatis penes motiva varietur; bonitas tamen invariata subsistit. *Profectò* éadem est essentialiter charitas, consequuta lumen fidei, & gloria; tametsi ista essentialiter distinguantur.

442 Opp. 2. cont. 3. Eadem entitas finita nequit esse simul absoluta, & relativa; nec idem actus, justitia, & misericordia: ergo nec eadem dilectio Christi finita, libera, & necessaria. *Præt.* Dilectio divina est simul libera, & necessaria ratione infinitatis: ergo id attribui nequit beatificæ dile-

lectioni Christi finitæ. *Præt.* Dilectionem divinam esse simul necessariam, & liberam, est mysterium divinæ libertatis: ergo. *Tandem:* Habitus charitatis, ut regulatus visio ne beatâ, necessariò operatur omni virtute quâ potest: ergo necessariò operatur amorem Dei, ut est ratio diligendi creaturas, & bona ipsius extrinseca.

443 *R. ad 1. N. conf.* Cùm enim necessitas, & libertas sint accidentia communia actus, convenire possunt eidem actui, & simul, & successivè respectu diversorum. Et sanè idem habitus charitatis est liber in via, & necessarius in patria; quatenus hic in liberam, ibi autem in necessariam inclinat dilectionem: Entitas autem finita, quamlibet habitualis neutiquam esse potest absoluta, & respectiva, justitia, & misericordia. *Ad 2. N. ant.* Quòd enim dilectio divina necessariò feratur erga perfectiones Deo intrinsecas, & liberè, in extrinsecas, & reliquas creature; provenit ex eo, quòd primæ, & non secundæ, necessariam habent connexionem cum Deo. Ratione autem infinitatis habet, quòd identificetur cum voluntate: Unde dilectio beatifica Christi, quæ est participatio divinæ, primum capit, non secundum. *Ad 3. N. ant.* non enim stat in eo mysterium libertatis divinæ, ut ex modò dictis liquet; sed in eo quòd actus fit liber sine defectibilitate intrinseca, & entitativa, ut latè ostendimus t. 1. à N. 486. *Ad ult. Dist. ant.* Necessariò operatur, &c. erga objectum primarium, C. erga secundarium, N.

DUBIUM II.

Utrum Christus meruerit per actus præceptos?

444 **C**oncl. est affirm. & com. Prob. autem. *Tum,* quia & meruit verè acceptando, & obeundo mortem, tibi à Patre præceptam, juxta illud Philipp. 2. *Factus obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum, &c.* *Tum* quia & meruit actibus, ad quos lege æternâ, ac naturali erat adstrictus. *Tum* demùm, quia præfatis actibus nulla defuit meriti conditio, nè libertas quidem, ut

ut vel ex ipsa præcepti ratione convincitur, istud enim libertatem necessariò supponit in eo, cui imponitur; nam frustà præcipitur habenti necessitatem agendi: quapropter igni non præcipitur, ut comburat; cordi, ut moveat; voluntati, ut beatitudinem amet: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

445 Opp. vulgare, sed difficile argumentum. Libertas ad meritum exacta, repugnat Christi impeccabilitati, suprà stabilitæ à N. 324. ergo non fuit liber, adeòqne non meruit in fervandis præceptis. Prob. ant. Liberè obediens, & servans mandata, potest non obedire, & mandata non servare; sed posse non obedire, & mandata non servare, est posse ista transgredi, seu posse peccare: ergo præfata Christi libertas repugnat ejus impeccabilitati. Conf. Potens non ponere actum præceptum, est potens transgredi præceptum positivum actus, istud enim per actus omissionem transgreditur: ergo si Christus potuit non ponere mortem præceptam, potuit transgredi mortis præceptum, seu peccare. Urgetur: Actu non obedire, seu actu non mori, positō moriendi præceptō, esset actu peccare: ergo posse non obedire, seu posse non mori, positō mortis præceptō, est posse peccare.

446 En difficillimum nodum, in quo, dissolvendo vehementer anxiantur Authores; & quidem plures Moderni, dūm extricare illum tentant, implicant potius, adjectis aliis planè indifolubilibus: existimantes enim præceptum officere libertati; quidam cum Lorca, strictum illud fuisse negant: Alii frequentius cum Vazq. & Valen. ad solam mortis substantiam arctant: Alii vero, pendere illud asserunt à libertate Christi, vel quoād impositionem, vel saltēm quoād conservationem, & instantiam; quatenus scilicet, vel illud sibi à Pātre imponi postulavit, ut quibusdam placet; vel impositum liberè acceptavit, ut censet Cabrera; vel demūn quatenus illius dispensationem, aut saltēm commutationem, poterat impetrare, nec voluit, ut Lugo, Hurtado, aliquique tenent: adeòque necessitatē moriendi, ex præcepto ortam, optimè libertati cohærere dicunt, ut potè, con-

consequenter, & ex libera ipsius voluntate pendentem.

447 Sed nullus ex his modis conciliandi Christi libertatem cum ejus impeccabilitate, subsistere potest. Non quidem primus, nam, præterquam quod difficultatem fugit potius quam solvat; repugnare videtur verbis Christi, quibus J. 10.12. & 14. testatur, se à Patre moriendi mandatum accepisse, quod cap. 13. comparat præceptis, quæ ipse Apostolis imposuit: *Si præcepta mea (inquit) servaveritis . . . si-
cūt & ego præcepta Patris mei servavi.* Quæ verba strictè accipienda esse, constat, cùm nullum inde sequatur absurdum, nam læsio libertatis, quam Lorca reformidat, minime infertur; ut vel ipse fateri tenetur, cùm negare non possit, Christum præcepta naturalia strictè talia, liberè servasse. *Accedit,* Quod Christus ex stricta obedientia (proprium supponente præceptum) mortuus est, ut constat, tum ex illo Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum , factus obe-
diens usque ad mortem.* Tum, quia Rom. 5. comparatur Christi obedientia cum inobedientia Adæ, propriè utique tali.

448 Secundus etiam cōciliandi modus rejicitur. *Tum ex illo J. 14. Sicut mandatū dedit mihi Pater, sic facio.* Quò innuitur, non solam operis substantiam, sed & circumstantias fuisse præceptas. Id quod exigit perfectissima obedientia, ex qua Christus mortuus est. *Tum,* quia aliás Christus non meruisset ex eo præcisè quod mortuus est, sed solum ex eo, quod tali modō, tempore, loco, motivō, affectu, mortuus sit; cùm mors Christi non fuerit libera quantum ad substantiam, sed quoad solas circumstantias; sed consequens adversatur Scripturæ, attribuenti præmium redemptionis nostræ, & exaltationis proprii nominis, non circumstantiis, sed ipsi substantiæ mortis, ut constat ex illo Isaïæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam , videbit semen longævum , &c.* & ex illo Philip. 2. *Factus est obediens usque ad mortem , propter quod Deus exaltavit illum.* Tum demum, quia præceptum imponi nequit nisi subditis liberis, nec nisi ad exercendam libertatem injungitur: nulla igitur timenda est libertatis jactura in morte præceptâ: fru-
strâ

strâ proinde à præcepto eximitur.

449 Nec reliqui modi conciliandi stare possunt. Imprimis enim illa præcepti postulatio nullibi Scripturarum, vel PP. invenitur, imò ex Script. constat, Christum ingredientem mundum dixisse: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*: ergo in primo instanti fuit ei imposta lex, non postulata. Qui deinde salvabit hæc sententia libertatem Christi cum præceptis naturalibus, inconsultâ voluntate, utique impositis? Et hinc ruit sententia Cabreræ, Christus enim præcepta naturalia admittere tenebatur. *Inaudita* deinde est præcipiendi forma, quæ non altringat, nisi exploratâ subditi voluntate. *Corruit* inde pariter ultimus conciliandi modus; Christus enim præceptorum naturalium dispensationem petere non poterat. Corruit præt. modus iste: Nec enim potuit Christus efficaciter petere dispensationem mortis, quam per scientiam visionis noverat infallibili Dei decreto præfinitam; id enim otiosum foret, & imprudens. Relictis igitur his & aliis modis conciliandi Christi libertatem cum ejus impeccabilitate,

450 R. ad arg. communi Thomist. solut. N. min. Ad prob. Dilt. maj. Liberè obediens libertate defectibili, potest non obedire, C. liberè obediens libertate indefectibili, potest non obedire, subdist. negative, C. privativè seu contrariè, N. & distingo min. Posse non obedire privativè, seu contrariè, est posse peccare, C. Posse non obedire merè negative, N. min. & conf. Itaque cùm libertas creata, eò sit perfectior, quò indefectibilior, & divinæ conformior, ut ex D.Th. I.p.q.62. a.8.ad 3. alibique ostendimus t.z.à N. 157. ideoque libertas beatorum, & Angeli in primo instanti, potior sit quam nostra: à fortiori libertas Christi in servandis præceptis, major omnium censenda est, ob omnimodam indefectibilitatem, & necessitatem operandi servatō ordine finis.

451 Potuit igitur, supposito præcepto, & in sensu composito illius, diversa eligere, ut mori, & non mori, obedire, & non obedire, sed servatō necessariō ordine finis; adeoque non potuit non mori & non obedire, sumptis

his privative, & ut prohibitis, seu moraliter malis; unde neutiquam potuit inobedire, quia hoc est à defectu & transgressione impræcindibile. Sed solum potuit non mori, & non obedire, sumptis his merè negativè, secundum se, qnoad essentialia, præcisivè à circunitantiis, & in sensu diviso; juxta ea quæ diximus t.i. à 548. Quod si contendas, ly non obedire facere sensum compositum, non minus quam falsificare, frustrare, addere, subtrahere, & hujusmodi; adeòque hanc propositionem, Christus supposito præcepto, potest non obedire, implicare sensum compositum, & consequenter esse falsam simpliciter, & in nullo sensu veram, juxta doctrinam D.Th.q.6. de verit. a.4. ad 8. quam expendimus tom. I. N. 417.

452 Si id, inquam, contendas, R. distinguendo aliter præmissas illas: Liberè obediens, libertate defectibili, potest non obedire, C. maj. libertate indefectibili, N. maj. & concessâ min. N.conf. Libertas enim Christi est prorsùs indefectibilis, & quæ optimè salvatur per posse non mori in sensu diviso, vel potentia antecedenti, seu possibilitatis, respi- ciente non mori, sumptum negativè, præcisivè, & quoad essentialia; nec requirit, imò excludit posse non mori in sensu composito, vel potentia consequenti, seu positionis, respi- ciente non mori privative, contrariè, & conjungendam cum præcepto: nam posse sic non mori, est posse præcep- tum transgredi, seu peccare. His igitur tritis distinctionibus, rectè intellectis, & applicatis, optimè, & unicè salvatur concordia libertatis Christi cum ejus impeccabilitate: sicut eisdem conciliatur efficacia divinorum decretorum, & auxiliorum cum nostra libertate: quantumvis auxilium, decreti executivum, quia nobis intrinsecum & efficax, libertatem causet, applicando voluntatem ut se liberè determinet: præceptum verò, quia purè extrinsecum voluntatem interius non inclinet, sed eam dirigat, & moraliter mo- veat, ut actum præceptum liberè exequatur, & cum potentia ad oppositum. Hinc

453 Ad 1. conf. Dist. ant. Potens non ponere actum præceptum privative, & in sensu composito, est potens trans-

gre-

gredi præceptum de illo, C. Potens non ponere actum præceptum negative, & in sensu diviso, N. Ad 2. conf. N. conf. quæ plures patitur instantias adductas t. I. N. 541. ad 3. & N. 552. Instatur insuper in scientia, & decretō Dei de morte Christi: si enim istam de facto non subiret Christus, suppositō præceptō, falsificaret scientiam, & frustaret decretum de illa: ergo si potest mortem non subire: potest scientiam Dei falsificare, & decretum frustrare? Præt. Antichristum non peccare tempore futurō, esset falsificari scientiam, & revelationem divinam, de futuritione talis peccati, & fidem nostram, quā illud futurum credimus: ergo posse Antichristum non peccare, est posse tria illa falsificari? Demūm (ut sexcenta alia omittamus) voluntatem amantem non amare, esset ponere duo contradictoria: ergo? Defectus autem omnium est, quia fit transitus à sensu composito ad divitum, quia non mori (sicut & alia) peneretur à parte rei cum omnibus circunstantiis, adeòque conjungeretur cum prohibitione, à qua, & ab aliis accidentibus præscindit potentia non moriendi in sensu diviso.

454 Plura quæ cont. solut. arg. & præfatas distinctiones objici hīc solent, plenē soluta habes t. I. à N. 546. usq. ad 560. In statib. præt. cont. illā. Libertas mortis Christi salvari nō potest, quin potuerit Christus conjungere illam, ejusque carentiam cum omnibus essentialiter prærequisitis ex parte actū primi; sed præceptum essentialiter requiritur in Christo ex parte actū primi ad moriendum ex motivo obedientiæ: ergo potuit Christus conjungere carentiam mortis cum præcepto: ergo potuit non mori in sensu composito, adeòque peccare. Prob. min. Actus obedientiæ habet pro motivo formalī præceptum; sed motivum actū, & ejus cognitio, essentialiter prærequiruntur ex parte actū primi ad actum, ut patet in omni actū voluntatis, cuius objecti cognitio essentialiter se tenet ex parte actū primi, & constituit voluntatem proximè expeditam ad elicientiem actū: ergo.

455 Omissis variis solut. R. cum Godoy, & Gonet, qui, bus subscribit in M.S. Sapientiss. Petrus de Matilla, Prima-

rius Salmant.& Regi Catholico à Confessionibus, dist. maj. Cum omnibus essentialiter prærequisitis ex parte actus primi, antecedentibus tamen formaliter, quam virtualiter libertatem mortis, C. præcedētibus solūm formaliter, sed virtualiter, & eminenter subsequentibus libertatem mortis, N. & sic distinctā min. N. cons. Itaque præceptum moriendi in Christo, licet cadat supra motivum obedientiæ, quamvis se teneat ex parte actus primi, & constitutat potentiam proximam obediendi, præcedatque proinde mortem in se ipsa; subsequitur tamen decretum Dei efficax, quō statuit, Christum mortem subire ex motivo obedientiæ; quia prius est quod Deus id velit, quam quod præcipiat; conductit insuper præceptum ad executionem talis decreti: unde quamvis sit connexum cum morte ex motivo obedientiæ, & inconjugibile cum mortis parentia; non propterea lædit libertatem mortis, sed potius illam ædificat, quatenus conductit ad executionem decreti, à quo mors habet libertatem: connotat insuper libertatem, cum habeat pro materia actum liberum. Vide etiam M. Cippulum q. 19. a. 3. à n. 30. & Labat disp. 7. dub. 2. ad 2.

456 Sed instabis 1. Quia inde sequeretur, posse conciliari libertatem actus cum prædeterminatione se tenente ex parte actus primi; hæc enim subsequitur virtualiter, & eminenter actum, cum supponat decretum Dei efficax, à quo oritur; sed cons. adversatur Thomistis: ergo. Secundò. Quia, cum visio beata regulans amorem beatificum, supponat decretum efficax, quō Deus statuit, quod beatus ipsum diligat; posset defendi, amorem illum esse liberum, quod est falsum. Tertio: Non intellectō præcepto, nulla intelligitur in Christo potestas obediendi, cum præceptum sit obediendi motivum: ergo præceptum moriendi ex motivo obedientiæ, constituit potentiam antecedentem, non consequentem: ergo determinatio moriendi ex motivo obedientiæ, orta ex præcepto, non est consequens, sed antecedens; præceptum enim eam potentiam determinat, quam constituit.

457 R. ad 1. N. min. Nec enim asserunt Thomistæ, præde-

determinationem se tenere ex parte actus secundi, tanquam puram applicationem ad illud, quasi hoc sit necessarium ad salvandam actus libertatem; sed quia id verissimum, & juxta evidentissimum est: quod semel habitum, faciliter conciliatur libertas actus cum prædeterminatione; quia ex una p. supponit decretum prædiffiniens actum & causans hujus libertatem; conductus insuper ad talis decreti executionem: & ex alia parte non se tenet ex parte actus primi, in quo differt a præcepto moriendi ex motivo obedientiae. *Ad 2.* N. sequel. Imo, quia visio supponit decretum de amore necessario, ad hujus necessitatem conductus, necesse est; non secundum ac præceptum ad libertatem mortis, quia subsequitur decretum de morte liberè a Christo subeundâ.

458 *Ad 3.* Dicit. cons. Non est consequens, sed antecedens, respectu actus, prout in se ipso formaliter, C. prout virtualiter, & eminenter contenti in sua causa, sive respectu decreti efficacis prædiffiniens actum & causantis ejus libertatem, N. Itaque præceptum, & determinatio orta ex illo, quamvis constituat potentiam antecedentem obedienti, & antecedat actum, prout est formaliter in se ipso; supponit tamen actum prædiffinitum per decretum efficax, & conductus ad executionem hujus decreti, quod est fontalis causa libertatis actus; quam proinde non dirimit, sed potius ædificat.

459 Ut alias replicas fieri solitas facile solvas, memineris *primo*, quod actui essentialiter præcepto non solum privatio opponitur, sed negatio. *Secundo*, quod licet *mors ut præcepta*, objectum sit finitum; connectebatur tamen cum bonitate infinita Dei, quam quia necessariò prosequebatur Christus, etiam mortem ut præceptam. *Tertio*, quod *mors secundum se*, non solum dicit prædicata essentialia, sed etiam exclusionem prædicatorum accidentalium: quemadmodum *natura secundum se*, dicit prædicata essentialia excludingo singularitatem, & quodvis prædicatum extra essentialiam: Unde sicut *natura secundum se* non descendit ad singularia, tametsi prædicata essentialia descendant: sic nec *mors secundum se* integrat hoc complexum, *mors ut præcepta*,

ta, quantumvis prædicata mortis essentialia illud ingrediantur.

460 Quartò, quòd potentia non definit esse realis, tametsi ex aliqua suppositione non reducatur ad actum, ut patet in potentis physicis. Quintò, quòd nec definit esse realis & physica potentia, cuius actus est complicatorius ex tali dumtaxat suppositione, & ab extrinseco. Sextò, quòd supposita præcisione intellectus nostri, considerantis mortem absque formalitate præcepti, mortis omissione est physice, & realiter possibilis. Septimò, quòd conservare unionem sub conditione actionis virtuosæ adimpletivæ præcepti, idem est, ac conservare illam sub libera carentia omissionis illius actionis secundum se, & præcisivè à præcepto; non autem *ut præcepta*. Vide quæ diximus t. I. à N. 546. ad 360.

461 Modus iste conciliandi libertatem & impeccabilitatem Christi, unicè tandem placuit P. Suarez disp. 37. sect. 3. Inconsequenter tamen & gratis omnino ineptam judicat hanc doctrinam, ad conciliandam intrinsecam auxiliorum efficaciam cum libertate actus creati; æquè enim infallibilis est utrobique connexio; párilis incompossibilitas præcepti, & auxilii intrinsecè efficacis, cum mortis, aut actus carentia: adeoque nihil refert, quòd præceptum sit voluntati exrrinsecum, auxilium intrinsecum. Nec assentimur Illust. Marinis, communes laudatas distinctiones hic deserenti; aliamque solutionem adhibenti, quam examinare non vacat: Nec enim relinquenda est Avita doctrina, tametsi à quibusdam pravè accipiatur, & à nonnullis fortè non rectè applicetur.

DISPUTATIO III.

De his quæ Christus sibi & aliis meruit.

DUBIUM UNICUM.

Quid Christus sibi, nobisque meruerit?

Supp. ex dictis suprà à N.78. Christum non potuisse mereri suam incarnationem, hujusque continuationem, & circumstantias illam per se præcedentes, aut concomitantes; meruisse tamen subsequentes. Hoc igitur supposito, sit

462 Prima concl. *Christus meruit sibi gloriam corporis, & nominis exaltationem; gratiam verò habitualem, & beatitudinem animæ, nec meruit, nec ulla tenus mereri potuit in primo instanti habitas.* Prima p. est cont. Calvinum, volentem, nihil Christum sibi meruisse. Et quoàd gloriam corporis (sub qua comprehenditur Resurrectio, Ascensio, impenitibilitas, ac reliquæ dotes gloriose) constat, tum ex illo Hebr. 2. Vidimus Jesum propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum. Et ex illo Lucæ ult. Nonnè hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam: utique corporis, nam quoàd animam, gloriosus fuit ab initio. Quantum verò ad nominis exaltationem (sub qua comprehendimus Regiam Dignitatem, Summum Sacerdotium, Supremi Capitis excellentiam, potestatem judicariam, & id genus) constat ex illo Philipp. 2. Humiliavit semetipsum... Propter quod Deus exaltavit illum, &c. Accedit rat. D. Th. Nobilius enim est habere aliquid per meritum, quam sine illo, nisi quid obstat; nihil autem obstat, quominus Christus præfata ex merito habuerit, cum sint minus, quam dignitas merendi: ergo.

463 Secunda verò p. est com. contra nonnullos antiquos,

quos quibus subscribunt Raynaudus, & quidam RR. Prob. autem unicâ rat. D. Th. hîc a.3. Merens aliquid, debet illô carére pro aliquo tempore , repugnat enim quòd mereatur, quod jam habet , ut ostendimus suprà ex D. Th. à N. 79. Sed carentia gratiæ, gloriæ animæ , & hujusmodi pro aliquo tempore, magis præjudicat dignitati & perfectioni Christi , quàm per meritum accrescat : ergo. *Conf.* Habens præfata dona per meritum , differt ab habente illa fine merito , in solô modô habendi illa ; habens autem illa, differt à non habente , in ipsis donis : ergo dignius, & perfectius est, habere semper illa, & ante omne meritum , quàm habere illa per meritum , & aliquando illis caruisse : non igitur meruit illa Christus , cui tribuendum, quod dignius, & perfectius est.

464 Hinc habes (ut Cajet. appositè notat) quòd Ang. D. monstrare volens, quænam dona potuerit , vel non potuerit Christus mereri ; accepit hinc modum habendi (scilicet, per meritum, vel sine merito ;) & inde, bonum, quod haberi debet: & appendit utrumque in statera cum opposito ejus: Posuit enim in una parte modum habendi per meritum , cum absentia quandoque boni ; & in altera, coævam præsentiam boni , cum non merito : Et librando cuncta , quia invénit, modum habendi per meritum cum absentia exteriorum bonorum, meliorem esse , quàm præsentiam eorundem sine merito ; conclusit , fuisse in Christo meritum exteriorum bonorum. Et quia invénit , præsentiam interiorum bonorum cum non merito eorum, meliorem fore ; quàm meritum eorundem , exigens eorum absentiam , conclusit , interiora bona fuisse in Christo sine merito.

465 Tertia denique p. defenditur à Medina , Cabr. Naz. J. à S.Th. Conten. aliisque, contra plures alios , quibus adhærent Cipp. Godoy, & Gonet. Omnes tamen supponunt , potuisse Christum mereri præfata dona , si ab initio i lis caruisset, ut potuit ; tunc enim operationes ejus essent infiniti valoris meritorii , ob gratiam unionis. Hoc igitur supposito , & omissis variis rat. quibus hæc p. probari

ri solet, quia facilè solvi possunt: Prob. unicè ex supra laudata D. Th. doctrinâ: Ad meritum enim necessariò requiritur in subjecto merente carentia rei promerendæ, adeò, ut non possit esse, quòd aliquis mereatur quod jam habet, ut concludit D. Th. q. 29. de verit. a. 6. ergo repugnat planè mereri Christum præfata dona ab initio habita.

466 *Vrguetur*: D. Th. probat ibi, neutiquam potuisse Christum mereri unionem hypostaticam, quia repugnat, mereri quempiam quod jam habet, ut videre est supra N. 78. ergo idem propter idem dicendum de præfatis donis ab initio conceptionis habitis. *Et hinc habes*, quod sicut híc a. 3. loquendo de facto, asserit, quòd nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec divinitatem meruit; ita locô laudatô de verit. loquendo de potentia absoluta, adducit rationem æquè probantem de unione hypostatica, ac de quibusvis donis initio habitis. *Et hinc iterùm habes*, quòd licet opposita tententia non adverteretur D. Th. híc, utpotè loquenti de facto, ut optimè reponit Gonet cont. Conten. adversantur tamen Litteræ D. Th. q. 29. de verit. a. 6. cuius neuter Doctor ille meminit, ubi apertè loquitur de potentia absoluta.

467 Secunda concl. *Christus meruit nobis omnes nostræ prædestinationis effectus*. Constat ex dictis de Prædest. t. 1. & de Gratia capitali supra à N. 224. Cùm enim *Christus Jesus* (ut loquitur Trident. sess. 16. c. 6.) *tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in justificatos virtutem influat*: Cùm sit universale principium in genere habentium gratiam, ut ex D. Th. diximus; fit inde, ipsum omnia bona supernaturalia nobis promeruisse, cùm nihil influat quod morte suâ non meruerit. *Constat insuper ex illo Ephel. 1. Qui benedixit nos omni benedictione in cælestibus in Christo*, id est, per merita ipsius.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

468 Opp. 1. cont. 1. p. 1. concl. ex Calv. *Christus nec venit, nec mortuus est propter se, sed propter nos*: ergo non sibi, sed nobis tantum meruit. *Præt. Can. 19. C. Ephes. anathematizantur asserentes, Christum obtulisse se ipsum obla-*

oblationem pro se: ergo. *Tandem.* Gloria corporis, & nominis exaltatio, erant Christo debitæ ratione unionis: ergo. *Ad 1.* N. conf. Quemadmodum licet Angelis dona accidentalia promeruerit; non dicitur tamen incarnatus, aut mortuus pro illis; quia nimis, modus iste loquendi denotat primum, & præcipuum motivum adventi, passionis, & mortis ejus, quod fuit salus, & redemptio nostra. Recole dicta N. 242. *Ad 2.* R. ibi tantum damnari dicentes, Christum se ipsum obtulisse pro expiandis propriis peccatis, ut liquet ex littera. *Ad ult.* N. conf. nam ita quamoptimè, gloriam corporis fuisse Christo debitam duplii titulō, nempè, connaturalitatis, & meriti.

469 Opp. 2. cont. 2.p. ejusdem, ex D. Th. infrà q. 34.a. 3. docente, Christum fuisse sanctificatum in primo instanti, sanctificatione adulorum, nempè, secundum proprium motum liberi arbitrii in Deum; qui *motus liberi arbitrii* (subdit) est meritorius: ergo meruit saltēm gloriam animæ. *Præt.* Quodlibetō 9. a. 8. docet, Angelum in primo instanti fuisse beatum, & beatitudinem meruisse: *Quia* (inquit) *in his quæ subito fiunt, simul tempore est fieri, & factum esse:* ergo ruit ratio concl. *Tandem.* Ad rationem meriti non exigitur realis carentia rei promerendæ: ergo corruit etiam hinc ratio concl. *Prob.* ant. nam juxta communem sententiam charitatis intensior existit simul tempore cum augmento quod meretur: ergo.

470 Mirum est, quantum in solvendo primo arg. insudient Authores, ut videre licet apud Godoy, & alios in praesenti. Quorum solutionibus omissis, facillimè & juxta verissimè R. concessò ant. N. conf. Motus enim liberi arbitrii in Deum, quō ad justificationem disponuntur adulti, meritorius quidem est gloriæ in puris hominibus; non tamen gratiæ, ut perpetuo docet D. Th. Sed in Christo solius gloriæ corporis, *ad quam per passionem pervenit*, ut expressè docet S. D. infrà q. 34. a. 4. ad 1. ob doctrinam hic traditam, quam ibidem allegat. Ad quid ergo tot solutiones, difficultatibus inextricabilibus involutæ?

471 Ad 2. omissâ solut. M. Med. asserentis, retractasse
S.

S.D. 1.p. q.62. a.4. feudentiam illam, R. cum Ferrar. Bergom. Ban. & aliis, idem utrobiusque expressè docere D. Th. nimirūm, Angelos in gratia conditos fuisse, & in ea perseverantes, meruisse beatitudinem, quam deinde adepti sunt. Verbis autem objectis, docet expressè, quod ex tribus modis, quibus opposita sententia tunc temporis à quibusdam defendatur; eō solo (contento scilicet in prædictis verbis) sustineri posset. *Ad ult.* omissis variis solut. planè insubstantialibus, dist. ant. Non requiritur realis carentia, &c. respectivè ad *actum meritorium*, C. id enim evincitur exemplò in probationem adducto. Respectivè ad *subjectum merens*, N. ant. & cons. Solutio constat ex ratione D. Th. suprà laudatâ, quâ rectè perpensâ, omnia quæ cont. hanc p. & sequentem objici possent, penitus evanescunt. Nec aliunde tot. hic iurgia emanasse crediderim, quām ex illius, aut omissione, aut non penetratione, & in alias apertè inefficaces diversione.

472 Opp. 3. cont. 2. concl. Quia aliás ex justitia, & non gratis justificaremur, cont. illud Rom. 3. *Justificati gratis, &c.* & injustè ageret Deus cum eis quos non salvat; quod est blasphemum: ergo. *Præt.* Justificatio nostra tribuitur Resurrectioni Christi Rom. 4. *Resurrexit* (inquit) propter justificationem nostram; sed Resurrectio Christi non fuit meritoria, cùm Christus post mortem non meruerit: ergo. *Præt.* Christus solum venit recuperare ea, quæ Protopatens sibi, & nobis amisit; sed ille non amisit fidem & spem: ergo has Christus non meruit. *Præt.* Si Christus non venisset, adhuc conferret Deus liberaliter hominibus auxilia sufficientia ad salutem: ergo sic illa nobis confert, & non ex Christi meritis. *Præt.* Christus non meruit bona supernaturalia collata Antiquis PP. cùm planè repugnet, quod meritum subsequatur tempore effectum: ergo. Tandem: Applicatio meritorum Christi per Sacra menta, est quoddam spirituale donum; sed confertur gratis, & non ex justitia, ut docet D. Th. hic a.4. ad 3. & q. 29. de verit. a.7. ad 13. ergo.

473 *Ad 1. Dist. ant.* Ex justitia, & non gratis justificare-

remur, respectivè ad Christi merita, C. comparativè ad nostra, N. Justificamur enim gratis, vel absque ulla propriis meritis; non tamen absque meritis Christi. *Ad 2.* Dist. maj. Tribuitur resurrectioni, tanquam causæ exemplari, C. tanquam meritoria, N. Sic D. Th. ibidem, & infrà q. 56. a. 1. ad 4. *Ad 3.* Dist. min. Non amisit fidem & spem, sibi, C. Nobis, N. peccando enim illas nobis amisit; sicut & reliqua dona gratiæ, quæ in nos transfudisset, si non peccasset. Prosper autem, & Fulgentius, aliqui PP. infidelitatem Adæ tribuentes, piè interpretandi sunt de infidelitate, non quidem oppositâ fidei, sed fidelitati, quam tenemur servare Deo in observantia mandatorum.

474 *Ad 4.* N. conf. quia in hac providentia decrevit Deus præfata dona nobis conferre ex meritis Christi; quod non foret in illa hypothesi. Et instatur argumentum: nam auxilia sufficiencia in electis, sunt de facto effectus suæ prædestinationis; quod non forent, si illi prædestinati non essent, tametsi tunc illa reciperent. *Ad 5.* patet ex dictis à N. 81. & à N. 96. *Ad ult.* (quo instari potest solutio ad 1.) Dist. min. confertur gratis, & non ex justitia, respectu ipsius cui confertur, C. respectu Christi merentis, N. Nec oppositum alicubi docuit D. Th. sed ubique affirmat, meritum Christi sufficenter operari salutem nostram, ut universalem causam, quam oportet singulis applicari per Sacramenta, & fidem formatam. Et ideo (subdit loco laudato de verit. ad 8.) requiritur aliquid aliud ad salutem nostram, *præter meritum Christi*, cuius tamen meritum Christi est causa. Quid apertius? Itaque Christus non solum meruit generaliter omnibus salutem, & vitam æternam; sed etiam meruit efficacem sui meriti his præ aliis applicationem.

DISPUTATIO APPENDIX.

De Adoptione Christi.

475 Consideratis quæstione 19. pertinentibus ad unitatem Christi , quantum ad operationem ; agit consequentet S. D. tribus sequentibus , de convenientibus Christo per comparationem ad Patrem , nempe , de illius servitute , seu subjectione ad Patrem , oratione , & Sacerdotio . Et resolvit , Christum , quâ hominem , verè fuisse Patri subjectum , secundum bonitatem , servitutem (non quidem legalem , ex peccato ortam , sed naturalem) & obedientiam . Verè pro nobis , & pro se orasse , omnemque ejus orationem ab absoluta ipsius voluntate procedentem , exauditam fuisse : Demùm , fuisse Sacerdotem simulque Legislatorem , & Regem ; illi tamen non competere , effectum sui Sacerdotii recipere ; cum per semetipsum ad Deum accesserit , ut dicitur Hebr. 7. Quæ omnia aperta sunt in Littera .

476 Ad intelligentiam autem eorum , quæ circa prædicta disputant Commentatores , scito primùm , non esse absolutè , & absque ullo addito concedendum , Christum esse Patri subjectum , obedientem , illius servum , illò minorem , & inferiorem . Ob eandem rationem , quâ suprà à N. 400. diximus , non esse absolutè concedendum , Christum esse creaturam . Nec unquam in Script. hujusmodi prædicata tribuuntur Christo , absque determinatione (saltē implicata) humanitatis . Dùm enim non apponitur , apertè tamen innotescit ex contextu . Scito deinde ex S.D. in 4.d. 1.q. 4. a.6. qq.2. cui frequenter subscribitur cont. Med. Vazq. & quosdam alios , Christum , quâ hominem , pro nobis nunc in Cœlo orare , non modò tacitè , & interpretativè , sed etiam expressè , juxta illud J. 14. Rogabo Patrem , & alium Paracletum dabit vobis . Nec obstat , quod Ecclesia nunquam Christum

stum orat ut pro nobis Patrem interpellet, sed semper ut ipse exaudiatur nos, misereatur nostri, &c. Id enim præstat, tum ad vitandum errorem Arrii, & Nestorii. Tum, quia oratio simpliciter dicitur ad personam, cuius non est petere, sed donare. Sic D. Th. in 1. Joan. 2.

477 Scito præt. ex D. Th. q. 22. a. 6. quod Christus non dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech quasi principalioris Sacerdotis, sed quasi præfigurantis excellentiā Sacerdotii Christi ad Sacerdotium Leviticum. *Scito* demum, Sacerdotium Christi expressius quidem repræsentatum fuisse per legale, quantum ad oblationem per sanguinis effusionem; per Sacerdotium vero Melchisedech, quantum ad participationem, & effectum (in quo præcipue attenditur excellentia Sacerdotii Christi ad legale) nam Melchisedech obtulit panem, & vinum, significantia ecclesiasticam unitatem, quam constituit participatio sacrificii Christi, quod communicatur fidelibus sub specie panis, & vini. *Quæstione 23. & 24.* differit S.D. de adoptione, & predestinatione Christi. Ad quorum elucidationem sit

DUBIUM UNICUM.

Utrum Christus, quæ homo, dici possit Filius Dei adoptivus?

478 **C**oncl. est neg. & com. cont. Dur. & Scot.

quorum opinio pessimè apud Theologos audit, tametsi illos excusent, eo quod Concilium Francofordiense (à quo proscripta videtur, ut infra apparebit) injuriā Hæreticorum latuit usque ad tempora Laurentii Surii, à quo repertum est. Et ex tunc, Ecclesiæ Synodis à Sede Apostolica adnumeratum. Prob. autem concl. 1. ex laudato Conc. sœpè damnante, cont. Elipandum Episc. Toletanum, & Felicem Urgelitanum, adoptionem Jesu Christi secundum carnem, seu humanitatem, qui est sensus ipsius Durandi, & Scoti, asserentium, Christum ratione hu-

humanitatis, vel secundum humanitatem, esse Filium Dei adoptivum.

479 Imprimis enim in Epistola Adriani Papæ, Actibus illius C. insertâ, sic legitur: *Materia autem causalis perfidiae, inter cetera rejicienda, de adoptione Jesu Christi Filii Dei secundum carnem: Hoc catholica Ecclesia nunquam credit, nunquam docuit, nunquam male credentibus assensum præbuit.* Quibus apertè damnatur adoptio Fili Dei secundum carnem. *Deinde in libro Sacrosyllabo, in iisdem Actibus contento, sic habetur: Petrus confessus est Christum verum Filium Dei vivi, & tu hereticè dicas, Christus adoptivus Filius est? Fingeres forsitan, & diceres, secundum divinitatem eum filium Dei confessus est: Sed quoniam cum additamento dixerat: Tu es Christus Filius Dei vivi, omnium hereticorum ora, fidei suæ pugno, attribuit; Christi namque nomen ab homine, quem assumpit, accepit.* Quibus expresse docet, quod nec secundum humanitatem, dici potest Filius adoptivus. Atque ut omnem præcluderet evasione, adjicit: *De Beata Virgine inenarrabiliter sumpit, non adoptavit carnem.* Quid apertius?

480 Præt. In Ep. ejusdem C. ad Episc. Hispaniæ, ad ductâ differentiâ, quam inter Christum, & nos posuit Aug. quod scilicet, Christus erat Filius unicus; in nobis vero filius adoptatus est, sic ait de Elipando: *Quam adoptionem pravissimò sensu . . . ad Christi voluit transferre humanitatem.* Tandem in eadem Ep. sic legitur: *Hoc quod Joannes dixit, vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, contra adoptionem carnis fecit.* Si verba Evangelii faciunt contra adoptionem carnis, adoptio carnis in Christo, contra Evangelium est, juxta mentem Concilii. Et hinc habes cont. Gabr. Major. & Almain. Quod nec dici potest, humanitas Christi adoptata, tametsi non dicatur filia: Concilium enim adoptionem carnis, seu humanitatis Christi obsoletè damnat verbis laudatis, quidquid dicat Suarez.

181 Prob. deinde rat. deductâ ex laud. C. Beatissima Virgo Maria est Mater Dei naturalis; sed non est Mater Filii Dei naturalis secundum divinitatem: ergo secundum hu-

manitatem: ergo Filius Virginis etiam ut genitus à Virgine, est Filius naturalis: ergo secundum humanitatem Christus est Filius Dei naturalis, quia secundum humanitatem est Filius Virginis: ergo secundum humanitatem non est Filius adoptivus. Tenet hæc conseq. ex triplici opposita proprietate utriusque filiationis; *naturalis* enim habetur per natum; est vera, & propria; & talis per se, seu essentialiter: *adoptiva* verò habetur per solum affectum seu amorem: est abutivè talis; & quædam similitudo filiationis naturalis: ergo si Christus, quæ homo, est Filius Dei naturalis, nequit esse filius adoptivus. Profectò, si Christus simul esset Filius Dei naturalis, & adoptivus, duplex esset in eo persona, quarum una adoptionem, altera generationem terminaret. Unde laud. C. ait, quod unitas personæ, quæ est in Dei Filio, & Filio Virginis, adoptionis tollit injuriam, quippe adoptio est gratuita assumptio personæ ad hereditatem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

482 Opp. 1. authoritatem Hilarii, aliorumque PP. asserentium Christum esse Filium Dei adoptivum: ergo. Præt. Dignus est esse Filium adoptivum, quam servum; sed Christus, quæ homo, est servus: ergo. Præt. Christus potuit adoptari ab alio homine: ergo & à Deo. Ad 1. R. cum D.Th. hic q.23. a.4. ad 1. quod sicut filiatio non propriè convenit naturæ, ita nec adoptio: & ideo cum à PP. dicitur humanitatem Christi adoptari, impropria est locutio, sumitur enim adoptio pro unione humanitatis ad Personam Filii. Ad 2. resp. S.D. ibidem ad 3. disp. esse, quod servitus, & subjectio ad Deum, non solum respicit personam, sed etiam naturam, secùs filiatio. Ad ult. N. ant. *adoptivus* enim dicitur, cui nihil à Patre adoptante debetur, ut legitur in laud. Sacrosyllabo, adeoque Christus, cui etiam ut homini omnia debemus titulô redemptionis, à nullo homine adoptari potuit.

483 Opp. 2. In Christo est gratia habitualis; sed hæc est forma constituenta filium adoptivum: ergo. Præt. Christus, quæ homo, est creatura rationalis; sed omnis creatura rationalis est capax adoptionis: ergo. Ad 1. datò quod fi-

filiatio esset effectus formalis gratiæ habitualis , esset secundarius ; adeòque posset ab ista separari , ob incapacitatem subjecti . Sed reverà cùm filiatio sit relatio , non potest esse effectus formalis gratiæ , quæ est qualitas : gratia igitur habitualis solum est fundamentum filiationis adoptivæ , & non utcumque , sed ut gratiæ data ; adeoque nequit illam fundare in Christo , cui erat debita . Vide suprà N. 188 . Ad 2 . R. quòd *creatura* significat aliquid quod potest convenire supposito , vel naturæ ; & sufficit quòd conveniat naturæ , ut cum hujus reduplicatione prædicetur de toto , juxta dicta N. 412 . Filiatio verò adoptiva soli supposito potest convenire , adeòque nequit convenire Christo etiam reduplicata humanitate . Ac de tractatu V. hæc dicta sint fatis .

TRACTATUS VI.

DE SACRAMENTIS *generatim.*

Aq. 60. & 63. 3. P.

484

LUstravimus hucusquè Dominicæ Incarnationis Mysterium , & ipsum consequentia , pressis interruptè D. Th. vestigiis à q. 1. ad 26 . Sed modò ipsa suscepti à nobis laboris ratio cogit missa facere , quæ de Salvatoris nostri ingressu in Mundum , progressu in illo , egressu ab eo , deque ipsius exaltatione post mortem , ad miraculum differit S.D. à q. 27. ad 59. spectant enim ad Theologiam expositivam , cuius selectiora capita , Deo adjuvante , enucleare tentabimus , absolutō hōc Opere . Gradum igitur faciamus oportet ad contemplanda Ecclesiæ Sacra menta , ab ipso Verbo incarnato efficaciam habentia , per qua

Ferrer Epit. Tom. IV.

Q

om.

omnis vera iustitia vel incipit , vel cæpta augetur , vel amissa reparatur , ut ait Trident . & quæ idem Ang . D . in Prologo lib . 4 . Sent . Dominicæ Incarnationis reliquias eleganter appellavit . Mirum porrò ejusdem ordinem æmulantes , de Sacramentis generatim primùm differemus præsenti Tractatu , illorum quidditatem , necessitatem , effectus , causas , & numerum rimantes . Illa deinde sequentibus singulatim ex pendemus . Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Essentia , & necessitate Sacramen- torum.

DUBIUM I.

Quid sit Sacramentum?

485 **S**acramentum à Sacro deriyatum , varias sortitur acceptiones . Sumptum fuit olim apud Ethnicos , teste Varrone , pro pignore à litigantibus de positō in loco sacro , ut illo privaretur in favorem Ærarii , qui causâ caderet . sumitur deinde tām à Sacris , quām prophanicis Scriptoribus pro jurejurando , seu juramento , ut ex utroque Jure liquet . In Scripturis autem frequenter usurpatur pro re facra aditā , atque occultā , ita ut *Sacramentum* idem sit ac *Sacrum secretum* , quod Græci *Mysterium* vocant . Sic sumitur Sap . 2 . dūm dicitur : *Nescierunt Sacra-
menta Dei* . In illo Ephes . 1 . *Ut notum faceret nobis Sacra-
mentum voluntatis suæ* . Et 1 . ad Timoth . 3 . *Magnum pietatis Sa-
cramentum* . Et hinc jurè Tertul . Laçtan . Cypr . Ambr . Hier . Aug . aliquique PP . benè latini , nomen illud usurpant pro signis sensibilibus , quæ gratiam , quam operantur , ostendunt . Et in hoc sensu (totius Ecclesiæ usu , & reverentiâ

con-

consecratō, quidquid Lutherani, & Calvinistæ bláterent) loquimur in præsentia. Hoc prælibato, sit.

486 Concl. Sacramentum sic acceptum, est : *Signum rei sacrae sanctificantis homines.* Sic communiter Theologi, ex D. Th. q. 60. a. 2. Et constat ex Trident. sess. 13. can. 3. ubi dicitur, omne Sacramentum esse symbolum rei sacrae, & invisibilis gratiæ visibilem formam. Et ad hanc distinctionem reducuntur omnes aliæ à PP. & Theologis adductæ, demptis particulis, quæ illas ad sola Novæ legis Sacraenta determinant. Nomine signi intelligitur signum sensibile ad placitum, practicum, à Deo authore gratiæ in Ecclesia permanenter institutum. Nomine verò rei sacrae, &c. non intelligitur sanctitas imperfecta, & legalis (aliás innumera forent Sacraenta, possebantque ab Ecclesia institui;) sed intelligitur gratia habitualis, in actuali usu Sacramenti non ponentibus obicem danda, sive immediate à Deo (ut in veteribus) sive mediò ipso Sacramentō, ad eam effectivè instrumentaliter concurrente, ut in nostris.

487 Ex dictis colliges 1. sacrificia veteris Legis *Sacra-menta* non fuisse, tametsi gratiam à Christo donandam præ-signarent; quia nimirūm, non significabant illam, quæ in ipso usu Sacramenti confertur; Sacraenta autem à Deo instituta sunt, ut in illorum usu homines sanctificantur. Secundū, Sacraenta utriusque Legis univocè convenire in ratione signi gratiæ; secùs in ratione *causa* illius. Et sic accipiendus est D. Th. dum illa, jam analogicè, jam univocè convenire affirmat. Tertiū, Sacraenta ut sic, tria significare, nimirūm, passionem Christi, gratiam, & gloriam: id quod ostendit D. Th. a. 3. Sacramentum enim ordinatur ad nostram sanctificationem, in qua tria possunt considerari, videlicet, *causa*, quæ est passio Christi, *forma*, quæ est gratia, & *ultimus finis*, qui est gloria: ergo est signum horum trium. Et hinc infert S. D. Sacramentum novæ Legis, ratione primi, dici signum *rememorativum*: ratione secundi, *demonstrativum*: ratione tertii, *prognosticum*. Et signanter de Eucharistia canit ex ipso Ecclesia: Recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futura gloria nobis pignus da-

datur. En quām paucis occurri potest plurimis quæstionibus, inutiliter à Commentatoribus fusè, & juxta importunè exagitatis, ut occurrēdo objectis constabit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

488 Opp. 1. Sacramentum non est ens rationis: ergo nec signum ad placitum, quod tale est. Præt. De ratione signi practici est, esse operativum sui significati: in idem enim recurrent *practicum*, & *operativum*: sicut *praxis*, & *opus*; sed non est de ratione Sacramenti esse operativum sui significati, seu gratiæ, ut patet in Sacramentis Legis Veteris: ergo. Urgetur: Sacraenta antiqua non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse, figurabant, ut ait C. Florent. in Decreto Unionis: ergo hoc sufficit ad rationem Sacramenti. Ad 1.N. conf. & supp. consequentis; signum enim, & quodvis aliud concretum supponit pro materiali; unde propositiones illæ: *Signum ad placitum est ens rationis* : : *Sacramentum est ens rationis*, sunt absolute falsæ, & solum sunt concedendæ cum addito *de formalis*, quod non inconvenit.

489 Ad 2.Dist.maj. Esse operativum, quasi efficienter & physicè, N. quasi significative moraliter, C. Ad rationem quippè signi practici, sufficit esse operativum ex fine, *practicum* enim dicitur differre *fine à speculativo*, seu habere pro fine opus; non autem esse causam effectivam ejus: Sacraenta autem habent pro fine opus, scilicet, sanctificationem nostram; sed efficere istam, pertinet ad excellētissima signa practica, seu Sacraenta Novæ Legis, juxta inferiùs dicenda. Sanè Institutio Sacramentorum non intendit solam repræsentationem, sed utentium sanctificationem: unde nec illa habent pro fine cognitionem, sed opus; atque adeò non sunt speculativa, sed practica, quantumvis sanctificationem non omnia efficiant: Quemadmodū intellectus evadit practicus, quamvis non sit rei factivus, sed solum directivus. Ad conf. R. Concilium ibi solum assignare discrimen inter Nova, & Vetera Sacraenta, penes causalitatem gratiæ; sed non afferit, quod in usu Veterum non dabatur gratia; Verè utique dabatur ex meritis Christi

venturi , à quibus tanquam fine pendebat gratia illa tunc collata : Unde ly *solum* non excludit à veteribus Sacramentis talis gratiæ præsentiam , sed vim effectivam.

490 Opp. 2. & instabis cont. solut. 2. Imagines Sacræ , & Conciones excitant ad devotionem , & sanctitatem , adeoque habent pro fine sanctificationem . *Serpens etiam Aeneus* in lege veteri , quem qui aspiciebat sanabatur , habebat pro fine opus ; sed hæc signa practica non sunt : ergo ad hujus rationem requiritur ulterius , efficere quod significat , quod non omnibus convenit Sacramentis : ergo . *Dist. maj.* habent pro fine opus , quasi passivè , & ut quid assumptum pro medio ad finem , C. quasi activè , & directivè , N. & concessâ min. N. cons. Itaque habere pro fine opus primô modō , non sufficit ad rationem signi practici , sed secundō ; quia practicum intellectus (à quo derivatur practicum signi) non respicit finem , ut directum ad illum ; sed ut dirigens , & ordinans . Vide J. à S. Th. disp. 22. a. 1.

491 Opp. 3. Character baptismatis , Corpus Christi in Eucharistia , & contritio in pœnitentia , sunt res & Sacramentum simul ; sed non sunt aliquid sensibile : ergo id non requiritur ad Sacramentum . *Præt.* Signum illud sensibile protestativum fidei , per parentes parvulis ab originali mundandis applicatum , erat Sacramentum ; sed non erat permanenter institutum , cùm quilibet uteretur illo pro libito : ergo . *Tandem:* Stabilitas non est de ratione sacrificii , ut patet in sacrificio Christi in Cruce : ergo nec de ratione Sacramenti . *Ad 1. R. ex D. Th. a. 4. ad 1. Dist. min.* Non sunt aliquid sensibile , per se , C. per aliud , N. nam Character innotescit per ablutionem , Christus per species , contritio per confessionem . *Ad 2. Dist. min.* Non erat stabiliter institutum , prout erat præcisè protestatio fidei Mediatoris , N. ut sic , vel sic facta , C. *Ad ult. N. ant.* Ad prob. R. Sacrificium Christi adhuc permanere , quamvis diverso modō , nempè incruentè ; nam Sacrificium Missæ , idem est cum Sacrificio Crucis , quoad rem oblatam . *Verba autem Christi remittentia Magdalenæ , Paralitici , aliorumque peccata , Sacra menta non fuerunt , defectu stabilis institutionis.*

DUBIUM II.

Utrum omnia Sacra menta Novæ Legis constent rebus, & verbis, tanquam materia, & forma; & ut intrinsecis, & essentialibus?

492 **C**onsultò inquirimus de solis Sacramentis Novæ Legis, quia pro veteribus nullam legimus institutam fuisse verborum formulam; sed si quæ verba in illorum ritibus adhibebantur, erant ad divinum cultum spectantia, aut in gratiarum actionem, vel benedictionem, aut deprecationem: Nec mirum, congruebat enim statū illius obscuritati obscura Sacramentorum umbraticorum significatio, quam res ingerunt; verba siquidem, ut potè clarius, & expressius significantia, Sacramentis Evangelicis reservabantur. Vide D.Th.a.6.ad 3. Hoc igitur prænotató,

493 Concl. est affirm. Et quoad 1.p.est com. cont. Scotum, excipientem Eucharistiam. Constat autem ex Florent. in Decreto Eugenii, affirmante, cuncta Novæ Legis Sacra menta tribus perfici; rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri verba proferentis. Accedit rat. D.Th. Id enim quod est determinabile per aliud, habet rationem materiæ; id autem quod determinat, & perficit, rationem formæ; sed res quæ in Sacramentis assumentur, sunt indifferentes ad plura significanda, & operanda; per verba autem determinantur ad significationem sacramentalem; aqua enim baptismi, ex se indifferens ad significandam ablutionem, vel refrigerationem, determinatur per illa verba, *Ego te baptizo*, ad significandam emunerationem spiritualem: ergo.

494 Quoad 2.verò est frequentior cont. Vazq. & quosdam alios, quibus ex nostris adhærent Gonet, & Contenson, excipientes Eucharistiam, & docentes, illam *verbis* intrinsecè non constare, seu constitui. Et cont. M. Cabr. idem do-

docentem quoād alia Sacra menta , & immeritō asseren-
tem, esse sent. com. Thomist. Prob. 1. ex D. Th. in 4.d. 1.q.
1. a. 1. dicente : *Verba & res sunt de essentia Sacramenti: &*
ideo Magister, his duobus dicit constare Sacra menta. Et hīc q.
30. a. 2. ubi ait:: *Quodlibet Sacra mentum distinguitur in ma-
teriam, & formam, sicut in partes essentiæ: unde & suprà di-
ctum est (hic scilicet a. 6.) quod Sacra menta consistunt in re-
bus, & verbis.*

295 Prob. rat. *Tum ex dictis, quia omne composi-
tum, esentialiter constat ex partibus, ex quibus compo-
nitur, tametsi forma in naturalibus sit substantia, in artifi-
cialibus vero accidens. Tum, quia Sacra menta Novæ Le-
gis sunt strictè signa practica gratiæ; sed hanc non signifi-
cant practicè res sine verbis, nec verba sine rebus: ergo.
Profectò baptismum v. g. non constituit sola ablutio, ut vult
Cabrera; alias dici posset, *ablutio est baptismus.* Nec etiam
sola verba, quia sine ablutione sunt falsa: ergo.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

496 Opp. 1. cont. 1. p. Sacra mentum pœnitentiæ con-
stat confessione pœnitentis, & absolutione Sacerdotis: er-
go solis verbis. Præt. Matrimonium, contractum vel solis
verbis, vel solis rebus, seu nutibus & signis consensum ex-
perimentibus inter mutos & verecundos, est verum Sacra-
mentum: ergo. Tandem: significatio gratiæ est forma cu-
juslibet Sacra menti: ergo Sacra menta non constant verbis
ut formâ. Ad 1. R. 1. Neg. cons. Nec enim sola confessio
verbis facta, est materia Sacra menti, sed etiam contritio, &
satisfactio, quæ sunt res. R. deinde nomine *rerum* compre-
hendi hic etiam exteriores actus sensibiles (ut perpetuò do-
cet D. Th.) & quidquid confusè significat, etiam si sint
verba: sicut nomine *verborum*, quidquid apud homines
verbis æquivalet. Hinc,

497 Ad 2.R. Matrimonium semper constare *rebus* ut
materiâ, & verbis ut formâ: mutui enim consensus (seu
verbis, seu nutibus expressi) sunt sibi invicem materia, &
forma; quia se habent adinvicem, ut determinabiles, & de-
terminantes: ut enim sunt *traditio*, sunt *res*, etiam si verbis
ex-

exprimantur : ut verò sunt *acceptatio*, sunt verba, quantumvis nutibus innotescant : Traditio siquidem est inchoatio contractus, adeòque est quid determinabile, seu *res*; acceptatio verò est complementum contractus, adeòque quid determinans seu *verbum*, quomodocumque exprimatur. Et fortè nihil aliud voluit Dur. tametsi in modo loquendi, jam tunc invalecente, à reliquis Theologis dislentiat, ut post Mart. de Ledesma & Bellarm. notat. J. Mart. de Prado.

498 Ad ult. dist. ant. Significatio gratiæ est forma totalis cuiuslibet Sacramenti, C. partialis, N. & dist. cons. cādem dist. Sicut enim in naturalibus, & artificialibus, datur duplex forma, altera totius, altera partis, ut in homine anima, & humanitas; & in pecunia sigillatio æris, & impositio valoris: ita in Sacrementis, verba sunt formæ partiales, significatio autem gratiæ, est forma totalis, determinans, & elevans, ex Christi institutione, compositum ex rebus, & verbis. Et quia compositio ex rebus, & verbis (ut replicæ occurram) facilè percipitur ab omnibus Christianis; ideo de illa in Con. Florent. instruuntur Armeni, & omnes Catholicæ. Compositio verò ex composito, & significatione, Theologis relinquitur exponenda, à quibus solis facilè percipi valet.

499 Opp. 2. cont. 2. p. Ut materia, & forma constituant intrinsecè, debent esse simul; sed in Sacrementis sèpè materia præcedit formam, & econversò: ergo. Præt. Con. Florent. non dicit, Sacmenta constare rebus, & verbis, sed illis perfici: ergo. Tandem: Eucharistia est Sacmentum permanens; sed verba consecrationis, quæ sunt illius forma, non permanent, sed transiunt: ergo non constat ex illis intrinsecè, & essentialiter. Conf. Causa efficiens non est pars essentialis seu intrinseca sui effectus; sed verba consecrationis sunt causa efficiens Eucharistiæ: ergo. Ad 1. Dist. maj. Debent esse simul, simultate physicâ, N. morali, C. hæc autem sufficit ad compositum articiale, & morale, quale est Sacmentum. Ad 2. R. Pontificem uti verbo perfici, quia loquebatur, non solum de materia, & for-

ma.

ma, sed etiam de intentione Ministrorum, ex qua non constat Sacrementum, cum non sit hujus pars.

500 Ad ult. omissis aliis solut. R. cum M. Prado hic dub. 9. §. IV. Dist. min. Non permanent, sed transeunt physice & in esse naturae, C. in esse signi ad placitum, N. Verba enim consecrationis, sumpta in esse signi ad placitum cum significacione sibi propria, & in esse signi Sacramenti (significatione proveniente ex Christi institutione, quatenus ut sic determinant significationem specierum panis, cum quibus in fieri fecerunt unum signum totale,) permanent, quandiu manent species consecratæ; quia istæ non significant sensibiliter sacramentaliter Christum, nisi sensibile panis determinetur sensibili prolatione, & significatione verborum. Et instatur arg. in ipsa significatione ad placitum vocum, & in institutione Christi; quia impositio physice transivit; & tamen signa imposita ad significandum, permanent quandiu impositio non retractatur. *Instatur* præterea in Matrimonio, quod est verum Sacrementum, absque physica partium permanentiam, dum consensus alterius conjugis, verbis expressus, præcedit tempore verba alterius.

501 Ad conf. Dist. maj. Naturaliter, C. ex Christi institutione, N. Non enim est inconveniens, quod id quod ex institutione divina est forma componens, sit etiam instrumentum compositionis: Sicut potest Deus, mediante anima ut instrumento, producere corpus, cui illam uniat: Et tunc anima esset forma intrinseca corporis, & simul efficiens, non quidem principale, sed ut instrumentum Dei. Sic & in praesenti forma verbalis Eucharistiae, & determinat significationem specierum panis, & sub hac ratione componit cum illis unum subjectum significationis Sacramentalis, non quidem informatione, sed ordine & conjunctione: & est instrumentum divinæ virtutis ad efficiendum ipsum Sacrementum Eucharistiae, & ponendum Corpus Christi sub speciebus. Vide J. à S. Th. disp. 22. dub. 2.

DUBIUM III.

Utrum Christus D. materias & formas omnium septem Sacramentorum per se ipsum immediate formaliter determinaverit?

502 **C**oncl. est affirm. & expressa D. Th. multoties, sed præsertim 4. cont. Gent. cap. 74. & prob.

Tum, quia illorum omnium est Author, ut diffinit Trident. sess. 7. can. 1. & quidem immediatus, ut colligitur ex eodem sess. 14. c. 1. ergo & omnium materias & formas (quibus essentialiter constant) ipse per se ipsum immediate determinavit. *Tum*, quia si talis determinatio competeteret Ecclesiæ, posset Sacraenta essentialiter mutare, cont. Trid. sess. 21. cap. 2. & prob. sequela, qui enim potest essentialia primò instituere, potest à fortiori instituta, seu determinata, mutare. Unde indeterminatio materiæ & forme Sacramenti Ordinis, relicta Ecclesiæ determinanda, est indeterminatio *materialis*, non varians essentialiter & formaliter partes essentiales Sacramenti. *Nec* id peculiare est Sacramenti Ordinis, ut quidam autumant; reperitur enim in verbis formarum omnium Sacramentorum, ut docet D. Th. hīc a. 7. ad 1. & specialiter de Matrimonio, in 4. d. 34. q. 1. a. 1.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

501 Opp. 1. Quia alijs Christus nullius Sacramenti materiam, aut formam, essentialiter determinandam (quo ad speciem saltem) reliquisset Ecclesiæ; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. *Tum*, quia alioquin Ritus Ecclesiæ Græcæ in Sacris Ordinationibus, neutiquam cōcordari posset cù ritu Latinæ: Græci enim ordinant Presbyteros per solam manuum impositionem, & absque ulla instrumentorum traditione: Diaconos similiter initiant, absque ulla Evangeliorum traditione, solà manuum impositione contenti. *Tum*, quia nec Ecclesia ipsa Latina cum se ipsa con-

ciliari posset : Quippe olim solā manuum impositione præfatos Ordines diu contulit , ut multis Scrip. CC. & PP. testimoniis probat (inter alios eruditissimos) J. Morinus , & novissimè Boucart: ergo. Et sanè Stephanus , & reliqui 6. Diaconi , ordinati sunt ab Apostolis absque Evangelii traditione , cùm istud scriptum nondùm esset : ergo.

504 Tum , quia nec concordari ullatenū possit utraque Ecclesia in Sacramento Confirmationis , in illo enim Græci (ut ex eorum Euchologiis patet) hâc utuntur formâ : *Signaculum donationis Spiritus S. amen.* quæ omnino diversa est à nostra. Tum , quia diversa pariter est forma Græcorum in Sacrementis Baptismi , Pœnitentiæ , & Eucharistiæ , quoâd Calicis consecrationem. Tandem. Materia Sacramenti Matrimonii in ipsa Ecclesia Latina mutata est ; Tridentinum enim decrevit , consensum partium declarandum necessariò fore deinceps coram Parocho & testibus , ad Matrimonii valorem ; quod antea non exigebatur : ergo.

505 R. concessâ maj. N. min. Ad 1. prob. N. maj. Ad prob. quoâd Presbyterorum ordinationem, R. cum Eruditissl. M. Gravina in Vindiciis orthodoxis pro Sacram. Ord. cont. Mârcum Ant. de Dominis , disp. 2. c.2. §. 3. & cum Illust. Marinis , & M. Prado , N. ant. constat enim ex probatissimis Græcorum Euchologiis , apud nostrum Jacobum Goar , tit. *de ritu in ordinatione Presbyteri servandô* , quod dûm Pontifex manum ordinando imponit , iste genuflexus , fronte incumbit Sacræ Aræ , in qua deposita sunt sacra dona , seu calix cum vino , & patena cum pane : adeoque eadem illi materia traditur , ac Latino ; illamque verè tangit physicè mediâtè : sicut tangens Calicis pedem , et si patenam illi superpositam non tangat , illam tetigisse dicitur , imo & vinum , tangendo calicem , juxta Victoriam , Sotum , plerosque alios .

506 Tangendo igitur Initiandus Græcus Altare , quod illi concreditur , & quæ intra velum continentur (ut loquitur Cyril. c.13. de Adorat. & spiritu) possessionem illius accipit , ut in eo circa instrumenta sacrificaturus suam exerceat

potestatem , hostias offerendo , quæ illi sunt præparatæ: **Conveniunt ergo in hac ordinatione** (concludit laud. Marinis) **Ecclesia Græca , & Latina , saltèm quoàd essentialia.** Et in utraque per traditionem materiæ sub forma (accidentaliter tantùm diversâ) **Sacerdotalis potestas confertur.** Quoàd ordinationem verò Diaconorum (cui applicari non potest data solutio, ut potè Græci illam solâ manuum impositione perficiunt .)

507 R. quòd cùm certum sit, potuisse Christum determinatè statuere, quòd alterutrō illō diversō memoratō ritu rite, & validè Diaconatus (sicut & Presbyteratus) conferretur; ita illum immediatè statuisse circa Diaconatum, censendum est: Cùm ex una parte , infallibili Ecclesiæ autoritate constet, validè utroque illum perfici : Et ex alia, potestas excellentiæ circa Sacraenta instituenda, essentialiter varianda, immutanda, soli Christo sit eximia; nec Apostolis , aut Ecclesiæ eam (et si potuerit) communicaverit , ut exprestè docet D. T. infrà q. 64. a. 4. ad 1. & 3. & innuit Trid. laudatâ sessi. 21. cap. 2. nullam in Ecclesia agnoscens potestatem circa substantiam Sacramentorum , sed solùm circa illorum ulum , & Sacramentalia. Et hinc optimè salvatur unitas specifica Diaconatūs , in utraque Ecclesia collati , quia eadem est specificè materia, & forma in esse signi, ut potè ad eandem significationem , & finem elevata ab habente potestatem ; quod vix , ac nè vix quidem , salvare possunt contendentes , non Christum immediatè , sed Ecclesiam , illas quoàd speciem determinasse.

508 Ad 2. min. prob. N. ant. Ad prob. N. ant. Nunquam enim , nè temporibus quidem Apostolorum , collatus fuit Presbyteratus per manifestam illam manuum impositionem ; sed semper , & ubique per materiæ traditionem; quæ utique manuum impositio quædam est , quemadmodum & sacra unctio in Confirmatione , juxta D. Th. lect. 1. in cap. 6. ad Hebr. Nec oppositum probant testimonia Scrip. CC. & PP. adduci solita. Loquuntur enim apertè de manifesta manuum impositione , quæ solùm quid sacramentale est, ut suô locô dicemus : Sed quia illa non semel in Ordinatione adhibetur ; congruenter per illam Ordo Sacra-

men-

mentalis passim significatur , non secùs ac Sacramentum Pœnitentiæ (ut exemplô Marinis utar) per benedictio- nem inter absolvendum adhiberi solitam : unde confiteri volentes in Gallia dicere solent Sacerdoti: *Donez moy , mon Pere, vostre bénédiction* , quod idem sonat, ac si dicatur : Au- dias me in confessione , & absolvias.

509 Imò tām aperta , & repetita mentio impositionis manuum in Script. CC. & PP. validè probat , non fuisse il- lam Presbyteratūs materiam : ut enim ex Dion. in fine Ec- ches. Hier. appositè notat D. Th. infrà q. 72. a. 4. ad 1. sa- crosanctum fuit apud Apostolos , & antiquos PP. secretum circa materias , & formas Sacramentorum ; nè istae omni- bus innotescerent: & proptereā subdit, quòd multa, quæ cir- ca illas Christus mandavit , non scriptō , sed traditione te- nentur. Quibus consonat Innoc. I. ep. 1. c. 3. ubi, postquam docuit, consignationem Chrismatis in fronte ad solos Epis- copos pertinere , exteiplò subjungit : *Verba autem dicere non possum* (quibus scilicet in illa utebantur Episcopi) nè magis prodere videar , quam ad consultationem respondere . Quibus nihil aptius tūm ad nostrum propositum , tūm ad occurrentum Hæreticis oblatrantibus, dūm non totam se- riem formæ Confirmationis , aliorumque Sacramentorum , apud Script. CC. & PP. invenerint; id enim ex industria , & consultō factum fuisse, docet ex Dion. D. Ang.

510 Ad id quod additur de Diaconis , ante conscrip- tum Evangelium initiatis , constat ex dictis N. 507. de or- dinatione Græcorum , quin opus sit recurrere cum Nuño , Vazq. aliisque , ad specialem dispensationem . Post scrip- tum autem Evangelium , crediderim , nunquām in Eccle- sia Latina (quidquid sit de Orientali) initiatos fuisse Dia- conos per solam illam manifestam manuum impositionem ; sed per aliam , scilicet , per Evangeliorum traditionem , si- cut modò : id enim Romanæ Ecclesiæ praxis immemoria- lis , traditionis Apostolicæ locupletissimus testis , quam Concilium Florent. suō decretō firmat , planè ostendit.

511 Ad 3. min. prob. Respondet Illust. Marinis , for- mulam illam alienam prorsus esse ab illa , quâ Græci anti- qui-

quitūs utebantur in Sacramento Confirmationis. Et ita censisse, testatur, Hortum Justinianum, Card. aliosque in Ritibus Græcorum peritisimos, à se Romæ consultos, illamque formulam emeruisse judicat, ex Græcorum pruritu in tot cudendis (ob suam pertinaciam) Euchologis, adjunctâ ignorantia in discernendis legitimis Sacramentorum formis. *Addit* autem laud. Marinis, quod si objecta Confirmationis forma foret legitima, & tolerabilis, id notasset Florentinum, prout fecit loquendo de Baptismo, validam declarans Græcorum formam, tanquam idem importantem quoad essentialia, ac Romanam. Et planè forma Confirmationis Græcorum, quam adducit Severus Patriarcha Alex. qui floruit ann. 446. ferè eadem est cum Latina, ut videre est apud Natal. Alex. hic a. 3. & in Biblioth. PP. t. 12. *Quod* si talis formula, legitima afferatur, cum Arcudio, nostro Goar, Bafilio Pont. aliisque, quibus favet praxis Episcoporum ritu Græcō Pontificalia exercentium Romæ, sub illa confirmantium, ut per litteras mihi testatus est Illust. D. Basilius Matranga Archiep. Achridensis præfatō munere nunc Romæ fungens: Tunc ad solutionem N. 507. recurrendum est. *Ad* 4. R. diversitatem in illis formis, esse merè accidentalem, ut suis locis dicemus. *Ad ult.* R. Concilium irritasse contractum clandestinum, non materiam, & formam Sacramenti, quæ esse non possunt absque legitimo contractu.

DUBIUM IV.

Quænam mutatio materiae, aut formæ, invalidet Sacramentum?

512 **C**onclusio: Substantialis mutatio materiae, aut formæ irritat Sacramentum, secùs accidentalis. Est D. Th. hic a. 8. ac com. & patet: Nullum enim compositum (quale est Sacramentum) potest subsistere sine partibus suis intrinsecis, & essentialibus. Accidentia verò, cum

cum sint extra substantiam rei, eam non variant: ergo. Hinc Concil. Nicænum I. can. 19. irritum declaravit Baptismum Paulianistarum, quia mutabant essentialiter formam Baptismi, ut docet Innoc. I. ep. 22. c. 5. Econtra verò Con. Florent. validum declaravit baptisma Græcorum, quia illius forma solum accidentaliter differt à forma, quâ illud Latini conferunt. Porro mutatio formæ est *accidentalis*, si mutatis verbis, sensus idem remanet; si verò sensus mutatur, mutatio est *substantialis*, quia *sensus significatio est forma substantialis verborum*, ut S.D. saepius repetit.

513 Mutatio autem materiae censetur *substantialis*, quando tanta est, ut juxta communem conceptionem distinguatur specie morali ab ea, quam Christus requisivit, ideoque diverso nomine appelletur. Ut si quis in Eucharistia adhiberet panem hordeaceum, aut pastam, seu massam farinæ triticeæ adhuc crudam: Et in Baptismo aquam rosa- ceam. Cenletur autem *accidentalis*, si salvâ substantiâ, parumper alteretur, ut quod in Eucharistia panis triticeus sit albus, aut niger; azimus, aut fermentatus: Et in Baptismo aqua naturalis sit calida, frigida, aut tépida, benedicta, aut non benedicta. Ut autem scias, quando manet idem verborum sensus, & quando non; adeoque, quando mutatio est *substantialis*, & quando *accidentalis*, adferre hic juvat singulos mutationis modos, qui accidere possunt, & comprehendit D. Th. hic, a. 8.

414 Multifariam igitur mutari possunt verba in formis Sacramentorum, nimirum, *detractio*nē, *additio*nē, *variatio*nē, *transmutatione*, *corruptione*, & *mora*. Continentur modi isti sequentibus versibus, adductis ab Henno: *Nil formæ demas, nil addas, nil variabis ... Transmutare cave, corrum pere verba, morari.* Singulos percurramus. *Detrahens*, seu omittens in forma Baptismi *Ego*, & in consecratione *Enim*, non irritat Sacrementum; secùs si in prima omittat *Te*, & in secunda, *Hoc*; quia secunda omissione variat formaliter sensum, non autem prima. *Additio* pariter quandoque corruptit debitum sensum, adeoque varietatem Sacramenti; ut si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris,*

& filii minoris, sicut quidam Arriani baptizant: Quandoquè vero non; ut si diceret: Ego te baptizo in nomine Patris Omnipotentis, & Filii ejus Unigeniti, & Spiritus S. Paracleti. Vel si post ly Spiritus S. adderet, & B. Virginis Mariae, ut ejus intercessio profit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem: secus foret, si intelligeretur, baptizari in nomine Beatissimae Virg. sicut in nomine Trinitatis, talis enim sensus esset contrarius verae Fidei, & tolleret veritatem Sacramenti.

515 Idem de Variatione esto judicium. Interdum enim conservat debitum sensum, ut si fiat penes idiomata, vel de activo in passivum, vel de verbis usitatis in inusitata, idem tamen significantia; quia ut ex Aug. ait S. D. Verbum facit Sacramentum, non quia dicitur, sed quia creditur; id est, non secundum sonum hujus lingue, vel illius; sed secundum significantem, qua mente percipitur, & fide tenetur. Unde validè quis baptizaret, dicendo: Ego te abluo, loco baptizo Valide etiam baptizant Graeci passivè dicendo: Baptizetur. Interdum autem variatio corrumpt debitum sensum, ut si quis sic consecraret: Hoc est Corpus Christi, non enim loqueretur in Persona Christi, sed propria.

516 Aut si quis baptizaret in nomine Trinitatis, aut Dei, suppressis trium Personarum nominibus, nam haec nomina Deus, & Trinitas non significant formaliter, & expressè idem ac Pater, & Filius, & Spiritus S. sed solùm implicitè, & in confuso: nec significant ordinem Personarum inter se, quod etiam pertinet ad Mysterium Trinitatis. Corrumperet etiam debitum sensum, nec baptizaret, qui diceret: Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab utroque, ut expressè docet D. Th. infrà q. 66. a. 5. ad 7. nec enim termini illi sunt synonimi cum usitatis: Licet enim pro eodem utrique supponant; non tamen idem significant, nam Pater, Filius, & Spiritus S. sunt termini formaliter relativi, significantes relationes; sed Genitor, &c. sunt absoluti, & significant actus notionales, qui sunt fundamenta telationum.

517 In Transmutatione manet etiam quandoquè idem
ver-

verborum sensus; ut si quis diceret: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ego te baptizo.* Aut si consecraret: *Hoc est meum Corpus, vel, Hic est Sanguinis mei Calix.* Quandoquè non manet idem sensus, ut si diceret quis: *Hoc Corpus est meum.* Vel, *Hic Sanguis est meus.* *Corrupta* pariter verborum prolation ex imperitia, balbutie, linguæ præcipitan-
tiâ vel lapsu, aliòve simili vitiô, quandoque mutat signifi-
cationem; ut si, v.g. corruptio fiat in principio dictionis,
proferendo *matris*, locô *patris*, in forma baptismi. Quan-
doque verò significationem non tollit; ut si fiat corruptio
in fine dictionis, quia tunc ut plurimum sensum non variat,
ideoque Zacharias Papa cap. *Retulerunt de Consecrat.* dist. 4.
ratum declaravit baptismus collatum ex ignorantia linguæ
Latinæ, sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritus Sancta,* quia licet in hujusmodi verbis cor-
ruptè prolatis, mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem
sensus, ut loquitur D.Th. hic a.7. ad 3. Magis tamen (addit
S.D.) videtur attendenda quantitas corruptionis, quia ex utra-
que parte potest esse tam parva, quod non aufert sensum verbo-
rum: & tam magna, quod aufert. Sed unum horum facilius
accidit ex parte principii, & aliud ex parte finis.

518 Enodanda est hic non levis difficultas, emergens
ex his quæ S.D. laudatæ mōx solutioni præmissit, dicens:
Ille qui corruptè profert verba sacramentalia, si hoc ex industria
facit, non videtur intendere facere, quod facit Ecclesia: & ita
non videtur perfici Sacramentum. Et idem docet Zacharias
Papa, ubi suprà: *Si ille (inquit) qui baptizavit, non errorem*
inducens, aut hæresim, sed ex sola ignorantia Romana locutio-
nis... non possumus consentire, ut denud baptizetur. Quibus
docere videntur, ex scientia, vel intentione Ministri pen-
dere, quod mutatio *substantialis* sit, vel solùm *accidentalis*:
id autem videtur difficile, cùm verba ex Christi institutio-
ne significant. *Mira* videtur Doctorum dissensio in nodo
isto extricando. *Crediderim tamen* (inquit Marinis) quod om-
nium sensus idem fuerit. Quidquid autem sit,

519 R. loqui S.D. de corruptione ex industria, & pra-
vâ intentione factâ per verba æquivoca, quorum determina-

natio pendet ex intentione proferentis, cùm ab isto in **ve-**
ro, vel falso sensu, accipi possint; adeòque, si intendat er-
 rorem introducere, variat significationem verborum, &
 aliud significant, quàm id quod Christus instituit; tametsi
 materialis sonus idem sit; verba autem habent rationem
 formæ, quatenùs significant id quod Christus instituit. Unde
 cum illa prava intentione incompossibilis est intentio Ec-
 clesiæ. *Nec* aliud insinuat Pontifex, verba enim illa cor-
 rupta, erant æquivoca, ut patet. Si verò corruptio non sit
 æquivoca, nec aliundè tām magna, quòd auferat sensum
 verborum; verum conficitur Sacramentum, modò illa
 proferens super debitam materiam, generalem retineat in-
 tentionem faciendi quod Christus instituit, aut quod ve-
 ra Ecclesia facit; nihil enim amplius ad valorem Sacra-
 menti desideratur juxta Florentinum. Porrò intentiones illæ
 composcibiles sunt in eodem, cùm non sint circa idem; ob-
 jectum enim *rectæ*, est perficere Sacramentum juxta Christi
 institutionem, quæcumque sit illa; objectum autem *prava*, est
 introducere novum ritum. Nec oppositum vel leviter insi-
 nuant testimonia objecta.

520 Tandem *mora*, seu *interruptio* (sive fiat cum, vel
 sine interpositione verborum) si tanta sit, quòd juxta com-
 munem morem hominum, continuitas solvatur orationis,
 valori officit Sacramenti. Ut si postquàm Minister dixit,
Ego te baptizo, iret pransum; & posteà subderet, *In nomi-
 ne Patris, &c.* sive interim tacuisset, sive non; soluta esset
 orationis unitas, adeòque non perficeret Sacramentum: se-
 cùs, si secùs. Si enim quis inter verba Sacramentalia ster-
 nuat, tulsiat, aut breviter mente divagetur; unitas non
 solvit orationis, nam tām parva morula pro nulla reputa-
 tur in moralibus, adeòque non debet prolata repetere,
 sed prosequi. Interruptio autem major censetur si fiat in
 ter sylabas ejusdem termini, quàm si inter terminos. Atque
 hæc de valore, aut nullitate Sacramenti, ob verborum
 quamlibet mutationem, dicta sint satis.

521 Restat nunc inquirendum: An semper, & quali-
 ter, peccet verba sacramentalia voluntariè mutans, tametsi
 de-

debitus maneat sensus? R. 1. certum omnino esse, semper sic mutantem verba peccare, ut docet D. Th. a.8. & omnes Theologi. R. 2. Omnem perfectè voluntariam mutationem peccatum esse mortale, non modò ex genere (ut omnes tanquam certum supponunt) sed etiam in individuo. Sic Illust. Marinis hic a. 8. cap. 10. Illust. Genetus tract. 1. de Sacram. c.5.q.9. quibus libentissimè subscribo, pace omnium oppositum in quibusdam casibus afferentium. Et ratio est suprema materiæ gravitas: Nec enim modica temeritas censenda est, sine ulla necessitate affectatam inducere mutationem in administratione Sacmentorum, quantumvis minimam.

DUBIUM ULTIMUM.

Utrum Sacra menta fuerint semper necessaria ad humanam salutem?

522 **S**upp. 1. dubium procedere de sola convenientia necessitate, seu ad melius esse; cum certum sit, potuisse Deum, qui virtutem suam Sacramentis non alligavit, conferre homini salutem sine illis. *Supp. 2.* dub. non procedere de necessitate usus Sacmentorum, postquam instituta sunt (de qua agitur infra q. 64. a.5.) sed de necessitate, aut convenientia institutionis eorum. *Supp. 3.* Sacra menta esse humano generi de facto producto ad salutem necessaria, indefinite loquendo, & abstrahendo ab hoc, vel illo statu (qualiter loquitur D. Th. q.61.a.1. priusquam determinet, quando fuerint necessaria; ut communiter notant Commentatores cont. Suar. & Vazq.) Cujus necessitatis triplicem assignat rationem S. D. nempè, hominis eruditionem, humiliationem, exercitationem. Sic igitur (inquit) per Sacmentorum institutionem homo convenienter sua natura eruditur per sensibilia: humiliatur, se corporalibus subjectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur: preservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia Sacra-

mentorum. Quas rationes eleganter expendit Hugo Victor.
lib. I. de Sacram. p. 9. c. 5.

523 Supp. demùm quadruplicem esse quoad præsens, humanæ naturæ statum. Primus fuit florentissimus ille, & juxta brevissimus *innoceutia* Protoparentum ante lapsum, cui adjungendus est conditionatus innocentiae status, futurus in Adæ posteris, ipsò non peccante. Secundus fuit *Legis naturæ*, non sic dictus, quasi excluderet gratiam, aut præcepta supernaturalia; sed quia ista tunc non exterius publicè, sed interius divinitùs inspirabantur. Duravit hic status pro Judæis usque ad Moyfen; pro aliis verò, usque ad Legem Evangelicam. Tertius fuit *Legis scriptæ*, seu *Mosaycæ*, & computatur à Moyse usque ad Christum. Quartus denique est *Legis gratia*, seu *Evangelicæ*, à Christo usque ad finem seculi duratus. His prælupp. sit.

524 Concl. *Sacramenta nec fuerunt, nec fuissent necessaria in statu innocentia; benè verò in quolibet tempore post Adæ peccatum*. Prima p. est com. cont. Suar. Lugo, & Bernal, malè adducentem pro se Vaz. & Coninch, ut ostendit Prado q. 61. dub. 2. §. 3. Et constat rat. D. Th. in *sed cont.* & in corp. Nec enim erant tunc necessaria, quatenus sunt medicina, ut patet; nam medicina non est necessaria nisi ægrotto, Matth. 9. Nec etiam quatenus ordinantur ad animæ perfectionem: Rectitudo enim statûs illius exigebat animam perfici quantum ad gratiam, & scientiam supernaturalem ex subjectione ad Deum: frustrà igitur, & contra ordinem statûs, essent tunc Sacramenta ad perficiendum animam. Quæ ratio, cùm procedat ex intrinseca ratione illius statûs, æquè probat, sive supponatur, tunc Christum adhuc venturum, sive non. Et convincit pariter 2. partem concl. in hypothesi quod statûs innocentiae perseverasset in omnibus posteris Adæ; nam illorum statûs esset continua-
tio statûs Protoparentis quoad supernaturalia, unâ excep-
tâ dignitate capit. 2.

525 Imò, etiam si in aliquibus solùm perseveraret; idem convincit ratio illa respectu istorum. Et propterea consultò D. Th. non inquirit art. 2. *An in statu innocentiae*
ef-

essent necessaria Sacra menta? Sed, utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacra menta? Non igitur loquitur de hominibus post peccatum (sive durante statu innocentiae, sive non;) sed loquitur de statu ante peccatum, id est, de statu innocentiae formalissime accepto, ut apposite advertit J. à S. Th. *Sed*, an tunc statuenda forent Sacra menta pro lapsis? R. incertum planè esse; cum pendeat ex divino beneplacito, nobis non revelato. Sed duo nobis certa videntur; nempe, & quod non forent illorum statui repugnantia, ut potè lapsi essent: Et quod non possent esse ejusdem rationis cum illis quae de facto instituta sunt; nam haec omnia virtutem sortiuntur ex Christi passione, quam vetera significabant futuram, nova autem, præteritam; sed Adamo non peccante, Christi passio non fuisset, ut vel Scotus ultrò fatetur: ergo.

526 Prob. deinde concl. quoad 3.p. & primo de tempore Legis naturae, Tum auth. Aug. l.5. cont. Jul. c.9. dicentis: *Non est credendum, ante datam circumcis ionem, famulos Dei (quandoquidem illis inerat Mediato ris fides in carne venturi) nullò ejus Sacra mento opitulatos esse parvulis suis; quamvis quid illud esset, aliquā necessariā causā, Scriptura Sacra voluerit.* Cum igitur Scriptura sacrificia non celaverit, sed expresserit; non de his, sed de Sacramentis strictè sumptis aperte loquitur. Cóncinit D.Th. in 4.d.1.q.1.a.2. *Ante Legem scriptam (ait) erant quedam Sacra menta necessitatis; sicut illud fidei Sacra mentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati; & similiter penitentia, quae ordinabatur ad deletionem actualis.* Accedit rat. S. D. hic a. 3. Sacra menta sunt necessaria ut signa sensibilia invisibilium rerum, quibus homo post peccatum sanctificatur: cum igitur nullus sanctificari possit post peccatum, nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, &c. oportuit ante Christi adventum post peccatum esse quedam signa, quibus homo fidem suam protestaretur de Christo futuro, quae Sacra menta vocantur & sunt; cum sint signa practica gratiae, juxta dicta à N. 486.

Quæ

527 Quæ ratio etiam probat de tempore Legis scriptæ, ut patet. Quòd autem tunc plura fuerint Sacra menta, constat authoritate Floren. & Trid. ea in plurali *Sacra menta* appellando. Imò plura fuisse, quām in Lege gratiæ, docet Aug. lib. 19. cont. Faust. c. 13. dicens: *Sacra menta veteris Legis ablata sunt, quia impleta: & alia instituta sunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, & numerò pauciora.* Ea tamen omnia ad quatuor reducit D. Th. 1.2. q. 102. a. 5. nempè, ad *Circumcisionem*, *Agnum Paschalem*, *Purificationes*, & *Ministrorum Cultus Divini consecrationem*, quibus in Lege gratiæ respondent *Baptismus*, *Eucharistia*, *Penitentia*, & *Ordo*. *Confirmationi* autem, & *Extremæ Unctioni* nullum respondebat in veteri Lege Sacramentum, quia tunc nondùm erat plenitudo gratiæ, Confirmatione præsignata; nondùm patebat aditus Regni Cœlorum, cuius est immediata præparatio Extrema-Untio. Matrimonium autem non erat tunc propriè Sacramentum, quia nondùm facta erat conjunctio humanitatis cum Verbo, vel Christi cum Ecclesia, cuius est symbolum; unde tunc dabatur Libellus repudii.

528 Prob. tandem, conveniens fuisse nova institui Sacra menta in Lege gratiæ, rat. D. Th. q. 61. a. 4. Sicut enim Antiqui PP. salvati sunt per fidem Christi venturi, ita & nos salvamur per fidem Christi jam nati, & passi; sed Sacra menta sunt quædam signa protestantia fidem, quā homo justificatur: ergo oportet modò esse talia signa, seu Sacra menta; & quidem distincta à veteribus, ut potè, significan tia ea, quæ præcesserunt in Christo, & quæ veteribus prænuntiabantur futura; alia enim debent esse signa rei præteritæ, à signis rei futuræ, nam juxta Aug. éadem res aliter annuntiatur facienda, aliter facta: sicut ipsa verba *passurus*, & *passus*, non similiter sonant.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

529 Opp. 1. cont. 3. supp. illud 2. ad Cor. 12. Sufficit tibi *gratia mea*; sed non sufficeret, si Sacra menta essent ad salutem necessaria: ergo. Præt. Positâ causâ sufficienti, nihil aliud videtur esse necessarium ad effectum; sed passio Chri-

Christi est sufficiens causa nostræ salutis, juxta Apost. Rom. 5. ergo. *Ad 1. R.* cum D. Th. q. 61. a. 1. ad 2. gratiam esse sufficientem ex se ad salutem; sed quia datur hominibus secundum modum eis convenientem, ideo ad eam consequendam sunt necessaria Sacra menta. *Ad 2. R.* ex eodem ibidem, N. cons. quia Sacra menta operantur in virtute passionis Christi, & haec per illa quodammodo applicatur hominibus, juxta illud Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.*

530 Opp. 2. cont. 1. p. concl. Homo in statu innocentiae indigebat gratiam: ergo & Sacra mentis ad illam consequendam. *Præt.* Sacra menta sunt homini necessaria secundum conditionem suæ naturæ; sed haec eadem est ante, & post lapsum: ergo. *Præt.* Matrimonium (quod *Sacramentum magnum* vocatur Ephes. 5.) fuit institutum ante peccatum: ergo. *Præt.* Statui innocentiae non repugnant, sed congruent maximè sacrificia: ergo & Sacra menta. Tandem Sacra menta vivorum, ad augendam gratiam per se instituta, congruentia forent statui illi, in quo gratia augeri utique posset: ergo.

531 *Ad 1. dist. ant.* cum D. Th. a. 2. ad 1. Indigebat gratiam, spiritualiter & invisibiliter consequendam, C. per sensibilia signa, N. Id enim repugnabat perfectioni status, ob rationem concl. adductam N. 524. *Ad 2. dist. maj. cum eodem.* Secundum conditionem suæ naturæ, absolute, N. ex suppositione lapsus, C. & dist. min. Eadem est in diverso statu, C. in eodem statu, N. Itaque perfici spiritualiter per sensibilia, non incongruit naturæ lapsæ, sed innocentia, ob dicta N. 524. *Ad 3. resp. S. D.* Matrimonium institutum fuisse in statu innocentiae, non ut Sacra mentum, sed in officium naturæ, tametsi ex consequenti aliquid significaret futurum circa Christum, & Ecclesiam. Apostolus autem sumit latè nomen *Sacra mentum*, prout cum *mysterio* recurrat. *Ad 4. R. disp. esse quod sacrificia,* juxta D. Th. 2. 2. q. 85. a. 1. sunt de jure naturali, adeoque in omni statu futura: Sacra menta verò repugnant perfectioni status innocentiae, ob sapè dicta. *Ad ult. N. ant.* quia ultra repugnantiam statu

tus quam afferrent, augeri aliundè poterat justitia originális, & quidem connaturaliùs.

532 Opp. 3. cont. 3. p. Sacra menta sunt effectus Passio-
nis Christi, cùm hæc per illa hominibus applicetur: ergo
non fuerunt ante eam, cùm effectus non præcedat tempore
causam. Præt. Sacramentum est signum practicum gratiæ
ex divina institutione, cùm enim ipsis Deus sit Author
gratiæ, solus ipse potest eam alicui signo alligare; sed nul-
lum tale signum determinavit Deus in Lege naturæ, ut sa-
pè fatetur D. Th. ergo nullum fuit in illa Sacramentum.
Tandem: sola fides parentum justificabat parvulos juxta
Greg. Bern. & D. Th. ergo ad id opus tunc nō erat Sacramé-
tō, adeoque ad nihil. Ad 1. resp. D. Th. Passionem Chri-
sti fuisse causam finalē veterum Sacramentorum, quæ sci-
licet ad eam significandam fuerunt instituta; & cùm causa fi-
nalis non præcedat tempore, sed solum in intentione agen-
tis, potuerunt esse Sacra menta ante Passionem.

533 Ad 2. concessâ maj. dist. min. Nullum tale sig-
num determinavit Deus, per Scripturas, nondùm datas, C.
interiori instinctu, N. Sicut in statu Legis naturæ (inquit D.
Th. q. 60. a. 5. ad 3.) homines nullâ Lege exterius datâ, sed so-
lō interiori instinctu movebantur ad Deum colendum; ita etiam
ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibili-
bus ad Dei cultum uterentur: Quare non erat in facultate
hominum positum, Sacra menta iustituere; nec arbitrio eo-
rum permisum, res sensibiles eligere, quibus gratiam obti-
nerent (ut plures Moderni afferunt;) sed interiori Dei
motu, & instinctu (Legem externam supplente) præfata-
rum rerum præscribebatur electio. Et hæc solutio est planè
conformis doctrinæ D. Th. infrâ q. 64. a. 2. ubi ostendit,
solum Deum esse Sacramentorum institutorem.

534 Nec sibi ullatenū contradicit dūm Sacra menta
illa Legis naturæ vocat indeterminata: loquitur enim con-
trapositivè ad Sacra menta Legis scriptæ, & Evangelicæ, ex-
plicitè determinata. Unde dūm q. 70. a. 2. ad 1. afferit, quod
tunc unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis
protestabatur; neutiquām excludit divinum instinctum, signa
illa

illa illis interius præscribentem; sed necessitatem externæ Legis, illa determinantis, ut ex contextu liquet. Itaque universaliter tenendum est, ex divina institutione determinatum esse quidquid est de substantia & necessitate Sacramentorum cuiuscumque Legis; tametsi illud in Lege naturæ non exterius præscriperit, sed interius afflaverit. *Illa autem quæ aguntur in Sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate Sacramenti*, ut ait D. Th. laudatâ q. 64. a. 2. ad 1. Et licet daremus, relictæ fuisse hominibus Legis naturæ determinanda quoad speciem signa sacramentalia; id neutiquam extendendum est ad Sacraenta Legis Novæ, quorum immediatus Author est Christus, ob dicta à N. 502.

535 Ad 3. resp. D. Th. sui ipsius & PP. fidissimus Interpres, infrâ q. 70. a. 4. ad 2. Dicendum (inquit) quod sicut ante institutionem circusionis, sola fides Christi futuri justificabat tam pueros, quam adultos: ita etiam & circuncisione datâ. Sed antea non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei: quia nondum homines fideles seorsum ab infidelibus cœperant adunari ad cultum unius Dei. Quibus (ut patet) idem omnino docet, ac in 4. d. 1. q. 2. a. 6. q. 2. Et solutio quam laudatis verbis subjungit, dicens: *Probabile tamen est, &c.* est ipsamet, quam in 4. sent. dicit, *non consonare verbis Gregorii*; adeoque illâ relictâ, amplectitur ut probabiliorem illummet, quam hic q. 70. apponit primô loco.

536 Ipsiissima igitur est utrobique sententia Doctoris Ang. ut legenti constabit: Nec ullatenus retractat, limitat, aut glossat hic, quod in utroque 4. sent. tradiderat, quidquid J. Mart. de Prado, Gonet, aliisque auctument: sed utrobique, & semper docet, quod tempore Legis Naturæ, non requirebatur aliquod signum protestativum fidei Christi venturi; non quod excludat externa signa, ab interiori moventis Dei instinctu inspirata; sed quia tunc nondum erat fixum in Republica fidelium sigillum aliquod, à Deo externâ Lege præscriptum, solemni pompâ celebratum, & apud omnes idem, quod ab infidelibus Populus Dei seceretur. *Quia nondum* (inquit) *homines fideles seorsum ob infidelibus*

ceperant adunari ad cultum unius Dei. Quibus nihil apertius, & ad firmandam solut. quâ secundo occurrimus, aptius.

DISPUTATIO II.

De effectibus Sacramentorum.

Expositis naturâ , & necessitate Sacramentorum qq. 60. & 61. de illorum effectibus (*Gratiâ scilicet , & Charactere*) differit S. D. q. 62. & 63. cuius doctrinam sequentibus Dubiis tuendam suscipimus. Sit igitur

DUBIUM I.

*Utrum Sacra menta Novæ Legis causent instrumen-
taliter physice gratiam?*

537 **Q**uestionem aggredimur , quâ nulla , post nat tam Scholam , acriùs usquemodò discep tatur. Ante cujus resol. supp. 1. ut fide cer tum, cont. hæreticos nostri temporis , Sacra menta Novæ Legis verè & propriè continere gratiam sanctificantem , quam significant , eamque conferre non ponentibus obicem : Sic enim expressè diffinitur in Florent. in Decreto unionis, & in Trid. sess. 7. can. 6. & constat innumeris Scrip. veterū CC. & PP. testim. quæ videri possunt apud Bellarm. Prado , aliosque. *Supp. 2.* ut æquè certum , & diffinitum in Trid. eadēm sess. can. 8. præfata Sacra menta conferre gratiam *ex opere operato* , id est , non ex merito illa conficientis, administrantis, vel suscipientis , sed ex merito pa sionis Christi jam peractæ , & ex virtute , & efficacia , à Christo ipsis communicatâ.

538 Nec est quòd Hæretici vocabulum illud (quingen tis ab hinc annis apud Schola sticos , & plures bene latinos , fo-

solemne, & à Trident. consecratum) veluti barbarum sug-
lent : Melius est enim (ut Aug. ait) ut nos reprehendant Gram-
matici, quām ut non intelligent Populi. Nec insolens est, par-
ticipia verbi deponentis, passivē quandoqne sumi vel ab
ipso M. Tullio, majoris energiæ, & brevitatis causā, ut nec
ipsi Ariltarchi ibunt inficias. Videſis tom. 3. N. 711. Supp.
3. etiam ut fide certum, ſolum Deum eſſe cauſam princi-
palem efficientem gratiæ, ob dicta tot. 3. à N. 433. His igi-
tur supp. & insuper diſtinctione inter principale agens, &
inſtrumentum, ſeu coniunctum, ſeu ſeparatum, tanquām
omnibus notā ex Philosophia,

539 Concl. eſt aſfirm. & frequentior apud Veteres &
RR. illam enim propugnant (præter plures Antiquos vi-
dendos apud noſtrum Hyacinth. Choquetium lib. 6. de grat.
d. 6. c. 1.) universi Thomistæ, ſi Canum excipias; quibus
mordicūs adhærent celebriores Jesuitæ, ut Henrizez, Va-
len. Suar. Bèllarm. Fonſeca, Granadus, Canifius, Conimbr.
aliique plures, apud laud. Choquetium, cont. D. Bonav.
Scot. Dur. & Nominales, quibus poſt Vazq. ſubſcribunt
multi ex Societ. qui Doctorem Ang. (de cujus mente nul-
lus unquām utrinque militantium anteā dubitaverat) in ſuas
partes trahere conati ſunt; forte, ne in quæſt. adeò cele-
bri, communi Magistro videantur contradicere, ut fuſpi-
catur Prado, dub. 2. §. 5.

540 Utut fit, audiendus neutiquām eſt Bernal, intrepidi-
dè pronuntians disp. 10. ſect. 4. §. 2. Aſſertores influxūs
physici, qui eum S. Doctori tribuunt, eſſe ignorantes, ineptos
Philofophos, ſummè ſtupidos, nequissimos, injurios in lectorē,
& incredibilis oſcitantia. Quibus præclaris encomiis, non mo-
dò Thomistas omnes, ſed laudatos Illuſtriores Societatis
Theologos, urbaniſſimè extollit. Sed hæc, ut ajunt, ſpre-
ta exoleſcunt. Videat ipſe, qualem ſe probat, dūm tam aſſe-
veranter aſſirms, Divum Th. cunctas difficultates, objici
ſolitas contra virtutem phyſicam inſtrumentalem, præter-
iſſe. Legere poterat a. 4. hujus quæſt. & a. 4. q. 78. ad 3. &
a. 4. & 7. q. 27. de verit. aliaque teſtim. adduci à noſtris ſo-
lita.

Prob.

541 Prob. i. concl. ex Script. docente, nos renasci *ex aqua*, Jo. 3. Per *lavacrum regenerationis*, ad Tit. 5. mundari *lavacrum*, Ephes. 5, sed particulæ *ex*, & *per*, & ablativus *catus*, denotant causalitatem physicam, si propriè accipiuntur, qualiter ibi accipienda sunt, cum nullum inde sequatur absurdum: ergo. Respondet Hennus, inconveniens sequi, si physicam importarent causalitatem instrumentalem, cum hæc repugnet respectu creationis; gratia autem creatur. Sed probandum supponit: gratia enim non creatur, sed educitur ex potentia obedientiali animæ, ut communiter dicitur ex D. Th. q. de spirit.creat. a. 10. ad 13. Prob. deinde ex CC. Flor. & Trid. docentibus ubi suprà, *continere gratiam, quam significant, ipsamque non ponentibus obicem conferre, &c.* Quæ verba propriè (ut par est) sumpta, exceedunt rationem signi; sed causalitas moralis, quomodocumque explicetur, rationem signi non excedit, & effectum propriè non continet, nec confert, sed aliam causam inducit-ut eum cauet: ergo major virtus causativa gratiæ tribuitur Sacramentis, quam moralis.

542 Prob. 3. ex PP. nam S. Leo comparat baptismum *utero virginali*. Cyrill. Alex. *aqua ferventi*, Greg. Nyss. *semini*. Chrysost. *matrici*; sed certum est *uterum, semen, & matricem*, concurrere physicè ad productionem hominis, & *aquam ferventem* ad calefactionem subjecti: ergo. Dices cum Henno, comparisonem fieri à PP. quoàd effectum, non quoàd modum efficiendi. Sed hæc solutio verbis PP. non consonat, ut ea apud Pradum legenti patebit. Et mirum est, nullum induci à PP. exemplum, solam exprimens causalitatem moralem, cuiusmodi sunt *chirographum, sigillum, crumena pecunia plena*, quibus utuntur Adversarii: sed semper adferre illa; quæ physicum dicunt influxum: Mirum item esse, quòd D. Th. infrà q. 78. a. 4. relatâ in terminis oppositâ sententiâ, asserat, quòd *& dictis Sanctorum repugnat, & derogat dignitati Sacramentorum Novæ Legis*, si istam facilem admitterent interpretationem.

543 Prob. 4. ex D. Th. hic a. 1. ubi docet eodem modo Sacraenta nostra causare gratiam, quòd securis facit lectum;

ctum ; sed juxta omnes securis est instrumentum physicum ad faciendum lectum : ergo. Præt. a. 3. ait : *Sacramentum Novæ Legis est instrumentalis gratiæ causa : unde gratia est in Sacramento Novæ Legis , secundum quandam instrumentalem virtutem , quæ est fluens & incompleta in esse naturæ , ut infrâ dicetur , id est , a. 4. seq. sed virtus instrumentalis fluens , seu incompleta in esse naturæ , neutiquam desideratur ad influxum purè moralem , ut liquet , & expressè docet S. D. a. seq. ergo. Præt. a. 5. seq. hæc habet : *Per instrumentum conjunctum mouetur instrumentum separatum , sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ , est ipse Deus , ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum conjunctum ; Sacra menta autem , sicut instrumentum separatum : & ideo oportet , quod virtus salutifera à Divinitate Christi per ejus humanitatem in ipsa Sacra menta derivetur.* Tunc sic :*

544 Sed humanitas Christi est physicum instrumentum (juxta ipsum S. D. suprà q. 13. a. 2. alibique) ad causanda miracula ; & ad causandam gratiam , ut docet 1.2. q. 112. a. 1. & supra q. 48. a. 6. & q. 56. a. 1. & q. 57. a. 7. ergo & Sacra menta sunt , juxta ipsum , instrumenta separata physica gratiæ. Consequentiam ipse S.D. deducit locô laud. ex 1.2. ad 2. dicens , quod sicut in ipso Christo , humanitas causat salutem nostram per gratiam , virtute divinâ principaliter operante ; ita etiam in Sacramentis Novæ Legis , quæ derivantur à Christo , causatur gratia ; instrumentaliter quidem per ipsa Sacra menta , sed principaliter per virtutem Spiritus S. in Sacramentis operantis.

545 Tandem (ut plura alia omittamus) in 4. d. 1. q. 1. a. 4. qq. 1. refert S.D. quosdam opinatos , eatenùs causalitatem Sacramentis Novæ Legis convenire , quatenùs increata virtus Sacramentis assistit per quandam Dei ordinacionem , & quasi pactionem : sic enim ordinavit , & quasi pepigit Deus (ajebant) ut qui Sacra menta suscipit , à Deo gratiam recipiat. Quæ est apertissima oppositæ nobis sententiæ doctrina : *At illa ordinatio sive pactio (inquit S. D.) nihil dat eis de ratione causæ , sed solùm de ratione signi.* Quid igitur Adversarii in Doctore Angelico querunt amplius ?
quid

quid querunt apertius? quid querunt inculcatius?

546 Prob. jam concl. rat. fund. ex dictis. Sacra menta Novæ Legis , juxta CC. & PP. verè causant gratiam, atque specialiori modō , quām Vetera; sed neutrum subsisteret, si illam moraliter solum causarent: nō quidem primum, quia causalitas moralis non est propria & vera efficientia , sed impropria, & metaphorica , fit enim , juxta Philosophos, per ostensionem bonitatis, voluntatem allientis ad aliquid dandum, vel agendum : Nec secundum , nam vetera Sacra menta vim quandam moralem habebant movendi & excitandi Deum , ad conferendam in illorum usū gratiam , ob passionem, & merita Christi futura: ergo si non aliter causarent nostra , nihil discriminis inter utraque foret quantum ad modum causandi, sed ex parte rei causatæ dumtaxat, majoris scilicet, & abundantioris gratiæ , quam carent nova quatenus Christi passionem repræsentant præteritam, quam vetera solum ut futura significabant.

547 Conf. 1. Si Minister per Sacra menta non conferat physicè gratiam , falsò diceret , *Ego te baptizo* , vel *absolvos*; causa enim moralis aliud non habet , quām movere & inducere causam principalem ad operandum : Sed potius formæ illæ essent deprecatoriæ , quod est absurdum. Vide D. Th. infrà q.78. a.4. Conf. 2. Deus est causa principalis physica gratiæ: ergo & Sacra menta (quibus ut instrumentis utitur juxta CC. & PP. ad illam producendam) physicè instrumentaliter influunt in illam ; instrumentum enim in eodem genere influit , ac causa principalis. Et hæc est ratio D. Th. hic a.1. Urgetur: Instrumentum non movens causam principalem , sed agens ut ab illa motum, non morale, sed *physicum* est , ut ex terminis liquet , sed Sacra menta, prout instrumenta Dei, non movent Deum , sed moventur ab ipso, ut causâ principali *physicâ* gratiæ , ad hujus productiō nem: ergo quā talia , non sunt instrumenta moralia, sed physica gratiæ: tametsi ut instrumenta humanitatis Christi, quatenus ista est causa moralis principalis gratiæ, illam moveant sintque instrumenta moralia : ergo. Ex dictis patet, quod in nostra sententia , & Sanctorum dicta propriè (ut par

par est) intelliguntur , & differentia inter utraque Sacra-
menta clariūs apparet ; id quod D.Thomam movit ad illam
amplectendam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

548 Argumenta Hæreticorum contra 1.& 2. supp. ni-
hil aliud probant , ut ea consideranti patebit, quām solum
Deum esse causam principalem effectivam gratiæ , & fidem
requiri in adultis ut dispositionem ad gratiæ susceptionem;
utrumque autem orthodoxum est. *Illi*s ergo omissis, Opp.
1. cont. concl. Cypr. Basil. Hieron. Aug. aliosque PP. ex-
pressè docentes , *non aquam, aut homines, sed solum Deum,*
operari intrinsecùs gratiæ beneficium, solvere vincula culpæ, &
regenerare hominem Christo; at si Sacra menta causarent phys-
icè instrumentaliter gratiam , hæc omnia efficerent : ergo.
R. PP. tantùm velle , solum Deum esse causam principa-
lem effectivam gratiæ. Unde D.Th. q.5. de verit. a. 8. ait,
quod dictio exclusiva non excludit ab operatione instrumentum,
sed aliud principale agens. Et q.27. a.4. ad 19. ait: *Spiritus S.*
non datur, nisi ab eo qui causat gratiam sicut principale agens,
quod solius Dei est: & ideo solus Deus Spiritum S. dat. Idem
est de aliis quæ soli Deo tribuuntur.

549 Opp.2. Instrumentum virtutem derivat à princi-
pali agente ; ad hujus effectum præviè ex se dispositivè ope-
ratur ; & paßsum seu subjectum , effectus suscep tivum , im-
mediate contingit ; at Sacra menta ; ut potè corporea , reci-
pere non posseunt virtutem spiritualem , elevantem ad pro-
ducendam gratiam ; nec aliquid prævium operari valent,
animam disponens ad gratiæ susceptionem ; nec animam
immediate contingere : ergo. R. concessâ 1. p. maj. dist. 2.
Dispositivè operatur , si sit naturale, C. si sit supernaturale,
N. Distinguо etiam 2. p. Immediate contingit , contactu
virtutis , & causalitatis, C. contactu suppositi , seu rei , N.
& negatâ absolutè primâ p.min. & concessâ 2. distinctâque
3. distinctione maj. N. conf.

550 Itaque licet Sacra menta , quia corporea , recipi-
re non valeant virtutem spiritualem permanentem , & com-
pletam , quia hæc debet subjecto proportionari , posseunt tamē
trans-

transuntem, & incompletam ; hæc enim , non cum subje-
cto commensurari debet , quod potius ut mobile respicit;
sed cum termino , & cum agente principali. Talis autem
est motio illa divina , Sacramentis impressa ad producen-
dam gratiam, ut respondet D. Th. hic a.4. ad 1. Nec obstat
paritas de virtute corporeâ, neutiquam in subjecto spiritua-
li receptibili : *Tum* quia hæc exigit necessariò subjectum
extensem, & quantum , adeòque corporeum ; virtus autem
spiritualis potest esse tota in toto, & tota in qualibet parte,
adeòque non exigit subjectum indivisibile : ad instar animæ
rationalis informantis corpus extensem. *Tum* , quia re-
pugnat corporeum perficere spirituale , non tamen econ-
trà ; omne autem accidens perficit subjectum.

551 Licet autem omne instrumentum physicum habe-
re debeat actionem propriam & præviam (alioquin solùm
esset medium deferens actionem principalis agentis;) nō ta-
men quodlibet eandem : actio enim prævia instrumenti af-
sumpti ab agente naturali , debet esse effectui intento pro-
portionata , & ad illum disponens ; nullus enim ad scriben-
dum assunit hastam, sed calatum: Secùs est de actione præ-
via instrumenti virtutis divinæ, qnæ cùm infinita sit, ad nul-
lam aptitudinem instrumenti coarctatur , sed quolibet ad
quodlibet uti potest ut instrumento, quantumvis disparatō,
imò in speciem contrariō ; qualiter appositione luti cæcum
illuminavit. Porrò singula Sacraenta actionem præviam
habent, licet non dispositivam ad gratiam ; aqua enim bap-
tismatis, corpus abluit, ut cor mundet : Sacerdos verba pro-
fert, ut animam sanet: Sacra Unctio corpus linit, ut animam
roboret ; & sic de reliquis.

552 Propinquitas demùm , seu conjunctio agentis ad
passum (ut ultimi solutionem explicemus) est conditio, di-
vinâ virtute supplebilis : posset enim Deus elevare cala-
num hæc scribentis , ad suscitandum mortuum Romæ ja-
centem ; nam qui contulit spiritibus per naturam agere sine
contactu molis , potest hoc dare corporibus per virtutem
supernaturalem. Sanè humanitas Christi operabatur physi-
cè miracula , juxta D. Th. & tamen operabatur in distans,

ut patet Joan. 5. *Vade, filius tuus vivit.* Et modò in Cœlo existens , gratiam in nos physicè producit, solô utique virtutis contactu. Et hæc, citra aleam , est mens D. Th. suprà enim q.48. a.6. ad 2, ait : *Passio Christi, licet sit corporalis, habet tamen spiritualem virtutem ex divinitate unitâ ; & ideo per spiritualem contactum efficaciam sortitur.* Et q. 56. a.1. ad 3. *Resurrectio Christi est causa efficiens nostræ resurrectionis virtute divina , cuius proprium est mortuos vivificare. Quæ quidem virtus præsentialiter attingit omnia loca , & tempora.* Et talis contactus virtutis sufficit ad rationem hujus efficientiæ.

553 Opp. 3. Gratia sacramentalis solùm confertur in instanti extrinsecè terminativo verborum , & actionis sacramentalis , quia in illo præcisè habet completam significationem ; sed tunc jam sacramentum non est , jam enim transiit actio sacramentalis , & successiva prolationis verborum ; quod autem jam non est , nequit physicè causare: ergo. Præt. Sacramentum fictè suscepsum , causat gratiam recedente fictione ; sed tunc sæpè jam diu transit: ergo, & dùm gratiam causat ; ac proinde non causat illam physicè. Præt. Nulla creatura potest esse instrumentum creationis , juxta D. Th. I.p.q.45.a.5. ergo nec productio- nis gratiæ; hæc enim verè creator, ut plures docent, vel fal- tèm concreatur , juxta alios: ergo. Tandem. Nec huma- nitas Christi , neque ejus passio , causant physicè gratiam: ergo neque Sacra menta, quorum tota vis ex illis dimanat.

554 Ad 1. resp. Sotus, quòd sicut in causis naturalibus, Deus utitur Cœli motu ad producendos effectus (quod nec Philosophos latuit, ut notat D.Th.) sic utitur actione successivâ Sacramenti ad producendam gratiam; licet id non perficiat usque ad finem prolationis verborum. Dist. igitur subsump. Quod non est , nec immediatè anteà fuit, &c. C. Quod non est , sed immediatè anteà fuit , N. min. & cons. Nam de ratione actionis successivæ produ- centis terminum , est , quòd iste non existat , donec ipsa desierit , ut apud omnes est in confessio; adeòque necessum est, ut primum esse gratiæ, sit primum non esse Sacramenti causantis illam. Vide D.Th. infrà q.75. a. 7. ad 3. & in 4.

d.8. q.2. a.3. ad 6. quem utinam legissent Adversarii.

555 Et licet Eucharistia, peractâ consecratione, contineat Christum authorem gratiæ toto tempore quô species conservantur incorruptæ, (in quo reliqua Sacra menta in usu consistentia antecellit, juxta Trid. sess. 13. cap.3. & can.4.) Quia tamen non confert gratiam ex opere operato, nisi cum sumitur spiritualiter, sacramentaliter, & realiter, ut docet idem Trid. cap.8. & can.8. ideo gratiam confert in instanti extrinsecō terminativō perfectæ manducationis, in quo est verum dicere, *Nunc non est manducatio, & immediate anteā fuit.* Unde universaliter verum est in omni Sacramento, tunc primūm gratiam conferre, dūm primūm definit motus, seu usus Sacramenti.

556 Ad 2. dist. ult. cons. Non causat physicè gratiam, si characterem non imprimit, C. si illum imprimat, N. Itaque Sacra menta non imprimentia characterem, fictè suscepta, solùm moraliter producunt gratiam, recedente fictione, ob defectum existentię, quia nec tunc sunt, nec immediate antea fuerunt: secus si imprimunt characterem, quia in hoc, tanquam iu sua virtute, perseverant, ut docet D. Th. in 4.d.4.q.3.a.2.qq.3. his verbis: *In Baptismo imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam;* & ideo cum fictio non auferat characterem: recedente fictione, quæ effectum characteris impidebat, character qui est præsens in anima, incipit habere effectum suum; & ita baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur.

557 Ad 3.N.min. Ad prob. N.ant. Licet enim productio gratiæ reducatur ad creationem, simpliciter tamen non creatur, sed educitur de potentia obedientiali animæ, ut perpetuò docet D. Th. Videatur 1.2. q. 110. a.2. ad 3. & q.112. a.1. ad 2. & in terminis q. 27. de verit. a. 4. ad 15. dicens, quod creatio nihil præsupponit circa quod possit fieri instrumentalis actio; recreatio (seu productio gratiæ) præsupponit: ideo que non est simile. Ad ult. N.ant. Licet enim Hennus dicat, illud esse juxta Trident. sess.6. cap.5. egregiè fallitur, ut legenti constabit. Et advertere debebat, oppositum ex professo doceri à D. Th. cuius doctrinam ubique Trident. ex-

cribendo confirmat. Videatur S. D. locis laudatis N. 543. *Loca* autem S. D. à Vazq. aliisque objici solita, nec apparentem continent difficultatem, ideoque jurè illa missa facimus, videnda apud Pradum, aliosque. *Profectò* S. D. omnia & singula argumenta, quæ contra influxum physicum Sacramentorum opponunt Adversarii, sibi jam objecerat & disolverat. Videant igitur ipsi, pro quibus stet.

DUBIUM II.

Utrum Sacra menta vivorum aliquando conferant primam gratiam?

558 **S**upp. 1. illam dici *primam gratiam*, quæ pri-
mū anima perfunditur, seu, quæ primò ju-
stificat, & à peccato mundat. *Secunda* verò est, gratiæ
præexistentis augmentum. *Supp. 2.* Ea dici Sacra menta *vivorum*, quæ vitam spiritualem supponunt, & ad eam perfi-
ciendam per se primò ordinantur, ut sunt omnia, præter
baptismum, & pœnitentiam; quæ Sacra menta *mortuorum*
ideò vocantur, quia pro vivificantis spiritualiter mortuis
per peccatum originale, vel actuale, instituta sunt; ideòque
baptismus dicitur, & est quædam spiritualis regeneratio,
pœnitentia verò, spiritualis suscitatio.

559 *Supp. 3.* Sacra menta *mortuorum* per se primò
conferre primam gratiam, & secundariò secundam. *Pri-*
mmum constat cont. *Nominales*, quia per solam primam
gratiæ remittitur peccatum mortale, originale, vel actua-
le, ad quorum deletionem ex sua primaria institutione or-
dinata sunt. *Secundum* etiam patet, Sacra menta enim no-
væ Legis conferunt gratiam rectè dispositis, juxta Trident.
sed accedens ad baptismum, vel pœnitentiam, perfectè
contritus, est rectè dispositus: ergo recipit gratiam; non
primam, quam jam habet: ergo secundam: adeòque cen-
sendum est, Christum indirectè, secundariò, & ex conse-
quenti voluisse, quod hæc Sacra menta, dum gratiam inve-

nirent, illam augerent, nè fraudarentur suō effectu dūm melius dispositis ministrarentur. *Supp.* tandem, Sacra menra vivorum per se primō causare secundum gratiam, ut constat ex dictis. His suppositis,

560 *Concl.* est affirm. & com. cont. *Nominales*, quibus adhærent Vazq. Bernal, & quidam alii. Traditur expressè à D. Th. infrà q. 72. a. 7. ad 2. dicente: *Si etiam non perfectè contritus accedit, dummodò non factus accedit, per gratiam collatam in hoc Sacramento (Confirmationis) consequitur remissionem peccatorum.* Idem docet de Euch. q. 79. a. 3. de Extrema Unctione, in 4. d. 23. q. 1. a. 1. *Prob.* autem. Quia omnia Sacra menta novae Legis conferunt gratiam non ponentibus obicem, juxta CC. Flor. & T. id. sed existens in mortali, credens se bonâ fidē contritum, aut nullius lethalis peccati reum, non ponit obicem gratiæ: ergo illam recipit. *Præt.* Sacra menta mortuorum, per se primō instituta ad causandam primam gratiam, si per accidens eam inveniant in subiecto, per se secundò, & ex consequenti, conferunt ejus augmentum, seu secundam gratiam: ergo pariter; quia Dei perfecta sunt opera.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

561 Nulla Ecclesiæ Traditio, aut diffinitio, vim illam tribuunt Sacra mentis vivorum: ergo nec à nobis est illi tribuenda. *Præt.* Non sufficit attritio existimata, ut operentur Sacra menta mortuorum: ergo nec sufficit contritio existimata, ut operentur Sacra menta vivorum. *Præt.* Christus non requisivit ad Sacra mentorum receptionem dispositiones existimatas, sed veras: ergo tametsi quis bonâ fide credit, se esse dispostum, si non sit, non operabitur Sacra mentum. *Ad 1. dist. cons.* Non est à nobis tribuenda, tanquam de fide, C. conjecturaliter, N. Quamvis enim id expressè non tradat aut diffiniat Ecclesia, (alias concl. esset immediatè de fide) docent tamen D. Th. & ferè omnes Theologi, ac colligi videtur ex natura, institutione, & fine Sacra mentorum.

562 *Ad 2. R. disp.* esse quèd attritio solùm existimata, non est dispositio ad gratiam, juxta doctrinam Ecclesiæ;

se-

secùs attritio vera; unde existimata contritio , sufficit ad effectum Sacramenti vivorum. *Ad 3. dist. ant.* Non requisiuit, &c. ad tollendam indignitatem positivam , C. negativam , N. Unde talis non accedit quidem dignus positivè, cùm sit in statu peccati , accedit tamen dignus negativè, id est, sine indignitate, & obice cognitò: Et quòd sic non indignè accedens , effectum recipiat Sacramenti , maximè commendat divinam clementiam, & nostrorum Sacramentorum dignitatem , & excellentiam.

563 *Opp.2.* Sacraenta vivorum non significant gratiam primam: ergo illam non causant. *Præt.* Cibus materialis mortuo appositus, illum non nutrit, aut vivificat : ergo nec cibus spiritualis Eucharistiae effectus illos confert animæ per peccatum mortuæ. *Præt.* Obex ad effectum Sacramenti vivorum , est peccatum mortale : ergo. *Tandem.* Paritas illa secundæ rationis est nulla , *tum*, quia antecedens à tota recipitur Ecclesia, secùs consequens. *Tum*, quia est à minori ad majus ; majus quippè est , gratiam peccatori, & inimico conferre, quām illam justo , & amico augere. *Ad 1. dist. ant.* non significant primariò , C. secundariò, & ex consequenti, N. *Ad 2.R. disp.* esse , quòd cibus spiritualis , ad differentiam corporalis , potius alitum in se convertit , juxta illud Domini ad Aug. *Nec tu me mutabis in te , sicut cibum carnis tuae , sed tu mutaberis in me.* Nec taliter fuscipienti defunt operationes vitales fidei , spei , doloris, &c. quas elicit per auxilia gratiæ.

564 *Ad 3.Dist:ant.* Obex ad effectum , &c. spectatâ primariâ iustificatione, C. secundariâ, quatenus nempe , noluit Christus Sacraenta fraudari suò effectu in casu conclusionis, subdist. est peccatum mortale, non retractatum, C. retractatum modò præfatò, N. *Ad ult.* N. ant. *Ad 1. prob.* N. cons. nam cùm probatio debeat esse à notioribus, & certioribus; rectè argumentamur assumendo ant. ab omnibus receptum , ut legitimâ illatione inferamus consequens, à ferè omnibus Theologis acceptatum , ut impugnemus eos , quibus aliter incedere libuit. *Ad 2. prob.* N. ant. *Ad prob. Dist.ant.* Majus est, &c. ex parte facti , C. ex par-

parte principalis agentis, cui omnia sunt æqualiter facilia, N. *Quodcumque enim factum, divinæ potentiae comparatum, est minimum*, ut ait D.Th. 1.p.q.105. a. 8. In rebus mirabiliter factis, tota ratio facti est potentia facientis, ut loquitur Aug. ep.3. ad Volusianum: supposito ergo, quod potuit sic statuere; paritate illâ colligimus, sic de facto statuisse, & hanc voluntatem implicitè & secundariò in revelatis continentieri.

565 Inquires: Quid addat gratia sacramentalis supra gratiam habitualem? R. juxta frequentiorem Thomist. sent. addere aliquid intrinsecum; non quidem habitum, sed vim & vigorem specialem permanentem, modaliter solum distinctum à gratia habituali, illamque intrinsecè perficiētem, & ad quosdam speciales actus determinantem. Ideoque D.Th. hic a.2. ad 3. ait, quod ratio sacramentalis gratiae se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus. Species inquam, si perfectæ & completæ; certè incompletæ & modalis. Profectò, si gratia sacramentalis nihil intrinsecum permanens gratiæ habituali realiter superadderet, frustrà multiplicarentur Sacra menta, cùm in unoquoque gratia communiter dicta, virtutibus infusis stipata habeatur.

566 Nec oppositum innuit dūm ibidem in corpore ait, gratiam sacramentalem addere habituali quoddam auxilium divinum ad consequendum Sacramenti finem necessarium: nomine quippe auxiliū intelligit præfatum vigorem permanenter auxiliantem, specialis effectus productivum. Unde q.72. a.7. ad 2. ait, quod gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur Sacramentum: Nec apud ipsum est novum, quod nomine auxiliū aliquid habituale, & permanens intelligatur, ut appositi observat J. à S. Th. nam 1.2.q.109. a.7. docet, requiri auxilium gratiæ ad hoc, quod homo resurgat, & quantum ad habituale donum, & quantum ad interiorem Dei motionem.

DUBIUM III.

Quid sit Charakter Sacramentalis, & quodnam immediatum illius subjectum?

567 **A**bsolutâ disp. de præcipuo & universali omnium Novæ Legis Sacramentorum effectu, scilicet, Gratiâ sanctificante ; agit S. D. de secundario quo-rundam eorum effectu ; scilicet Charactere , cuius essentiam & subjectum inquirimus præsenti dub. Ante cujus resol. supp. ut fide certam, cont. Uvileph. Luch. Calv. & sequaces , characteris existentiam ; id enim à Scripturis insinuatum , & ex Apostolicâ traditione acceptum exprefsè diffinivit Ecclesia in Flor. Decretō de Sacram. & in Trid. sess. 7. can.9. per hæc verba : *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indeleibile, uude ea iterari non possunt; anathema sit.* Hinc omnes Theologi (unō excepto Vazq.) variis censuris jurè notant opinionem Dur. afferentis , Characterem in sola relatione rationis , aut extrinseca denominatione consistere, de quo videsis Eruditiss. J. Mart. de Prado hic dub.2. §. 1. Hoc igitur supp. fit

568 Prima conclusio : *Charakter sacramentali non est relatio prædicamentalis, sed solum potentia spiritualis physica instrumentalis, reductive pertinens ad secundam speciem qualitatis.* Quoad i.p. est com. cont. Scot. problematicè defendentem, esse relationem, vel qualitatem. Constat autem. Tum, quia ad relationem non datur per se motus ; tria autem Sacra menta characterem producunt. Tum , quia relatio non est activa ; character autem est divinorum agendorum , vel patiendorum principium. Tum, quia nullum assignari potest talis relationis fundamentum : non gratia, vel fides, quæ possunt , permanente charactere, deperire : non anima, vel facultas naturalis , quæ sœpè charactere caret : non suscep-
tio

tio Sacramenti, quia illâ transactâ, character perseverat. *Tum* demùm, quia relatio, propriè loquendo, non imprimitur: Non est igitur character relatio; sed triplicis relationis fundamentum, cùm enim sit signum distinctivum, & configurativum; fundet, necesse est, relationem ad signatum, ad ea à quibus distinguit, & ad ea quibus assimilat, ut docet D.Th. in 4.d.4. q.1. a.1.

569 Quoâd 2. verò p. est expressa D.Th. hîc a. 2. aliisque, & com. Thomist. quibus adhærent Henr. Valen. aliique plures. Et quidem, characterem non pertinere ad aliam qualitatis speciem; prob. nec enim est dispositio, cùm hæc naturâ suâ citò transeat, character autem est indelebilis. Nec est habitus, ut volunt plures RR. cum Suar. quia charactere possumus benè, vel malè uti, secùs habitū; & hæc est differentia assignata à Phil. 2.Eth. c.5. & 5.Metaph. tex.25. inter potentiam & habitum, inde orta, quòd habitus datur ut determinet potentiam ad modum operandi benè vel malè: potentia autem destinatur ad simpliciter & absolute operandum. Et hæc ratio D.Th. est efficax, ex necessariis procedens, quidquid aútumet Suarez. Nec est in tertia specie qualitatis, in qua non sunt nisi passiones & qualitates sensibiles, qualis non est character. Nec demùm in quarta, quia figura, cùm sit quædam terminatio quantitatis, propriè non est nisi in corporalibus, in spiritualibus autem solùm metaphoricè.

570 Quòd autem sit potentia spiritualis, prob. rat. D.Th. character enim juxta Dion. c.2. Eccl. Hierar. datur ad deputandum hominem ad cultum Dei, vel ut recipiat, vel ut aliis ministret aliquid divinum: ergo est spiritualis potentia, quia ad utrumque illorum requiritur aliqua potentia, vel activa, vel passiva. Prob. deinde, hanc spiritualem, potentiam esse instrumentalem, sicut de virtute quæ est in Sacramentis dictum est suprà. Quia habere characterem, convenit Ministris Dei; sed Ministri habent se per modum instrumenti, juxta Phil. 1.Polit. ergo. Et hinc tandem habetur, quòd character non est propriè in genere, vel specie, sed solùm reductivè; quia non est entitas completa, sed

sed incompleta , quemadmodum de virtute sacramentali suprà diximus.

571 Secunda concl. Subjectum proximum & immediatum characteris , non est essentia animæ , nec voluntas, nec intellectus, & voluntas simul , sed solus intellectus ; non quidem speculativus , sed practicus. Sic D.Th. a. 4. cui, præter omnes ejus Discipulos , subscribunt Henr. Val. Granadus, Salas, & quamplures alii. *Prob. 1.p. cont. Marfil. Suar. Vazq.* aliosque : Cùm enim character sit potentia activa, subjectum immediatum illius debet esse immediatè operativum, qualis non est anima , utpotè substantia , ob dicta à Nostris 2. *Physic.* Potentiæ autem naturales (ut instantiam præcludam) ab anima profluunt tanquam propriæ illius virtutes, nec illam ad operandum elevant, adeòque non exigunt in illa proximam activitatem , cuius oppositum competit potentia supernaturali , qualis est character.

572 Secunda p. prob. cont. *Scot.* Quia character est ex se indifferens ad bonum, & malum: ergo non est in voluntate , quæ non nisi qualitatibus determinatè bonis , vel determinatè malis informatur. Habitus autem indifferens, non minus repugnat, quam actus in individuo talis, quidquid opinetur Suarez. *Tertia* (quæ est cont. *Alen. & D. Bonav.* quibus adhaeret *Bernal,*) constat generali rat. quia unum accidens nequit esse in diversis subjectis. *Ultima* demum p. prob. rat. D.Th.a.4.ad 3.character enim ordinatur ad ea quæ sunt divini cultūs , qui est quædam fidei protectione per exteriora signa: ergo debet esse in intellectu pratico , in quo est fides.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

573 Opp.1. cont. supp. cum Hæreticis. Nulla in Scripturis fit mentio characteris : Imò nec inter Scholasticos ipsos est aliquid certum de charactere. *Præt.* Quia character nec requiritur ut distinctivus , nec ut deputativus ad certa munia : *Non* primum , nam Deus & Beati sine illo cognoscunt , Petrum esse baptizatum , confirmatum, ordinatum : *Damnati* supernaturalia non cognoscunt : Viatores

res characterem nec in se vident, neque ex aliquo effectu clarè deprehendunt. *Nec secundum*, ut patet in veteri Legē, in qua nullus erat character, & in omni Politia, tam civili, quām Ecclesiasticā: ergo. *Ad 1.* præmisso ant. (cujus oppositum multis conantur ostendere Bellarm. aliique) N. cons. Multa enim sunt fidei Dogmata, quæ ex solā Traditione habet Ecclesia, ut ostendimus tom. 3. à N. 722. Scholastici autem characteris existentiam unanimes fatentur, tamēsi dissident circa illius quidditatem, quod ad Scholæ exercitium, non ad fidem pertinet.

574 *Ad 2.* dist. ant. non requiritur, absolutè, C. congruenter, & attentâ suavi Dei providentiâ, N. ant. quoad utramque p. Ad prob. 1. R. ex D. Th. hīc a. 1. ad 2. & in 4. d. 4. q. 1. a. 2. qq. 1. ad 2. & qq. 2. ad 3. quod character quoad Viatores, distinguit causaliter, quatenus Sacramentō sensibili imprimitur, ut etiam docet hīc a. 1. ad 2. Sed in alia vita, distinguit formaliter & secundum se fideles Christi à servis diaboli in ordine ad cultum præsentis Ecclesiæ: sicut distinguit gratia in ordine ad vitam æternam: Non quod Deus & Beati his indigeant ad Justos, & Christianos cognoscendos; sed quia sic melius, efficacius, & nobilius participant Sacerdotium Christi, & ei configurantur. Videatur S. D. hīc a. 1. ad 1. *Ad prob. 2. p. N. cons.* juxta dist. datam. Licet enim potuerit Deus aliter statuere; propter excellētiā tamen Sacerdotii Christi, placuit ipsi, suaviter omnia disponenti, Christianos milites spirituali, internò, & indelebili insignire charactere: sicut, ob majorem efficaciam divinæ operationis & amicitiæ, voluit amicos suos interiori à se diffusâ adornari gratiâ, quod in humana amicitia non reperitur.

575 *Opp. 2. cont. 1. p. 1. concl.* Character, juxta CC. & PP. est signum; sed signum est relativum: ergo. *Opp. præt. cont. 2. p. cum Suar.* Nulli characteri sacramentali convenire potest ratio potentiae: ergo. Prob. ant. Nam imprimis character Baptismi, nec est potentia activa, ut patet; nec passiva; nec enim in se recipit alia Sacraenta (cum hæc recipientur in corpore) nec gratiam aliorum Sacramento-
rum,

rum, in anima immediatè receptam, nec alios characteres, cùm isti immediatè recipiantur, non secùs ac ipse baptismalis: ergo.

576 Character etiam Confirmationis, nec est potentia activa ad protestationem fidei; nec passiva ad ordinum susceptionem, cùm non confirmatus utrumque possit, fidem scilicet firmiter profiteri, & validè ordinibus initiari. Character demùm Ordinis, non est potentia passiva, ut patet; nec etiam activa, quippè nec alia efficit Sacra menta (cùm hæc materialiter sumpta, à membris externis efficiantur) nec illorum effectum seu gratiam, hanc enim non cau fat Sacerdos per characterem, sed per Sacramentum quod ministrat; cùm illam æquè causaret non Sacerdos, imò non baptizatus. Nec demùm efficit Transubstantiationem, cùm hæc sit maximum miraculum, & repugnet, juxta D. Th. qualitas permanens (qualis est character) patrativa miraculorum.

577 Ad 1. R. cum D. Th. híc a.2. ad 3. Dist. maj. Est signum, fundamentaliter, C. formaliter, N. & sic distinctā min. N. cons. relatio enim hujus signi quod est character, fundatur immediatè super essentiam characteris, quæ quid absolutum est. *Ad 2.* (quô convincitur Suarez ad deserrandam sent. D. Th. ut ingenuè fatetur) N. ant. Ad 1. prob. concessâ 1. p. ant. N. 2. Ad prob. N. cons. Potentia enim passiva non semper debet in se recipere, sed subjectum ad receptionem disponere: molliies enim in cera, est potentia passiva ad sigillum, juxta Phil. quod tamen ipsa non recipit, sed tantùm ceram capacem reddit ad illud recipiendum: Gravitas terræ, est pariter potentia passiva ad motum deorsum (juxta D. Th. 5. Metaph. lect. 15.) quem tamen ipsa non recipit, sed terra, quam gravitas aptam ad illum reddit. Quamvis ergo character baptismalis alia Sacra menta, eorumque effectus in se non recipiat; est nihilominus potentia passiva respectu illorum, cùm hominem capacem reddat ad eorum receptionem. Nec mirum, quod solus character baptismalis, sine prævio alio charactere recipiatur; lapis enim fundamentalis aliis substernitur, nulli in nixus.

Ad

578 Ad 2. ant. prob. N. ant. quoàd utramque p. Est enim character confirmationis, potentia *passiva* ad congruè recipiendum Sacramentum Ordinis; & simul *activa* ad protestandam fidem coram illam impugnante: nam confirmatus id exequitur tanquam Minister deputatus ex officio ad illud, adeoque peculiari quôdam modô, & speciali vigore, qui non confirmato non competit. Ad 3. prob. concessâ 1.p. ant. loquendo de charactere sacerdotali (reliquorum enim Ordinum characteres sunt simul potentiae *passivæ* respectu superiorum, & *activæ* respectu priorū actuum) N.2. Ad cuius prob. N. ant. quoàd omnes partes. Ad Prob. primæ, N. cons. character enim, tametsi qualitas spirituialis, potest ut instrumentum virtutis divinæ, ad Sacraenta materialia effectivè concurrere: quemadmodùm res ipsæ materiales, ut instrumenta Dei, res spirituales efficiunt. Et maximè cùm actiones illæ materiales, & sensibiles (in quibus Sacraenta de materiali consistunt) non procedant à charactere formaliter quâ tales, sed quatenus Sacraentalis sunt, & productivæ gratiæ, & characteris, quod est quid reale, & excellentissimum in operationibus illis.

579 Ad prob. 2.p.N. ant. quoàd 1.p. sicut enim virtute divinâ elevatur Sacramentum ad causandam gratiam; sic eâdem virtute elevatur character Sacerdotalis ad causandam immediatè instrumentaliter eandem gratiam, ita ut ad eam concurrant velut unicum instrumentum unius, & ejusdem divinæ virtutis. Dùm autem baptizat non Sacerdos, aut non baptizatus, tunc non producitur gratia nisi per Sacramentum, virtute divinâ elevatum. Ac prob. ult. p. R. Divum Th. loqui de virtute permanente completâ, non verò de incompletâ, qualis est character Sacerdotalis, qui propterea ad mirabilem illam conversionem indiget speciali supernaturali motione divinâ præviâ, quâ compleatur, & reddatur proportionatus ad effectum illum tam mirabilem producendum.

380 Opp. 3. cont. 2. concl. Character est in anima, juxta CC. ergo immediatè in illa subjectatur Præt. Gratia, ad

ad quam disponit character, est immediatè in essentia animæ: ergo & ipse character. *Præt.* Potentia animæ, solius dispositionis, vel habitus est subjectum: ergo non characteris, qui non est dispositio, aut habitus, sed potentia. *Tandem:* Principium proprium proximumque divini cultūs, ad quem proximè disponit character, non est fides, sed religio: ergo character non subjectatur immediate in intellectu, in quo est fides, sed potius in voluntate, in qua est religio. *Ad 1. N. cons.* Propriè enim verificatur characterem esse in anima, quia est in illa, mediò intellectu, eò quod accidens per se non potest esse subjectum accidentis; sed substantia, unō accidente mediante, recipit aliud. Sic D, Th. in 4. d. 4. q. 1. a. 1. Videatur etiam 1.p. q.77. a.7. ad 2.

581 *Ad 2.* R. cum D. Th. h̄c a.4. ad 1. N. cons. character enim non disponit directè, & proximè ad gratiam, sed ad cultum Dei. Subjectum autem tribuitur accidenti secundùm rationem ejus ad quod proximè disponit. *R. 2.* ex eodem in 4. d.4. q.1. a.3, qq.1. ad 1. quod quando dispositio, & perfectio differunt per essentiam, possunt esse in diversis subjectis, & præcipue quando illa diversa habent ordinem ad invicem: sicut operatio sensibilis est dispositio ad intelligibilem operationem: & similiter est dispositio ad gratiam.

582 *Ad 3.* R. cum eodem h̄c, ad 2. N. ant. nam licet potentia naturalis, non sit alterius potentiae naturalis subjectum, benè tamen potentiae spiritualis supernaturalis, qualis est character, cum iste ordinetur ad actum, non minus quam dispositio, & habitus; omne autem quod ad actum ordinatur, est potentiae tribuendum. *Ad ult.* R. cum Cajet. N. cons. quia cultus respicitur à principio proximo seu Religione, prout benè fit, à qua ratione longè est character; à principio verò remoto, seu fide, respicitur, secundùm quod est, in qua ratione convenit character cum fide; fide enim, & charactere homo potest in actus religionis: Religionem autem homo benè se habet ad illos; & hinc fit, ut character respiciat Christianum cultum, ut professio quæ-

quædam fidei est, & non ut benè fit; ideoque potius ad fidei, quam Religionis subiectum accedit.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Instituto, Ministro, & numero Sacramentorum.

Expositis hucusquæ Sacramentorum *essentiâ, necessitate, & effectu*; ad completam generalem illorum considerationem, agendum restat cum S. D. q. 64. & 65. de effectiva eorundem causa (sive per authoritatem, sive per ministerium) & numero. Sit igitur

DUBIUM I.

Utrum Christus D. omnia Sacra menta Novæ Legis immediate instituerit, & quâ potestate?

583 **S**upp. ut omnino certum, solum Deum posse Sacra menta principaliter, seu propriâ, & con naturali potestate instituere. Id probat S.D. q. 64. a.2. hâc demonstratione theologicâ: Ille enim sic instituit aliquid, qui dat ei robur, & virtutem, ut patet de institutoribus legum; sed solus Deus potest dare Sacramentis virtutem, & robur ad causandam gratiam, cuius ipse solus est causa principalis: ergo. Hôc supposito,

584 Prima concl. est affirm. & de fide (saltè media tè) cont. quosdam veteres, oppositum tenentes quoâd Confirmationem, Pœnitentiam, & Unctionem. Colstat autem ex Trid. sess. 7. can. 1. sic loquente: *Si quis dixerit, Sacra menta novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo, Domino nostro, instituta; anathema sit.* Ubi licet non addatur particula immediate, nihilominus subintelligenda est, quia id exigit

git proprietas sermonis: si enim aliqua, solum per Apostolos, aut Ecclesiam, instituisset; non diceretur simpliciter illa instituisse: Sicut non dicitur instituisse Sacra mentalia, quia dedit Ecclesiae potestatem illa instituendi. *Præt. sess. 14. can. 1.* expreßè diffinit, Extremam-Unctionem (de qua præcipua erat apud Veteres disceptatio) fuisse à Christo institutam, & ab Apostolo Jacobo solum promulgatam: *Præt.* Minus sanè est circa Sacramentorum substantiam aliquid mutare, quam illa instituere; at *sess. 21. c. 2.* negat idem Con. esse in Ecclesia potestatem aliquid circa Sacramentorum substantiam mutandi: ergo & illa instituendi. *Accedit* illud *1. Cor. 4. Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.* Quod ibidem ad idem inducit Tridentinum.

585 Quamvis autem nulla sit ratio demonstrativa hujus concl. utpotè ex mera Dei voluntate pendens; adsunt nihilominus optimæ congruentiæ ex D. Th. desumptæ hic a. *1. ad 1. & 3.* ubi docet, Christum non contulisse Ecclesiæ Ministeris potestatem Sacra menta instituendi, non quidem ex invidia, sed ob fidelium utilitatem: nè scilicet, spem ponerent in homine: nè dissensio oriretur in Ecclesia, ob diversitatem Sacramentorum: Tandem, nè multa capita in Ecclesia essent. *His accedit*, quòd cum Sacra menta sint Ecclesiæ fundamentum; ab illo debuerunt omnia institui, qui fundavit immediate Ecclesiam; at solus Christus est caput, & fundator Ecclesiæ: ergo ille solus omnia illa immediate instituit.

586 Secundâ concl. *Christus, ut Deus, instituit Sacra menta potestate authoritatis; ut homo verò, potestate ministerii principalis, seu excellentiæ.* Est com. & quoad *1. p.* constat ex supp. suprà factâ N. 583. *Quoad 2.* verò ex illo Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* *Præt.* Christus, quā homo, verè Sacra menta instituit, Eucharistiam enim, v.g. instituit discessurus ex hoc mundo ad Patrem, ut docet Trid. *sess. 13. cap. 1. & 2.* discessurus autem erat ut homo, & loquebatur ut homo. Et de illo dicente ut homine: *Accipite,* &

& bibite, canit Ecclesia: sic Sacrificium istud instituit; sed ut homo, non potuit Sacra menta instituere potestate authoritatis, propriâ Dei: ergo potestate excellentiæ. Quæ quidem excellentia, ultra Sacramentorum institutionem, tria alia importat, scilicet, *meritum, nomen, & independentiam*, id est, quod meritum ejus operatur in Sacramentis; quod ita in nomine ejus sanctificantur; & quod fine Sacramento potuit effectum Sacramenti conferre.

587 Tertia concl. Potuit absolute Christus hanc suam excellentiæ potestatem Ministris communicare; non tamen omni eminentia, quā in ipso fuit. Quoad 1. p. est expressa D. Th. hic a.4. & com. cont. Scot. Dur. & Vazq. Et prob. *Tum* ex Aug. afferente, Christum sibi retinuisse potestatem aliis communicabilem *Tum*, quia nulla in hoc apparet repugnantia. *Tum*, quia instrumentum conjunctum (ut erat Christus) quanto fortius est, tantò magis potest virtutem suam instrumento separato communicare, ut manus baculo: ergo potuit Christus tantam Ministris dare gratiam, ut eorum meritum operaretur ad effectum Sacramenti; ut eorum nomine sanctificaretur; ut possent illud instituere; & sine illo dare gratiam solō imperio; in quibus prælata potestas excellentiæ consilit. *Tum* demum, quia potestas excellentiæ in Christo, est essentialiter ipsa gratia capitalis, communicabilis puræ creaturæ, utpote essentialiter indistincta à gratia personali, juxta D. Th. sup. q.8. a.5. ergo.

588 Quoad 2. verò p. prob. Eminentia enim potestatis excellentiæ Christi, est, esse instrumentum conjunctum Divinitati in Persona, ut ait D. Th. hic a.3. sed repugnat extermenis, purum hominem esse instrumentum divinitati conjunctum: ergo. *Præt.* Talis eminentia includit dignitatem infinitam meritoriam, & satisfactoriam; sed hæc repugnat puræ creaturæ, ut ostendimus agendo de necessitate Incarnationis: ergo. *Hæc* omnia apertè tradit S. D. in 4. ad Anib. d. 5. a. 3. dicens, quod Christo aliquid conveniebat tripliciter: unò modò, ratione divinitatis: & hujusmodi aliis hominibus communicare non potuit: Aliò modò, ratione unionis humanæ naturæ ad divinam; & hujusmodi etiam com-

municare non potuit alii homini , nisi similiter ab alia Persona divinâ assumeretur... Tertio ratione humanitatis absolute ; & hujusmodi potuit aliis communicare.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

589 Opp. i. cont. i. concl. Plura aguntur in Sacramentis , de quibus nulla fit mentio in Scrip. S. ergo. Præt. Apostoli vicem Dei gesserunt in terris : ergo aliqua statuerunt Sacra menta. Præt. Christus illos misit cum eadem potestate, quam à Patre accepit , juxta illud Joan. 20. *Sicut misit me Pater , & ego mitto vos* : ergo cum potestate Sacra menta instituendi : ergo aliqua instituerunt , ne esset superflua. Tandem: Nullibi fit mentio institutæ Extremæ Unctionis , nisi Jacobi 5. *Infirmatur qui in vobis , &c.* ergo ab ipso fuit instituta. Ad i. R. cum D. Th. a. 2. ad i. N. cons. omnia eniū quæ sunt de necessitate Sacramenti , sunt à Christo instituta ; & licet non omnia sint in Scriptura, habentur tamen per traditionem Apostolicam. Pertinentia verò ad solemnitatem , & devotionem , sunt per homines instituta.

590 Ad 2. resp. S.D. ibidem ad 3. Apostolos , & successores , esse Dei Vicarios quoàd régimen Ecclesiæ , constitutæ per fidem , & Sacra menta : unde sicut non possunt aliam Ecclesiam constituere ; ita nec aliam fidem tradere , nec alia instituere Sacra menta. Ad 3. N. ant. Ad prob. R. ly sicut non importare omnimodam paritatem ; uti nec in illis Christi verbis Joan. 18. *Pater Sancte , serva eos... ut sint unnm , sicut , & nos.* Ad ult. N. ant. Nam Marci 6. legitur: *Ungebant oleo multos , & sanabant..* Quô factô , docet Trid. sess. 14. cap. i. insinuatam esse Extremam Unctionem , ut jam institutam. Verbis igitur Jacobi non continetur hujus Sacramenti institutio , sed promulgatio , ut ibidem , & can. i. diffinit Trident.

591 Opp. 2. cont. eandem illud Cypriani serm. de ablutione pedum : *Ipse Summus Sacerdos , sui est Sacramenti institutor , & Author : In cæteris , homines Spiritum S. habuere Doctorem*: ergo solius Eucharistiae fuit Christus immediatus Author. Præt. Aug. lib. 3. de doct. Christ. c. 9. de Sacramentis novæ Legis sic loquitur : *Quædam pauca pro mul-*

tis . . . ipse Dominus , & Apostolica tradidit disciplina : ergo partim à Christo , partim ab Apostolis instituta sunt. *Ad 1.* R. 1. sermonem illum (alia difficilia continentem) non esse Cypriani , sed ignoti Authoris , ut observant Bellar. Gravina , & alii ; adeoque nos ejus authoritate non premi. Et sanè argumentum militat cont. hæreticos illud opponentes qui fatentur , baptismum fuisse à Christo institutum. *R.2.* Per ly , *Sui Sacramenti* , intelligi omnia Sacra menta: per ly autem , *in cæteris* , cære monialia , ab Ecclesia , solemnitatis , & excitandæ devotionis gratiâ , instituta. *Ad 2.* N. conf. solum enim vult Aug. quod Sacra menta à Christo instituta , fuerunt ab Apostolis promulgata , & explicata ; idque denotat vox *disciplina* , quæ non institutionem , sed docentis , & explicantis munus , significat.

592 Opp. tandem cont. 3. concl. cum Vaz. Potestas instituendi Sacra menta , ei solum convenire potest , à quo oritur primum Sacra menti decretum ; cùm instituere ali quid , nihil sit aliud , quām illud incipere , & quasi ab initio decernere ; sed primum Sacra menti decretum est Dei proprium : ergo soli illi , &c. *Præt.* Justificatio impii est quid majus creatione Cœli , & terræ , juxta Aug. sed virtus creandi nequit creaturæ , nè ut instrumento quidem , communicari : ergo. *Ad 1.* dist. min. Primum Sacra menti decretum , in genere causæ principalis authoritatè statuentis , C. in genere causæ instrumentalis ministerialiter stabilientis , N. & N. conf. Argum. si quid probat , convincit , nullum hominem posse propriè dici Legis latorem , aut Religionis Institutorem ; cùm primum Legum , aut Religionum decretum , Dei sit proprium. *Ad 2.* Resp. ex dictis tom. 3. N. 889. quod licet justificatio impii præstet creationi ex p. termini (modò ibi exposito) ex parte tamen modi agendi , creatio est major justificatione.

DUBIUM II.

*An, & qualis requiratur intentio Ministri ad va-
lorem Sacramenti?*

593 **S**upp. 1. ut certum, solum homines viatores esse ordinarios novae Legis Sacramentorum Ministros. **T**um, quia soli viatores possunt de Lege ordinaria illa recipere. **T**um, quia Christus Sacramentorum Ministros designans, solos viatores alloquebatur. De potentia tamen absoluta, possunt illa Angeli, & homines beati, & confidere, & ministrare; virtus quippe divina nulli signo, nullique Ministro alligata est: unde Angelos, ex speciali dispensatione, & Episcopos ordinasse, & Eucharistiam distribuisse, & Templa consecrassse, variis Historiae Ecclesiasticae monumentis proditum est.

594 Supp. 2. intentionem, quoad praesens, nihil esse aliud, quam voluntatis affectum, volitionem, seu propositum aliquid faciendi. Et est multiplex: Alia est rei *in se*; alia rei *in causa* quae vocari solent *directa*, & *indirecta*, sed non recte, juxta dicta de divisionibus voluntarii tom. 2. à N. 124. Alia est *interpretativa*, quae potius praelumption intentionis est, quam intentio, sive, non est intentio quae sit, sed quae foret si res proponetur. Intentio rei in se, alia est *actualis*, alia *virtualis*, alia *habitualis*: De quibus omnibus infra. Supp. 3. ad valorem Sacramenti aliquam requiri intentionem Ministri; alioquin amens, ebrius, & dormiens, possent confidere Sacramentum; quod nullus, vel haereticus, dixerit. Quid autem, & qualiter debeat intendere? in dubium vocamus. Pro cuius resol. fit.

595 Prima concl. *Ad valorem Sacramenti necessaria est intentio Ministri volentis (saltē generaliter, & confusè) facere quod facit Ecclesia, aut Christus instituit.* Est de fide cont. Uvilephistas, Lutheranos, & Calvinist. ut constat ex CC. Constantiensi, Flor. & Trid. Si quis diverit (inquit istud

ſeff. 7. can. 11.) in Ministris, dum Sacra menta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema fit. Constat præt. rat. D. Th. hīc a. 8. Tum, quia quæ ſunt præter intentionem, ſunt casualia; quod non eſt dicendum de operatione Sacramentorum. Tum, quia quando aliquid ſe habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, ſi illud effici debeat; ſed quæ in Sacramentis aguntur, ſunt indifferentia ad multa, ſicut ablutio baptismi potest ordinari, & ad munditiam vel sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia: ergo oportet, quod per intentionem abluentis determinetur ad Sacramentum conficiendum.

596 Secunda concl. *Ad valorem Sacramenti non sufficit in Ministro intentio ſerio peragendi externi ritus, qui in Ecclesia religiosus eſt; ſed neceſſario requiritur intentione faciendi ritum illum, ut sacramentalem.* Eſt com. cont. Cather. Salmeronem, Scribonium, Pasqualig. & quosdam Parifienses, & Lovanienses, quibus mordicus adhaerent Juenin, & Contensonus, immerito pro ſe adducentes Mag. in 4. d. 27. litt. C, ubi docet, malitiosam contrahentis matrimonium intentionem, Sacramenti valorem non impedire, ſi dolus, & violentia abſit. *Loquitur enim Magiſter (verba ſunt D. Th. ibi) quantum ad forum exterius Eccleſiae, in quo, secundum ea quæ apparent, judicatur.*

597 Sed iniquius adhuc in ſui partes trahere conantur D. Th. ut infra patebit: Perperām proinde allegant Sylvest. verb. *Baptismus tit. 3.* cūm ibi verbis ipſis D. Th. objici ſolitis, utatur, & conclusionem noſtrām ibi, & ubique expreſſe tradat. Perperām etiam citatur Javellus, p. 50. Phil. Christ. tract. 2. c. 6. ut iſpum legenti conſtitabit: ait enim, quod baptizans (non quidem ſerio) ſed per jocum, cum intentione tamen faciendi quod facit Ecclesia, verē conficit Sacramentum: *quoniam (inquit, & recte) intentione faciendi quod facit Ecclesia, non eſt joculatoria.* Demūm (quidquid ſit de aliis) injuſtē adducitur in idem Viguerius noſter, ut vel ex iſpīus verbis, à Contensonō adductis, evidentissimē liquet, loquitur enim de intentione conferendi effectus

Sacramenti , quam ad hujus valorem non requiri , nullus ambigit.

598 Prob. autem concl. *Tum ex Flor.* in Decreto de Sacram. ubi postquam dixit , in casu necessitatis , quemlibet etiam Paganum validè baptizare , modò servet formam Ecclesiæ ; addit , & intendat facere quod facit Ecclesia : ergo ultra intentionem pronuntiandi formam , requirit etiam intentionem faciendi quod facit Ecclesia per istam formæ pronuntiationem. *Tum ex Trid.* sess. 14. cap. 6. ubi ad validam absolutionem requirit in absolvente *animum* , & *seriò agendi* , & *verè absolvendi* ; atqui Adversarii docent , serio proferentem verba , et si animum habeat non absolvendi , validè absolvere : ergo aperte contradicunt Tridentino.

599 Et quamvis mens Concilii ibi , sicut & alibi , non fuerit Catholicorum opiniones , sed hæreticorum dogmata directè proscribere , ut appositè observat Card. Palavicinus in illius Historia : Sæpè nihilominus inter damnadas hæreses , doctrinam tradit , nonnullis Catholicorum opinionibus satis adversam , quâ proinde Theologi ad illas validè propellendas jurè utuntur. Et ita quoad prelens accidisse , contendimus : Dùm ad valorem absolutionis ex parte Ministri , non modò requirit , quòd jocus absit (quod ad condemnationem Lutheri satis erat ;) sed etiam , quòd verè absolvendi animus absit ; quod opposita nobis opinio aperte negat.

600 Prob. deinde concl. ex condemnatione hujus propositionis ab Alex. VIII. N. 28. *Valet baptismus collatus à Ministro* , qui omnem ritum externum , formamque baptizandi observat , intus verò in corde suo apud se resolvit : Non intendo facere quod facit Ecclesia. Pontifex enim non damnat errorem hæreticorum afferentium , talem baptismum jocosè collatum , valere ; id enim sufficienter à Trident. proscriptum erat : damnat igitur assertum quorundam Catholicorum , docentium , valere talem baptismum , modò seriò exterius perficeretur , quod est ipsissima opinio quam rejicimus. Imò (inquit Hennus) *dicta propositio desumpta est ex Thesi cuiusdam Doctoris mihi olim cogniti* , & familiaris , qui

qui præcisè Adversariorum sententiam sustinebat.

601 Accedit doctrina Ecclesiæ in Rubricis Missalis §.
7. de defectu intentionis, ubi sic legitur: *Si quis habeat coram se undecim hostias; & intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat*, quia requiritur intentio. Quibus recursum Adversariorum ad circumstantias, præcludit penitus. Accedit præt. quod jam universalis Ecclesiæ praxis obtinuit, ut in dubio Sacramenti in necessitate conserendi, intentio sit conditio-
nata: Ad quid enim intentio illa interna conditionata; si ab ea non dependeat Sacramentum, ubi seriò ponitur totus ritus exterior? Accedit demùm ratio D. Th. adducta N. 595. quam Ecclesiæ doctrina, & praxis canonizavit: Quia seria positio materiæ, & formæ, etiam cum intentione seriò agendi, est adhuc indifferens ad esse naturale, aut sacramentale: ergo alia requiritur intentio per quam determinetur ad esse Sacramenti.

602 Tertia concl. *Ad valorem Sacramenti nec sufficit intentio in causa, nec interpretativa, nec habitualis: nec requiritur actualis, & si optima; sed sufficit, & requiritur saltèm virtualis.* Quoad tres priores pp. constat, quia si intentio in causa, aut habitualis sufficerent, posset quis ebrius, aut dormiens Sacraenta conficere: Et cum interpretativa, nec existat, nec extiterit, & habitualis non remaneat, influere nequeunt in actionem deliberatam, qualis esse debet Sacramentalis. *Quarta p.* etiam constat, nec enim credibile est, Christum illam in nobis exigisse; nam eam semper habere, est moraliter impossibile; cum sæpè cor nostrum derelin-
quat nos, adeoque si necessaria foret, frequens esset Sacra-
mentorum nullitas, cum maximo salutis dispendio. *Ultima* demùm p. docetur à D. Th. hīc a.8. ad 3. dicente: *Cum Sa-
cerdos accedens ad baptizandum, intendit facere quod facit Ec-
clesia; si postea in exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapia-
rur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.* Et ratio est, quia virtualis intentio sufficit ut actio sit humana,
& deliberata: ideoque & attentio virtualis sufficit, ut ora-
tio sit memoria: *Ad meritum etiam sufficit virtuale chari-
ta-*

tatis imperium ; & ad agendum propter finem , sat est virtualis permanentia intentionis illius.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

603 Opp. 1. cont. 1. concl. Innocentium IV. lib. 3. Decret. c.2. docentem, baptismum esse ratum , licet Minister gerat in mente non facere quod facit Ecclesia. Præt. Nicolaus I. consultus à Bulgaris de baptizatis à quodam Judæo , de quo dubitabatur , an esset Christianus ; respondit, non esse rebaptizandos, modò Judæus ille debitam adhibuerit formam, nullâ intentionis facta mentione. Præt. Aug. lib.7. cont. Donat. c.53. existimat , valere baptismum falaciter collatum. Dubitat etiam ibidem de validitate baptismi mimicè dati. Afferit insuper inferiùs , valere baptismum ubicumque , & quibuscumque verbis Evangelicis consecratum ; Demùm tract. 5. in Joan. afferit , se in collatione baptismi non timere ebriosum : ergo non requirit in baptizante intentionem.

604 Ad 1.R. Innocentium nihil aliud velle, quām non esse necessarium, ut Minister intendat idem quod Ecclesia, quantum ad effectum Sacramenti; & valitum baptismum, etiam si putaret , baptismum nihil operari, quod verissimum est. Ad 2. R. Pontificem non fuisse consultum de intentione, sed solum de fide Ministri , cuius defectum non obesse baptismō, certum est, ut infrà patebit : Nomine autem debitæ forme , intelligit debitum ritum , comprehendentem (juxta dicta) intentionem. Ad 3. R. August. in 1. testim. non loqui de falaciā , seu defectu intentionis faciendi quod vera Ecclesia facit; sed de fallaciā seu defectu fidei Ministri circa veritatem baptismi , quæ baptismō minimè officit. In 2. autem dubius hæsit , non quod dubitaverit unquam de necessitate intentionis ; sed , an illam habéret mimicè baptizans , eò quod possit intendere , vel ludere, vel (etiam ludendo) id quod Christiani agunt, agere. In 3. verò, sicut supponit adhibitionem materiae sufficiens , ita intentionis. In 4. demùm solum vult , pravos baptizantis mores , nihil obesse valori baptismi , ideoque dixit : In baptismō non timeo ebriosum , non adulterum , non ho-
mi-

miciadam. Vide D.Th. in 4.d.6.q.1. a.2. qq.1. ad 3.

605 Opp. 2. cont. eandem : Baptismus ab Athanasio puero pueris cum eo ludentibus administratus , ab Alexander Episcopo Alexan. fuit approbatus. Ratus etiam fuit baptismus quem S. Ginesius in theatro mimi personam gerens , ad Christianæ Religionis derisionem , sibi conferri voluit, ut legitur in Martyrologio Rom. die 25. Aug. Et simile traditur de S. Ardaleone , ut videre est in eodem Martyrol. die 14. Aprilis : ergo.

606 Ad 1. (si vera sit historia , quam in dubium verte-re licet, ob ea quæ Natal. Alex. aliquique observant,) R. cum Hugone Victor. Soto , aliquique communiter , quod hominem quidpiam facere jocō , stat dupliciter ; uno modō fingēdo se facere quod non facit; ut cùm quis in Comœdia fingit se lugere , & non luget ; & per talem fictionem non fieret Sacramentum: Alterō modō verè id faciendo , licet jocō. Et istō modō faciebat Athanasius ; ludendo enim , intendebat facere quod Episcopus faciebat & intendebat. Ad 2. omis-sis aliis solut. pariter R. quod mimus baptizans S. Ginesium , jam repente conversum , & baptizari volen-tē, habuit intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Quod autem Christianus (prout objicit Lugo) talem in Scena personam agens , intentionem Ecclesiae non habeat , nihil refert ; ideo enim id non intendit , nē rebaptizet , quod nefarium judicat. At verò Pagani , ad majorem Ecclesiae , & Sacramentorum despectum, intendebant facere quod Christiani facere solent.

607 Opp. 3. ad idem : Medicina operatur indepen-denter ab intentione applicantis : ergo & Sacra-menta (quæ sunt medicamenta spiritualia) indepen-denter ab intentione Ministri. Præt. Ad validam prædicationem non requiri-tur intentio prædicandi : ergo nec ad valorem Sacra-menti requiri-tur intentio illud confi-ciendi. Præt. Sacra-menta constituuntur per res & verba ; sed hæc habentur indepen-denter ab intentione Ministri : ergo. Tandem signa (qua-lia sunt Sacra-menta) significant indepen-denter ab inten-tione applicantis illa : ergo.

Ad

608 Ad 1. R. disp. esse, quòd medicina corporalis habet vim sanandi ex suis intrinsecis; Sacramentum autem habet virtutem ab extrinseca institutione Christi, Ministri intentionem requirentis ut illud subsistat; Sacramentum autem semel subsistente, suum sortitur effectum independenter ab intentione illud conferentis. Ad 2. R. disp. esse, quòd prædicatio est de se talis, adeoque instruit, velit nolit concionator: Actio autem Ministri, cùm sit de se indifferens ut sit naturalis, aut Sacramentalis; debet intentione Ministri determinari. Ad 3. dist. maj. Constituuntur per res & verba, nudè sumpta, N. determinata per intentionem ad esse sacramentale, C. Ad ult. dist. ant. Signa naturalia, C. arbitraria, seu ad placitum, N. universaliter; quia dum illa instituens, requirit applicantis intentionem ad eorum significationem, ubi illa deficit, ista non subsilit.

609 Opp. 4. con. 2. concl. Minister Sacramentorum est instrumentum Christi; sed instrumentum nihil agit præter actum externum: ergo. Præt. Lutherani, & Calvinistæ non intendunt facere quod facit vera Ecclesia, seu Roma na; & tamen validè baptizant: ergo. Præt. Atheos potest validè baptizare; sed non potest velle quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit, cùm nec Deum, nec Christum, nec Ecclesiam agnoscat: ergo. Ad 1. Dist. maj. cum D. Th. hic a. 8. ad 1. sit instrumentum animatum, C. inanimatum, N. & sic distinctâ min. N. conf. Instrumentum enim animatum, cùm non solum moveatur, sed etiam moveat se, debet habere intentionem, quâ se subjiciat principali agenti, cum quo idem intendere debet. Nota tamen (ut instantias præcludas) quòd instrumentum animatum interdùm se habet ac si esset inanimatum, ut patet in nuntio deferente solum litteras, aut servo præcisè referente domini voluntatem: & etiam in interprete confitentis, aut procuratore matrimonium contrahentis. Minister autem Sacramentorum est instrumentum animatum, & liberum, cuius arbitrio commissa est à Christo Sacrameti subsistentia. Ideoque Trid. sess. 14. can. 9. diffinit, absolutionem Sacramentalem esse actum judiciale, & non nudum ministerium.

Ad

610 Ad 2. Dist. maj. Non intendunt explicitè; C. implicitè, N. Intendunt enim facere quod Christus instituit, & vera Ecclesia facit; tametsi errent existimando, proprium gregem esse veram Ecclesiam. Ad 3. Dist. min. Non potest velle expressè, & distinctè, C. implicitè, & confuse, N. Quia potest velle facere quod videt à Christiano fieri, & consequenter quod Ecclesia facit, & Christus instituit: sicut accidit quibusdam Paganis Christum, & Ecclesiam ignorantibus, *non enim est necesse, quod baptizans sciat quid sit Ecclesia*, ut ait Inn. IV. cap. 1. lib. 3. Decretalium. Et licet átheos credat, Christum, & Ecclesiam esse chymeras, potest nihilominus implicitè nomine Christi baptizare, volendo enim facere quod facit alter, agens nomine Christi, aut Ecclesiæ; vult & ipse taliter agere.

611 Opp. 5. cont. eandem. Licet Ecclesia sciat, Lutheranos, & Calvinistas non requirere intentionem mentalem ad valorem Sacramenti; non tamen baptizat, nè quidem sub conditione, redeuntes ex illis ad Ecclesiam: ergo censet, illam non requiri. Præt. Mardochæus fuit verè ab Aman honoratus, licet hic contrarium intenderet, Esther 6. ergo. Præt. Pingens, licet interius nolit pingere, de facto pingit: ergo ponens partes Sacramenti, ipsum ponit, velit nolit. Præt. Episcopus verè ordinat excommunicatos, quamvis dixerit, se nolle illos ordinare, si qui sint: ergo. Tandem: Quia horribilia alioquin fequerentur absurdæ, si perversi Ministri non intenderent baptizare (uti in Galliis accidisse fertur:) ergo. Ad 1. R. sic Ecclesiam agere, quia, ipsis fatentibus, eodem modō se gerunt in baptizando, quod Catholici; adeoque in praxi adhibent intentionem, quam negant necessariam. Ad 2. R. disp. esse, quod cæremoniæ ab Aman exhibitæ, non erant de se indiferentes ad honorem, vel aliud, sicut in præsenti.

612 Ad 3. R. pariter disp. esse, quod pictura est quid de se determinatum; ideoque pingentis determinatione non eget ut sit pictura; secùs est in nostro casu, ob sapè dicta. Et sanè argumentum eodem modō probaret contra opposentes, mimicè omnino baptizantem, v. g. validè bap-

baptizare ; quia mimicè sic pingens , de facto pingit. *Ad 4.* Dist. ant. verè ordinat excommunicatos vi intentionis **externæ**, **N. internæ**, **C.** Quia auditō, nulos esse excommunicatos, vult jam absolutè quemlibet ordinare. *Ad ult.* R. im-
meritò illō terriculamentō moveri nonnullos , quasi eadem incōvenientia oriri non possent ex parte formæ, omnino uti-
què necessariæ, si illam perversè corrumperet substancialiter Minister. *Dicendum* igitur , inconvenientia rara hactenùs fuisse , ob vigilantem Dei providentiam: Et vix contingere potest , eò malitiæ devenire Ministrum , ut velit alios pe-
rire , nullō sibi inde reportatō commodō.

613 Opp. 6. ad idem D. Thomam hīc a. 8. ad 2. ubi, rejectis quorundam opinionibus , sensum suum his verbis exponit : *Et idē alii melius dicunt, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cuius est Minister.* In verbis autem qua profert , exprimitur intentio Ecclesiae , qua sufficit ad perfectionem Sacramenti , nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri , vel recipientis Sacramentum. Idem habet in 4.d.6.q.1.a.2,qq.1.ad 2. R. neutiquām de mente D.Th. dubitari posse , cūm utrobique , & semper , communem sententiam apertissimè tradat , ut , sexdecim ejusdem productis testimentiis , ostendit Prado hīc dub.7. §.5. Nec sibi & veritati ullatenūs adversatur verbis objectis , quorum sensus , ex proposito ad quod loquitur , sumendus est , ut Cajet. communiter secutus , appositè notat. Profert enim illa S. D. pro solutione difficultatis motæ in argumento, scilicet , si mentalis intentio Ministri exigeretur , nullus esset certus , se esse verè baptizatum.

614 Ad hanc enim certitudinem nostram de susceptis Sacra-
mentis (inquit Cajet.) intelligendum est , sufficere intentionem Ecclesiae per verba Ministri expressam , nisi per Ministrum , aut suscipientem , contrarium exprimatur. Ita quod non intendit Author , quod hæc sufficiant ad perfectionem Sacramenti sim-
pliciter ; sed ad perfectionem ejus , secundum humanam certitu-
dinem : per hoc enim evitatur inconveniens , quod quilibet incertus posset dici de susceptis Sacramentis. Hæc Cajet. quibus rectè perpenlis , facile evanescunt , quæ cont.hanc solutio-
nem

nem objiciunt Vazq. & Lugo : Juxta subjectam enim argumenti materiam (cui debet conferri solutio) evidenter apparet sensus allatus: quia cùm tota difficultas esset de anxietate , ob ignoratam interiorem Ministri intentionem : satis formaliter respondet S. D. certificari nos per Ministri verba , exprimentia intentionem Ecclesiæ , cui Ministrum concordare , est moraliter certum , & ut tale habendum, dùm doli signa evidētia non apparent. Vide D. Th. in 4. d. 27. q. 1. a. 2. qq. 4. ad 2. ubi eōdem modō respondet de certitudine consensū ad matrimonium exacti.

615 Opp. tandem cont. 3. concl. Intentio merè habitualis sufficit interdùm in fuscipiente : ergo & in conficiente. Præt. Sufficit talis intentio , ut applicetur Missa : ergo etiam ut conficiatur. Tandem D. Th. hīc a.8. ad 3. tantum requirit intentionem habitualem: ergo. Ad 1.R. disp. esse, quod fuscipiens Sacramentum, non est agens; adeoque sufficit, quod voluerit , & obicem contrariæ voluntatis non ponat, ut dicitur in Conc. Araus. I. cap. 12. & cap. Majores de Baptismo : Conficiens autem est agens , operans humano modo , & determinans actionem , de se indifferentem , ad esse sacramentale. Vide S. Th. infrā q.68. a.7. Ad 2. omis- sâ solut. negantium ant. R. disp. esse , quod applicatio non est factiva Sacramenti , cùm hujus existentia neutiquā ab illa dependeat : Intentio autem conficiendi Sacramentum, ad hujus existentiam necessariò requiritur, tanquam determinans actionem de se indifferentem ; adeoque debet esse saltē virtualis.

616 Ad ult. R. vel S. D. intentionem reverà *virtualem*, nominasse *habitualē*, juxta morem sui temporis cùm vocet *habitualē*, quæ manet in distracto paulò post *actualē*: Vel mendum esse scribentium , & Typographorum , qui ex virtuali habitualē fecerunt: Cujus indicium est, quod exemplaria quædam anni 1540. intentionem *virtualem* legunt, ut rectē hīc , & alibi observat Joan. Nicolai. Et sanè D. Th. non solet *habituale* cum *virtuali* confundere , sed unum ab alio accuratē distinguit , ut ex aliis exemplis patet infrā q. 87. a.1. & q.un. de Charit. a.11. ad 3.& in 4.d. 16. q. 2. a.2. qq.2.

qq. 2. *Vt aliis argum. occurras, adverte, quod intentio virtualis, pro varietate negotiorum, solèt interdum plurimum durare, nec opus est actualem repetere, ut censeatur vi illius fieri opus, ut videre est in contraetu Matrimonii per procuratorem, aliisque: Aliquando verò, nisi intra breve tempus renovetur actus, censemetur opus fieri casu.*

DUBIUM III.

Utrum ad valorem Sacramenti requiratur fides, aut probitas Ministri?

617 **C**oncl. est neg. & de fide. Et quoad i.p. est difinita cont. Donatistas, afferentes invalidum esse Baptismum ab Hæreticis collatum, in Con. Arelat. I. an. 314. & nicæno I. can. 8. & 19. cuius sæpè meminit Aug. cont. Donatist. nomine *Plenarii totius Orbis Concilii*: quæ sanè Arelatenſi adaptari non possunt, fuit quippè 26. tantum Episcoporum: nec Bagajenſi, cùm fuerit Donatistarum, ut testatur ipse Aug. lib. 10. cont. litteras Petiliani c. 10. & insuper celebratum fuerit, Augustinô jam natô. Sicut & *Alexandrinum*, *Capuense*, & *Constantinop.* I. de quibus Augustinum loqui nonnulli contendunt; cùm tamen ipse dicat lib. 1. de Baptismo, ante se natum, plenarium illud Concilium congregatum fuisse. *Laudatos Nicænos canones spectans Hieron.* in Dial. Adversus Luciferianos, ait: *Synodus Nicæna omnes Hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni Discipulis: & quod majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat.*

618 Donatistis, re necdùm diffinitâ, præiverunt (tertiō decurrente sæculō) Agrippinus Episc. Carthag. Africæ Primas, mediatus Cypriani Decessor, Cyprianus ipse, plurimique (coactis Synodis) Episcopi Afri, quibus mordicūs adhæserunt Dionysius Alexand. & Firmilianus Cæsiensis in Cappadocia, cum frequentissimis Ægyptiorum, & Orientalium Conciliis, unanimiter reprobantes hæreticorum

um Baptis̄mum. His autem omnibus praeiverat praecedenti s̄eculo Tertullianus, necdūm h̄ereticus, lib. de Baptismo c.15. Quia tamen Agrippinus, primus omnium errorem hunc Concilii autoritate firmavit; ideò fortè primus illius author, audit apud S. Vincentium Lirin *Suscitarunt* postea illum plures Sectarii, ut quidam Arriani, Aetiani, Albigenses, Vviclephistæ, Husitæ, aliique, contra quos sepè diffinita est prima conclusionis p. Sed præcipu in Con. Constat. sess. 8. & Trid. sess. 7. de Bap. can.4. ubi sic legitur: *Si quis dixerit, Baptis̄mum qui datur ab h̄erevicis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptis̄mum; anathema sit.*

619 Secunda etiam p. s̄epè pariter olim diffinita est cont. Donatistas, Henricianos, & Albigenses; & tandem cont. Vviclephistas, & sequaces in laudatis CC. Constat. & Trid. ubi suprà: *Si quis dixerit* (ait Trid. can.12. de Sacram.) *Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentia- lia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum per- tinent, servaverit, non confidere, aut conferre Sacramentum; anathema sit.* Constat insuper utraque traditione Ecclesiæ, communī PP. consensu firmatâ. *Quibus accedit rat.* D.Th. ex Aug. hic a.5. & 9. Minister enim operatur instrumenta- liter, ieu non virtute propriâ, sed Christi: ergo accident illi, quæ tali, propria fides, aut probitas: sicut Medico sa- nitas. Et quidem, si valor Sacramenti à ministri fide, aut probitate pendéret, cùm istæ pluribus defint, & nobis con- stare nequeant; parum Christus Ecclesiæ suæ, & securita- ti nostræ, consuluisset. *Quomodò securi erunt* (inquit Aug. lib. 1. cont. Litt. Petil. *si conscientia dantis attenditur, que la- tet oculos accepturi?*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

620 Opp.1. cont. 1.p. Apostolorum Canones 45.46.& 67. perspicue decernentes, inanem esse baptis̄mum, & Or- dinem ab H̄ereticis collatum. R. Canones illos non esse Apostolorum, nec doctrinam Apostolicam continere; sed à Concilio Iconensi, (præfatum errorem stabiliente) edi- tos, ut censem Viri eruditii apud laudatum Natalem.

Profectò, si Apostolici forent, illos Cyprianus Stephano, & Donatistæ Augustino objecissent. Nec reliqui vulgares *Apostolorum Canones* autoritatem sortiuntur Apostolicam, cum S. Gelaf. Papa, librum quinquaginta priores continentem, reprobet, & apocryphum declareret: nec ullus ambigat, cæteros usque ad 84. à Dionysio Exiguo, aliisque collectos, suppositios esse; imò non paucos ab Hæreticis, & schismaticis obtrusos De illis sequens fert judicium S. Isidorus Hisp. *Canones*, qui dicuntur *Apostolorum*... nec *Sedes Apostolica* recepit, nec Sancti PP. illis assensum præbuerunt, pro eo quòd ab Hæreticis sub nomine *Apostolorum* compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inventantur, &c. Dùm autem CC. & PP. *Apostolorum Canones* allegare solent; non de hac collectione, sed de Apostolicis locuntur Traditionibus, ac disciplinæ Regulis, ab Apostolis acceptis.

621 Opp. 2. cont. eandem. Plures PP. signanter Athan. Cyril. Hierosol. & Basiliū, expressè docentes, baptis-
mum ab Hæreticis collatum, nocere potius, quàm prodeſſe;
& esse invalidum, inutilem, & inanem: ergo. R. sic loqui
PP. (exceptō, ob mōx dicenda, Bafiliō) non quòd uni-
versaliter judicarent irritum in se talem baptismum, sed
quoād effectum principalem, seu gratiam; quia nimirūm
huic objicem ponit, illum scienter ab hæreticis extra neces-
sitatem suscipiens, utpotè lethaliter peccat, ministrantis
peccato cooperando. Vide D. Th. hīc a. 9. ad 2.

622 Prorsus autem incredibile est (quidquid dubitet Cabassutius, in Not. Eccles. pag. mihi 68.) Atanasium Re-
baptizantium errori favere, cùm interfuerit Concilio Nicæ-
no, illum proscribenti, & solum Paulianistarum Baptis-
mum reprobanti, eò quòd soli inter hæreticos Ecclesiæ for-
mam non servabant, ut testatur Siricius, & Innocentius I.
Solum ergo dubitabat Athan. de Baptismo Arrianorum;
quia valde proclivè erat, ut isti formæ integritatem viola-
rent errorem suum in illam transfundentes. In periculum
veniunt (inquit orat. 3. cont. Arrianos) ne amittant integri-
tatem mysterii, loquor autem de Baptismo.

623 Si autem Cyril. dùm in Præfatione Catecheseon
ait,

ait: *Soli Heretici rebaptizantur; siquidem prius illud non erat Baptisma*: loquitur de hæreticis legitimam Baptismi formam non servantibus.. *De Magno autem Basilio verisimile Viris plerisque eruditis videtur* (inquit Natal. Alex. hic) illum, & Capadocum Ecclesiam, adhuc fuisse in errore Firmiliani de rebaptizandis hæreticis, quem à plenaria Synodo damnatum non intelligebat; hanc quæstionem disciplinæ esse putans, quæ in variis Ecclesiis varia esse posset, salvâ dogmatis varietate. Sic apertè colligitur ex his, quæ habet S.D. epist. ad Amphil. can. I. & epist. II. can. 47. quæ nullam expositionem admittunt, ut ea legenti conlhabit.

624 Opp. 3. cap. Schisma, dilt. 19. legitur, dixisse Pelagium Papam: *Non est Christi Corpus, quod Schismaticus conficit*. Præt. Innoc. I. ep. 18. ad Alexan. Non videtur (inquit) Clericos Arrianorum, Sacerdotii ministerii cuiuspiam suscipere dignitatem. Tandem. Urb. II. 3. q. 7. Daibertum, hunc, à Nezelone factum Diaconum, iterum ordinavit; quia Nezelon fuerat ab hæreticis ordinatus. Ad 1. R. Pelagium solum velle, non esse Corpus Christi quoad membrorum Ecclesiæ unitatem, quam Schismaticus scindit; licet sit quoad veritatem, si fuerit validè ordinatus. Ad 2. R. Innocentium loqui de honore ministrandi, qui illis factis jam Catholicis non permittebatur, ut patet ex epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ, c. 4. Ad ult. R. Urbanum reordinasse Daibertum, non tamen ob defectum fidei, sed potestatis, ordinantium Nezelonem, quia solum erant Corepiscopi; ideoque Urbanus adjecit: *Qui Pontificalem honorem non habuit, Pontificalia jura tribuere non potuit*.

625 Opp. 4. cont. 2. p. Mali Ministri sunt immundi, nec gratiam habent: ergo nec alios mundare possunt, nec gratiam illis conferre, cum nullus det, quod non habet. Præt. Mali sunt præcisi à Christo, cum non habeant charitatem, unientem membra capiti: ergo non possunt Sacra menta conferre, quorum tota virtus derivatur à Christo. Ad 1. N. conf. Ministri enim Ecclesiæ, non propriâ, sed Christi virtute, à peccatis mundant, & gratiam conferunt: ideoque effectus Sacramenti, non consequitur similitudinem

nem Ministri, sed configurationem ad Christum, per illos agentem. Sic D.Th. a.5. ad 1. Ad 2. R. cum eodem ibidem, ad 2.N.conf. Christus enim operatur in Sacrementis per malos, tanquam per instrumenta mortua, sibi tamen per quandam motionem conjuncta, ut baculus motori.

DUBIUM IV.

Utrum Ministri consecrati, in peccato mortali ministrantes, mortaliter peccent?

626

Concl. est affirm. & com. cont. Hieron. Llamas, & nonnullos, quorum opinatio deleri jussa est in Expurgatorio Hispano ann. 1640. Prob. autem 1. ex Scrip. requirente sanctitatem in Ministris veterum Sacrementorum. Exodi 19. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum sanctificantur. Levit. 21. Sancti erunt Deo suo. Isa. 52. Mundamini, qui fertis vasa Domini: ergo à fortiori, &c. Hinc Apost. idem requirit à Diaconis nostris 1. ad Tim. 3. Et hi probentur primū: & sic ministrent, nullum crimen habentes: adeoque idem dicendum de Sacerdotibus, quorum ministerium longè sublimius est. Quapropter idem Apost. ad Tit. 1. docet irreprehensibiles, & sine criminē esse debere Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. Prob. deinde rat. Tum, quia juris naturalis est, ut sancta sancte, & religiosè tractentur. Tum, quia Ministri conformari debent Deo, Christo, & Ecclesiæ, quibus ministrant, & Sacramentis ipsis, quæ conficiunt, & dispensant.

627 Observandum tamen est cum Cajet.hic a.6. ex D. Th. quod ut Minister mortaliter peccet, requiritur 1. quod exhibeat se Ministrum, & ut talis agat. Secundò, quod tale ministerium sit actio sacramentalis, id est, ad Sacramenti factionem proximè ordinata, seu illius factiva, aut jam facti applicativa, & distributiva. Quorum alterum si deficiat, non erit peccatum mortale. Defectu primi, non peccat lethaliter pravus Sacerdos urgente necessitate baptizans:

Nec Matrimonium in mortali contrahens , quatenus illud ministrat, tametsi graviter delinquit illud indebetè suscipiēs: Quia nimirūm , Sacerdos tunc non tam Ministrum agit, quam necessitatē patienti succurrit , ut ait D. Th. ad 3. Contrahentes autem Matrimonium, non sunt Ministri consecrati , sed ex natura contractū exacti.

628 Defectu secundi , non peccat mortaliter confirmatus fidem profitendo coram tyranno in peccato mortali: nec malus Episcopus benedicens Templa , vasa , vestes, Abbates , Virgines , & id genus : nec pravus Concionator prædicans (nisi peccatum ejus esset publicum , tunc enim graviter peccaret , ob scandalum) quia tales actiones non sunt sacramētales. Peccant tamē lethaliter (quidquid aliqui dicāt) Eucharistiā ministrātes in peccato mortali : Diaconi , & Subdiaconi sua ministeria in tali statu solemniter obeuntes : demūm mali Episcopi chrisma , & oleū infirmorū cōsecrātes; quia scilicet omnes præfatæ actiones sunt Sacramentales,& sacræ, sacro Ordini annexæ, quas si excōmunicatus, aut suspensus exerceat, fit irregularis ; adeoque exigunt in agente sacerdotiū , & exclusionem peccati mortalis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

629 Opp. 1. cont. concl. Bonitas Ministri ad solam Sacramenti decentiam pertinet, juxta D. Th. a. 5. præced. ergo illius defectus non est peccatum mortale. Præt. Baptizans (etiamsi sit Sacerdos) urgente necessitate, non peccat mortaliter , quantumvis mortali peccato sit infectus; sed est Minister Christi , cui conformari debet : ergo pariter. Ad 1. R. cum Cajet. D.Th. loqui ibi de actione Sacramentali secundum rationem operis operati , qualiter non exigit bonitatem Ministrī, nisi secundum quandam decentiam: ideoque sive bonus , sive malus sit Minister , Sacramentum vivum,& efficax est : At verò secundum rationes operis operantis , exigit necessariò bonitatem in Ministero. Ad 2. R. disp. esse, quod in casu necessitatis , character Sacerdotalis se habet per accidens ; non præcisè quia dedit solemnitas , sed quia adest necessitas non expectandi Ministrum ex officio ; adeoque tunc est Minister necessita-

tis,

tis, ac si foret Laicus, in quo non requirit Christus sanctitatem , alioquin minus perfectè esset provisum , si Sacramentum summæ necessitatis, non posset quilibet licetè ministrare.

630 Opp.2. cont. observationem Cajet. & inde deducta : Peccatores tangentes Corpus Christi sub specie propria , non peccabant : ergo nec modò peccant Sacramentum Corporis Christi tangendo,& ministrando. Præt. Quia aliàs tot peccata committeret malus Minister , quot hostias aliis sumendas tribueret ; quod durum videtur : ergo. Ad 1.R. illud probare, quòd sicut tunc peccatores licetè Christum recipiebant, ut se , suaque domos sanctificarēt; liceat pariter nunc peccatori , illum sub Sacramento existentem recipere. Dicendum igitur cum D.Th. infrà q.80.a.4. ad 1. disp. esse , quòd Christus tunc *non exhibebat se tangendum, in signum spiritualis unionis ad ipsum , sicut exhibetur sumendus in hoc Sacramentum.* Insuper nunc jam non gerit similitudinem carnis peccati , ob gloriam resurrectionis : unde & Sacerdotum manus consecrantur, ut sumant, & dent cæteris. Ad 2. N. min. aliàs , nec malus Sacerdos tot sacrilegia committeret, quod per diem ex munere baptizaret, ad solveret, aut inungeret : aut , si esset Episcopus , ordinaret, aut confirmaret. Itaque unitas successionis , non continuat moraliter actiones , nec in bonum , nec in malum; quia bona, ut multæ eleemosynæ successivè largitæ , multa sunt merita ; mala autem , plura sunt peccata.

631 Opp.3. Si Diaconi , & Subdiaconi, lethalis peccati rei, lethaliter peccarent sua ministeria obeundo; idem de initiatis quatuor minoribus Ordinibus, solemniter ministratibus, dicendū foret; sed hoc nullus dixit: ergo. R.1.concessa maj. N. min. quidquid aliqui jactent : Illud enim docere videtur D.Th.in 4.dist.5.q.2.a.2.qq.4. & d.24. q.1. a.3. B.Alb.M.D.Antonin. Sylvester, Navarrus, & Faber , apud Pradum hic dub.4. n. 88. & tuetur novissimè P. Marin ; & favet Greg. IX. cap. ult. de temporibus ordinationum , ubi de omnibus universaliter Clericis peccatoribus , ait : *Si non penituerint , monendi sunt , & sub interminatione divini iudicii*

*obtestandi ut in testimonium suæ damnationis , in suscep-
tis ordinibus non ministrent. Quæ verba plures detorquent pro suo
libito. R. deinde N. sequel. quia actiones minorum ordinum , cùm non versentur circa materiam sacram , possunt
licitè fieri à Laicis , adeòque à Clericis peccatoribus , abs-
que lethali peccato. Secùs est de actionibus Diaconi , &
Subdiaconi , ob dicta.*

632 Authoritates adduci solitæ ad probandum , Con-
cionatorem pravum lethaliter prædicando peccare , vel lo-
quuntur de peccatoribus publicis , vel solum indicant , ta-
lem Concionatorem prædicando peccare , non exprimen-
do , an lethaliter , an solum venialiter. Notandum hic ,
nullum Divinum aut Ecclesiasticum extare præceptum de
præmittenda confessione ad confienda Sacra menta , unâ
exceptâ Eucharistiâ , propter ipsius sumptionem ; unde ad
reliqua , sufficit contritio aut attritio existimata contritio.
Et sic habetur in Rituali Pauli V.Tit.I. *Sacerdos* (inquit) si
fuerit peccati mortalis sibi conscius , quod ab sit , ad Sacra men-
torum administrationem non audeat accedere , nisi prius corde
pœniteat. Sed si habeat copiam Confessoris , & temporis locique
ratio ferat , convenit confiteri. Quibus , non obligatio , sed
mera convenientia confitendi declaratur. Nec amplius
requirunt Cathecismus Rom. & nonnullæ Provinciales
Synodi , dûm statum gratiæ per Confessionem exigunt.

DUBIUM ULTIMUM.

De Numero , & ordine Sacramentorum Nova Legis.

633 Prima concl. Septem sunt Novæ Legis Sacra men-
ta ; nempè , Baptismus , Confirmatio , Euchari-
stia , Pœnitentia , Extrema Unctio , Ordo , & Matrimonium.
Est de fide ex Scrip. Traditione , & CC. Flor. & Trid. Ra-
tio à priori est voluntas Christi: Congruentiæ verò assignan-
tur à D.Th. q.61. a. 1. ex dupli ci principio , quia scilicet ,
Sa-

Sacraenta Ecclesiæ ordinata sunt *ad vitam spiritualem*, & *in remedium peccati*. Ex utroque enim probatur præfatus septenarius Sacramentorum numerus. Ex primo quidem, *Ad vitam enim corporalem* (cui spiritualis conformatur) septem necessaria sunt, nempè, *generatio*, *augmentatio*, *nutritio*, & (si morbus accidat) *sanatio*, & *pristinæ valetudinis restitutio*, demùm *species*, & *multitudinis regimen*, & *propagatio*: Hæc igitur eadem in vita spirituali desiderantur; ad eaque conferenda, totidem Sacraenta instituta sunt: Per *Baptismum* enim nascimur, augemur, & roboramur per *Confirmationem*, nutrimur per *Eucharistiam*, sanamur à peccatis per (*Pœnitentiam*) liberamur à reliquiis peccatorum, ac *pristinæ restituimus* valetudini per *Extremam Unctiōnem*. Reginur per Ministros, quos *Ordo* suppeditat: Propagamur demùm per *Matrimonium*.

634 Ex secundo etiam principio idem habetur: Nam *Baptismus* mortuam peccatō animam vivificat: *Confirmatio* trepidum virtute ex alto induit, viribus munit, & auget: *Eucharistia* labendi pronitatem retinet: *Pœnitentia* peccato actuali, post *Baptismum* patrato, medetur: *Extrema-Untio* reliquias peccatorum, non suffcienter per *pœnitentiam* sublatas aut ex negligentia, aut ignorantia, extirpat: *Ordo* dissolutioni multitudinis contulit: *Matrimonium* tandem concupiscentiam personalem frenat, & multitudinis ob mortem defectui occurrit.

635 Secunda concl. *Sacraenta Ecclesiæ convenienter ordinantur modō prædictō*. Sic D.Th. hīc a. 2. Et probat ex dictis: *Ordo* enim, & *Matrimonium*, cùm ordinantur ad alios, debent esse posteriora illis *Sacramentis*, quæ ordinantur ad se. Et cùm ordo plus participet spiritualis vitæ, debet præcedere *Matrimonium*. Inter illa verò quæ ordinantur ad perfectionem propriam, prius est, quod requiritur per se, ut est *Baptismus* qui generat: & prior est *Confirmatio*, quam *Eucharistia*, cùm illa det perfectionem virtutis, hæc perfectionem finis. Inter ea quæ per accidens sunt necessaria, prior est *Pœnitentia*, quæ inchoat sanitatem, quam *Extrema-Untio* conservat.

636 Nota autem, h̄c non esse sermonem de ordine perfectionis inter Sacra menta (de hoc enim agit D.Th.a.3.seq.) sed de ordine generationis, & receptionis, non quidem necessario; nam, pr̄ter Baptismum qui necessariò primum requiritur, quippè sine quo nullum aliud potest recipi; inter reliqua, nullus est necessarius ordo; potest enim Pœnitentia recipi ante Confirmationem, imò & Eucharistia: Rursus & Matrimonium potest esse validum absque Eucharistia, vel Pœnitentia. Loquimur ergo cum D.Th. de ordine generationis per se, & qui ex natura rei colligitur. Post baptismum enim (ut usu primitivæ Ecclesiæ docemur) illicò, si Episcopus aderat, neophitus confirmabatur; & deinde Eucharistia ei porrigebatur, nec enim indiget Pœnitentiæ Sacramentō, qui post baptismum non incidit in mortale. Errant ergo (subdit Mag. Sotus in 4. d. 1. q.6.a.2. §. Res est) qui Sacramentum Pœnitentiæ, ordine administrationis, Eucharistiæ præferunt. Vide apud Pradum h̄c dub.2. aliqua D.Th. testimonia, quibus nihil præclarius ad conclusionis intelligentiam, argumentorum solutionem, & ad conciliandam Dionysii, & Magistri sententiam circa Sacramentorum ordinem.

637 Tertia concl. Ordine perfectionis, Eucharistia est potissimum Sacramentorum. Est de fide ex Trid. sess. 13. cap. 3. & probatur ex D.Th. a.3. tripliciter. Primo, quia reliqua Sacra menta continent virtutem Christi; hoc autem ipsum Christum substantialiter. Secundo, quia reliqua ordinantur ad istud sicut ad finem; Ordo enim consecrat, Baptismus est janua, Confirmatio dat robur ad accedendum: Pœnitentia, & Extrema-Unctio præparant ad sumendum, Matrimonium significat unionem Christi cum Ecclesia, quæ in hoc Sacramento repræsentatur. Tandem, ex ritu Sacramentorum: quia ferè omnia in Eucharistia consumantur, ut ait Dion. Nec solùm ratione contenti præstat simpliciter Eucharistia reliquis Sacramentis; sed etiam in virtute conferendi gratiam, ut expressè docet D.Th. in 4.d.8. n.1. a.1. & opusc. 57. dicens: Nullum etiam Sacramentum est istō salubrius; esset autem si majorem conferret gratiam.

Pro-

Profecto, cùm gratia sit præcipius Sacramentorum effectus; illud erit simpliciter perfectius, quod vim habet majorem conferendi gratiam, cæteris paribus.

638 Reliqua verò 6. Sacraenta sic invicem comparentur in via perfectionis, juxta D.Th. hīc a.3. & in 4. d.7. q.1.a.1.qq.3. *Primas* inter illa tenet *Ordo*, per quem homo in gratia, & gradu dignitatis ponitur: *Secundum* locum obtinet *Confirmatio*, per quam perfectio gratiæ confertur: *Sequitur Baptismus*, per quem plena fit remissio culpæ & pœnæ: *Subsequitur Extrema-Uncio*, quæ licet minoris sit necessitatis, est tamen majoris perfectionis, quām Pœnitentia: Hæc proinde quintum tenet perfectionis gradum: Ultimum demùm est Matrimonium. Et omnium rationem assignat D.Th. locō laud. ex Sent. quia dignitas quæ est in efficiendo, prævalet ei quæ est in significando: & illa quæ est in efficiendo respectu boni, simpliciter prævalet ei quæ est in amotione mali. Et ideo simpliciter loquendo, post Eucharistiam, nobilius Sacramentum est Ordo, &c. Sacraenta igitur ordine perfectionis, sic numeranda sunt: *Eucharistia*, *Ordo*, *Confirmatio*, *Baptismus*, *Extrema-Uncio*, *Pœnitentia*, *Matrimonium*.

639 Quia tamen nihil prohibet, aliquid esse secundum quid dignius, quod tamen non est dignius simpliciter, ut hīc ad 4. & sèpè aliàs, loquitur D.Th. idèo appositiè infert M. Sotus, quòd sex Sacraenta, secundum diversas qualitates, habent se sicut excedens, & excessum. Pro quo observanda est doctrina D.Th. adductō locō ex Sent. Quòd quinque modis unum Sacramentum dicitur dignius aliò, nimirum, quoad effectum, contentum, gradum collatum, Ministrum, & signatum non contentum. Quantum ad effectum, est omnium maximum *Baptismus*, delet enim omnem culpam, & aufert omnem pœnam. Quantum ad contentum, præstat omnibus *Eucharistia*, ut dictum est. *Ordo* autem est omnium dignissimum, quantum ad gradum dignitatis in quo constituit. Quantum ad Ministrum, excedit etiam *Ordo*, & *Confirmatio*, quia per solum Episcopum ministrantur. Postremò quantum ad signatum, & non contentum, eminet *Matrimonium*,

nium, significans unionem duarum naturarum in Christo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

640 Opp. i. cont. i. Una est virtus Divina, & una Christi passio, à quibus Sacramentum efficaciam derivat: ergo istud est tantum unum. Præt. Confirmatio, & Extrema-Untio, nulli Legis Veteris respondent Sacramento: ergo nec numeranda sunt inter Sacraenta Novæ Legis, quæ sunt (juxta Aug.) numerō pauciora, quam vetera. Præt. Nullum institui debuit Sacramentum contra luxuriam, quæ non est gravior reliquis peccatis, contra quæ nullum est institutum: ergo. Præt. Nullibi afferit Scrip. Confirmationem, Ordinem, Extremam-Untionem, &c. esse Sacraenta: ergo. Præt. Plures PP. tria tantum referunt Sacraenta, alii duo, alii quatuor: ergo. Tandem: Ecclesia Græca solum agnoscit Baptismum, & Eucharistiam, ut patet ex confessione fidei, quam anno 1633. imprimi curavit Cyrus Luppari, Patriarcha Constantinop. ergo.

641 Ad 1. N. cons. cum D.Th. hīc a. i. ad 1. Idem enim agens principale variis utitur instrumentis ad varios effectus, secundum congruentiam operum. Ad 2. N. cons. & prob. cum eodem ad 4. Licet enim tunc non fuerint Confirmatio, & Extrema-Untio, ob dicta N. 527. plura nihilominus fuerunt Sacraenta, quam nunc, propter diversitatem sacrificiorum, & cæremoniarum. Ad 3. N. ant. Ad prob. R. disp. esse. *Tum*, quia non solum personam viciat, sed naturam. *Tum* propter ejus vehementiam, absorbentem rationem. Sic D.Th. ad 5. Ad 4. R. implicitè illud afferere, dum illis tribuit omnia quæ sunt Sacramentorum propria. Nec aliter afferit esse Sacraenta Baptismū, & Eucharistiā, quæ tamen ut Sacraenta recipiunt Hæretici opposentes. Ad 5. R. nullum P. negasse unquam, septem esse Sacraenta. Unde dum pauciora interdum assignant, est, quia plura exponere non exigebat operis argumentum. Ad ult. N. ant. ut aperte liquet ex cunctis ejusdem Euchologiis, & Ritualibus: Cyrillum autem illum calvinizantem, sequentibus verbis damnavit anno 1638. Successor ejus Cyrus Berroensis: *Cyrillo dogmatizanti, & credenti, non esse* *sept-*

septem Sacraenta Ecclesie... anatbema.

642 Opp. 2. cont. eandem. Plura enim sunt in Ecclesia sacra signa , ut aqua benedicta , consecratio Altaris, & id genus : ergo. *Præt.* Oblationes , decimæ , & sacrificia veteris Legis, fuerunt Sacraenta , juxta Hugonem Victor. ergo sicut nunc Sacrificium Eucharistiæ est Sacrementum, ita oblationes & decimæ : ergo. *Tandem.* Tria sunt genera peccatorum, *originale, mortale, & veniale* : ergo cont. istud debuit institui aliquod Sacrementum, ultra septem ; sicut contra originale ordinatur *Baptismus*, & contra mortale, *Penitentia*. *Ad 1.* N. cons. cum D. Th. ad 6. Quia consecrationes illæ non perducunt ad effectum Sacramenti, seu gratiæ consecrationem ; sed disponunt , removendo impedimenta , vel dando quandam idoneitatem ad Sacraenta. *Ad 2.* N. cons. cum eodem ad 7. quia tunc decimæ & oblationes , non solum erant in alimentum Ministrorum , sed etiam in figuram ; & ideo erant Sacraenta : secùs nunc, quia non remanserunt ut figuræ. *Ad ult.* R. disp. esse, quòd veniale deletur sine infusione gratiæ , adeoque non requirit Sacrementum , sed quædam Sacramentalia. Vide alia argumenta apud Bellarm. l.2. de Sacram. cap. 27.

643 Opp. 3. cont. 2. Per Matrimonium generatur homo primâ generatione , seu animali ; per Baptismum verò, secundâ , seu spirituali : ergo cùm animale præcedat spirituale ; Matrimonium est prius Baptismô. *Præt.* Pœnitentia præparat hominem ad Eucharistiam : ergo debet istam præcedere. *Tandem.* Nutrimentum est prius augmento: ergo Eucharistia Confirmatione, ob dicta. R. cum D. Th. a.2. *Ad 1.* quidem, dist. cons. est prius , ut est officium naturæ , qualiter ordinatur ad animalem vitam , C. ut Sacrementum , N. quia habet minus spiritualitatis. *Ad 2.* dist. ant. præparat per accidens , supposito scilicet peccato , C. Per se , N. ant. & cons. *Ad ult.* R. quòd nutrimentum, & præcedit augmentum , sicut causa ejus , & subsequitur , sicut conservans hominem in perfecta quantitate ; adeoque potest Eucharistia, & præmitti , & postponi Confirmationi: & sic conciliantur Dionysius , & Magister. *Argumenta contra*

tra reliqua , soluta manent ex dictis à N. 638.

644 Articulô 4. quæst. 65. disserit S. D. de necessitate Sacramentorum ad salutem ; & suppositâ distinctione necessitatis simpliciter (ut cibi ad vitam) & ad melius esse (ut equi ad iter ;) resolvit , tria esse primô modô necessaria , *Baptismum* , *Pœnitentiam* , & *Ordinem* , sed diversimodè ; Baptismum quidem singulis absolutè , Pœnitentiam verò , lapsis in mortale post Baptismum , Ordinem demùm , respectu Ecclesiæ ; ubi enim non est Gubernator , populus corruet , ut dicitur Prov. 11. Reliqua verò sunt necessaria secundô modô , nam Confirmatio quodammodo perficit Baptismum , Extrema-Unctio Pœnitentiam , Matrimonium multitudinem Ecclesiæ conservat , Eucharistia demùm , tanquam spiritualis alimonia , virtutem spiritualem reficit . Illud autem Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* , &c. intelligitur de spirituali mandatione , & non de sola Sacramentali , ut ex Aug. ait D. Th. ad 2. Ac de Sacramentis generatim , hactenùs .

TRACTATUS VII.

DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE, & EUCHARISTIA.

DISPUTATIO I.

De Baptismo.

645 **P**er illustratis omnibus ad Sacra menta generatim spectantibus, de singulis differamus oportet: ac primùm de Baptismo, reliquorum, & Ecclesiæ Januâ; de quo Ang.D. à q,66. ad 71. ubi contemplatur illius naturam, Ministrum, subjectum, effectus, & dispositiones: de quibus, sequentibus dubiis, multa paucis pro more & munere comprehendentes, disceptabimus, omissis solùm, quæ Tractatu præcedenti discussimus. Sit igitur

DUBIUM I.

Quid sit Baptismus, quando institutus, & quam illius materia, & forma?

646 **A**nte resol. præmittendum est i. quod Baptismus, græcum est nomen, quod licet in Sacris Litteris omne ablutionis genus significet; apud Ecclesiasticos tamen Scriptores, non quamvis corporis ablutionem declarat, sed eam, quæ cum Sacramento conjungitur, nec sine præscripta verborum forma ministratur; quâ

quâ quidem significatione Apostoli, ex Christi D. instituto, frequentissimè usi sunt. Secundò, quòd hoc Sacramentum diversa alia, ob diversos effectus, fortitur nomina apud PP. vocatur enim *Regeneratio*, *Sacramentum fidei*, *signaculum*, *seu sigillum*, *illuminatio*, *sepultura*, *indumentum*, *Circuncisio non manū facta*, *donum*, *janua*, aliisque appellationibus, quarum significatio videri potest in Catec. Rom. & apud plures Authores hic. Vide etiam apud Natal. Alex. plura Baptismi encomia ex PP. His prælibatis, sit

647 Prima concl. *Sic recte & appositiè diffinitur Baptismus: Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Ita docet Cathec. Rom. & quidem jurè; colligitur enim ex illis Domini verbis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & ex illis Apolt. Ephes. 5. *Mundans eam lavacrum aquæ in verbo vita.* Comprehendit insuper communem illam physicam Baptismi diffinitionem ex Mag. & D. Th. nempè, *Exterior corporis ablutio sub forma prescripta verborum.* Vulgarēm item illam metaphysicam, *Sacramentum regenerationis.* Nec quia illa *aptior*, & *commodior*, istæ propterea non rectæ censendæ sunt, ut quidem aūtumant, alias nescio quas *comatas* tradentes, à peripatetica diffiniendi arte prorsùs alienas.

648 Secunda conclusio; *Sacramentum Baptismi instituit Christus quando à Joanne baptizatus est; illius tamen adhibendi necessitatem, non nisi post resurrectionem indixit.* Quoad 2.p. est omnino certa; quoad 1. verò, com. PP. & Theol. si paucos excipias: Traditur à Cathec. Rom. tit. de Bap. & prob. rat. D. Th. q. 66, a. 2. Tunc enim accepit baptismus virtutem producendi suum effectum; quia tunc, juxta PP. aqua in materiā baptismi designata. & veluti consecrata est. Præt. Christus ante passionem Baptismum instituit, cùm per discipulos baptizarit Joann. 3. & 4. & quidem non Joannis, sed propriō baptisme, ut liquet ex contextu, & communiter urgent Theol. cont. Alensem; sed nullum aliud assig-
nari potest congruentius institutionis tempus: ergo. *Accedit, quod tunc (ut verbis laudati Cathec. utar) Sanctissima Trinitas, in cuius nomine Baptismus conficitur, numen suum præ-*

præsens declaravit: Vox enim Patris auditæ est: Filii Persona aderat: & Spiritus S. in Columbae specie descendit: Præterea Cœli aperti sunt, quæ nobis jam per Baptismum licet ascendere.

649 Tertia concl. Remota Baptismi materia, est sola aqua naturalis; proxima verò, ablutio: quæ, seu aspersione fiat, seu effusione, seu immersione unâ, aut trinâ; perinde est ad valorem Baptismi. *Quoâd 1. p. est de fide ex illo Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. & ex innumeris aliis Scripturæ CC. & PP. testimoniis, & perenni Ecclesiæ Traditione, & praxi. Quibus accedit quadruplex congruentia, quam affert D.Th. a.3. Hinc qualibet aqua qualitercumque transmutata, modò non solvatur species aquæ, est idonea Baptismi materia; secùs omnes aquæ artificiales, seu succi ex floribus, vel plantis expressis, atque etiam humores, sudor, saliva, lachrymæ, & omnes liquores diversæ speciei ab aqua, ut lac, oleum, vinum, & id genus. In juscule autem, & lexivio potest baptizari; ut docet D.Th. nisi fortè ob maximam illius pinguedinem, & hujus alterationem, forma aquæ solvatur. Quod si sit dubium, & extrema urgeat necessitas, poterit cum illis (sicut in alia quavis materia dubia) conditionatè baptizari: Sed sic baptizatus debet postea cum certo vera aqua sub conditione iterum baptizari.*

650 *Quoâd 2. p. est fide certa ex illo Ephes. 5. Mundans eam (Ecclesiam) lavacrum aquæ. Quod & ipsum Baptismi nomen satis indicat, & ratio suadet, materia enim proxima Sacramenti illa est, quæ remotam applicat, & per formam significatur; sed talis est ablutio respectu Baptismi, cùm applicet aquam, & exprimatur his verbis, Ego te baptizo, &c. ergo. Quoâd ult. constat ex Rituali Rom. tit. de Sacram. Bap. ubi sic legitur: *Baptismus, licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersiōnem; primus tamen & secundus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiârum consuetudine retineantur.* Et favet ratio, quovis enim illò modò verificatur forma, cùm quolibet vere quis abluatur, seu denominetur ablutus. *Urgente necessitate, quælibet corporis nascentis pars ablui potest,* &*

& debet. Sed puer post perfectam nativitatem, erit baptizandus sub conditione, nisi fuerit baptizatus in capite, prius apparente. *Probabilius* videtur, verè baptizari projectum in puteum, aut flumen, ab aliquo simul intende illum occidere, & baptizare; cùm adsint materia, forma, & intentio Ministri. Deberet tamen iterum sub conditione baptizari, quia non est certum, fuisse baptizatum.

651 Ultima concl. *Perfecta, & absoluta Baptismi forma* hac est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita enim diffinitur in CC. Later. IV. cap. Firmiter. Flor. in Decreto unionis, & Trid. less. 7. can. 4. de Baptismo. Et habetur ex perenni Ecclesiæ praxi, & traditione, & ex verbis Domini Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Accedit congruentia D. Th. hic a. 5. Exprimunt enim talis forma & causam ministerialem, Sacramentum perficientem, & principalem, à qua tota virtus Sacramenti derivatur. *Congruum* insuper est, in Sacramento fidei & quod est ad Ecclesiam & Beatitudinem janua, exprimi distinctè præcipuum fidei, & beatitudinis objectum. A præfata forma non nisi accidentaliter differt illa, quâ utuntur Græci, ut declaravit Florent. Vide suprà à N. 414. ferè omnia quæ hic desiderari possunt. *Solum* addimus, necessariò exprimendam esse, activè, vel passivè, baptizantis actionem, ut diffinivit Alex. III. Extr. de Baptismo, c. I. & iterum Alex. VIII. damnans sequentem propositionem n. 27. *Valuit aliquid Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, &c. prætermisis illis, Ego te baptizo.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

652 Opp. 1. cont. 1. concl. nam diffinitio illa convenit Pœnitentiæ, ut potè etiam spiritualiter regeneranti. *Præt.* cont. vulgatam physicam diff. Ablutio est pars Baptismi: ergo perperam in illa prædicatur de toto Baptismo. *Ad 1.* N. ant. cùm enim pœnitentia non conferat primam vitam spiritualem, sed amissam restituat; non dicitur regenerare, sed resuscitare. *Ad 2.* N. cons. nam in concretis artificialibus (quale est Sacramentum) pars materialis, pro qua

qua supponunt, prædicatur de toto; hæc enim est vera,
Cathedra est lignum, adeoque, & ita, *Baptismus est ablutio*.
Dices: De Cathedra aliisque artefactis sola materia remota
prædicatur: ergo & de Baptismo, ac proinde *aqua* ut vult
Hugo Vict. non ablutio, quæ est materia proxima. R.
disp. esse, quod artefacta permanentia, non pro applica-
tione fluente, sed pro sola materia remota permanente
supponunt. Baptismus autem, cum non sit permanens, sed
in fieri consistens; non pro aqua permanente, sed pro illius
applicatione, seu ablutione transeunte supponit, quæ pro-
inde, & non aqua, de illo prædicatur.

653 Opp.2. cont.2. Baptismus habuit suam efficaciam
à Christi passione: ergo hanc non præcessit. Præt. Omnia
Sacramenta Novæ Legis fluxerunt ex latere Christi, ut
vulgò ex Aug. dicitur: ergo. Præt. Forma Baptismi non
fuit tradita ante Christi Passionem: ergo. Tandem Joan.
4. legitur, Christum per se non baptizasse: ergo. Ad 1. N.
cont. cum D. Th. hic a.2. ad 1. Quamvis enim Baptismus
præcesserit Christi Passionem, ab ita tamen efficaciam de-
rivavit, quatenus illam figurabat; nec erat tantum figura, ut
vetera Sacramenta, cum haberet à Christo vim justificandi,
per cuius virtutem ipsa etiam passio salutifera fuit. Ex quo
patet, quod in Baptismo, ante mortem Christi ministratō,
influebat humanitas Christi, ut instrumentum conjunctum
divinitatis, influxu effectivō instrumentalī physicō; sed tunc
mors Christi solū influebat finaliter, sic tamen quod actua-
lia Christi merita jam operarentur in illo. Adde, quod
passio jam tunc erat inchoata, à qua proinde vim derivare
poterat Baptismus ille.

654 Ad 2. R. sensum illius dicti esse, non quod inde
institutionem acceperint, sed ultimam perfectionem: alias
nec Eucharistia, & Ordo fuissent instituta ante Christi mor-
tem, quod est hereticum. Ad 3. N. ant. fuit enim prius
privatum Apostolis à Christo tradita, à quo jam redivivō
fuit eadē iterata Matth. ult. ut docet D. Th. in 4.d.3.q.un. a.
5.qq.2. Ad ult. R. 1. N. cons. Baptizavit enim per Disci-
pulos, ut ibidem dicitur. R. deinde, testimonium Joannis
fal-

falvari per hoc , quòd non frequenter , tametsi interdùm baptizarit , plures enim PP. tradunt , suis manibus baptizasse Joannem. Augustinus asserit , baptizasse omnes Apostolos. Imò Euthim. & D. Vincentius Ferrarius dicunt , baptizasse suam Beatissimam Matrem , non ut illam ab originali (quò nunquàm fuit infecta) mundaret: sed ut charactere (quò & ipsi configuraretur , ac aliis Ecclesiæ membris conformaretur) iniogniret , multasque charismatibus cumularet.

655 Opp.3. cont.1.p. 3.concl. illud Joannis de Christo Matth. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igni*: ergo ignis potius , quàm aqua , est materia Baptismi. Præt. Steph.H. docet in quodam rescripto , in necessitate valere Baptismum in vino collatum : ergo. Tandem. Nicephorus , aliique referunt , Judæum quendam periclitantem , baptizatum in fabulo , seu arenâ , ob defectum aquæ , statim subito convaluisse : ergo Deus ratum habuit illud Baptisma. Ad 1.R. illud neutiquàm de materia Baptismi intelligi (ut Seleuci , Jacobitæ , aliique somniarunt;) sed de intimo Spiritus S. effectu , quò in baptismo regeneramur; vel de copiosa illa ignea Spiritus S. in Apostolos effusione , in die Pentecostes futura , juxta illud Christi , Act. 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies.* Ad 2. R. Rescriptum non esse autenticum , vel esse ineptè constructum; sic enim legi debet: *Nulla ei adscribitur culpa , si infantes sic permaneant.* Solùm ergo sic baptizantem excusat , ob simplicitatem; sed nihil de valore baptismi decernit , de quo à nullo sanæ mentis interrogari potuit. Ad ult. N. cons. Deus enim miraculò illò , non baptismum , sed Judæi conversionem , vel ad adstantium fidem probavit : Unde à Dionysio Alex. jussus est posteà baptizari , teste eodem Nicéphorò.

656 Opp.4. cont.3.p. ejusdem. Cornelius Papa , consultus à Fabiano Antiocheno , dubitasse videtur de Baptismo , aspersione factò : *Si talem (inquit) Baptismum perceperisse dicendum sit.* Dubitavit etiam Cypr. epist. 76. ad Magnum de valore Baptismi per infusionem. Præt. Pelagi

gius Papa dilt. 4. de confecr. cap. Multi, ait: *Evangelicum præceptum . . . nos admonet in nomine Trinitatis trinā immersione Sanctum Baptisma unicuique tribuere.* Et ibidem, can. si quis, jubetur deponi baptizans unicā mersione: ergo. *Ad 1. R.* dubitasse Cornelium de tali baptismo, non quoād valorem, sed quoād gratiæ effectum; quia scilicet, petierat in extremitate Baptismum, quem sanus contempserat. *Ad 2. N. ant.* quia ibidem oppositum resolvit Cypr. licet insinuet, se nolle aliquos aliter sentientes condemnare. *Ad ult. R.* cum D.Th. a. 8. ad 2. trinam immersionem esse de mandato Christi, juxta Pelagium, in suo simili, scilicet in forma; sed tamen non est similis ratio de forma, & de usu materiæ. Vide Serram, & Pradum hīc.

657 Opp. tandem cont. ult. concl. Ad valorem formæ baptismi, non requiritur, quod in illa exprimatur actio baptizantis, cùm non exprimatur in forma Græcorum, utique validâ. *Præt.* Nec etiam signata expressio baptizandi per pronomen *Te*, aut æquivalens, nam Stephanus II. ratam non semel habuit formam sine illa. *Præt.* Actum 2. 8. 10. & 19. legitur, quosdam in nomine tantum Jesu Christi baptizatos. Tandem: Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum respondit, baptizatos à quodam Judæo rebaptizari non debere, si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in actibus Apost. legitur) baptizati sunt; unum quippe idemque est, ut S. ait Ambrosius: ergo.

658 Ad 1. N. ant. Ad prob. N. ant. Verè enim exprimitur in forma Græcorum actio baptizantis, tametsi passivè, per verbum indicativi, aut imperativi modi. Ad 2. R. vel Pontificem illum errasse ut privatum Doctorem: Vel (quod verosimilius est) responsa illa esse fictitia. Ad 3. respondet D. Th. a. 6. ad 1. Apostolos ex speciali revelatione, in Christi nomine baptizasse. Et apprimè quidem (ait in Margine M. Nicolai) ex hypothesi facti, quod pro sui temporis usū sic supposuit S. Thomas, nec discutere prolixius voluit. Idem appositè notat Natalis Alex. a. 3. de baptismo. Reg. 2. versus finem, dicens, quod laudata D. Th. responsio hypothetica est, & secundum Catechismum Concilii intelligenda,

cujs hæc sunt verba : *Quod si etiam aliquando tempus fuisset dicendum , cùm Apostoli in nomine tantum Domini Jesu Christi baptizarent : Id quidem Spiritus Sancti astatutu eos fecisse exploratum nobis esse debet : ut initio nascentis Ecclesiæ , Jesu Christi nomine predicatio illuc prior fieret , divinaque , & immensa ejus potestas magis celebraretur....*

659 Quanquam dubium fortasse videri potest , an hujusmodi formâ Apostoli aliquem baptizaverint , si Ambrosii , & Basili , Sanctissimorum , & gravissimorum Patrum , autoritatem sequi volumus , qui ita Baptismum in nomine Jesu Christi interpretati sunt , ut dixerint , iis verbis significari Baptismum , non qui à Joanne , sed qui à Christo traditus esset ; tametsi à communī , & usitatâ formâ , quæ distincta trium Personarum nomina continet , Apostoli non discederent . Hæc Catechismus . Quibus accedit Cypriani , Hilarii , Hieron . Aug . authoritas , factum illud negantium , & assidentium , nunquam Apostolos baptizasse his conceptis verbis , *In nomine Christi* ; sed semper præscriptâ à Domino formâ Matth . ult . sicut modò . Id quod expresse tenent ex nostris , præter laudatos , Canus lib . 6 . de locis , cap . 8 . ad 7 . Sotus in 4 . d . 4 . q . un . a . 6 . ad 1 . § . *Ubi ante . Martinus , & Petrus Ledelius , Nuñus , aliique .*

660 His adnumerandi sunt famosi illi Tridentini PP . Leonardus Marinus , Ægidius Fuscarius , & Franciscus Forerius , (laudati Catechismi , ex commissione Concilii , & Rom . Pont . Concinatores) dubium judicantes factum illud , ut vidimus . Quibus ex Extraneis mordicūs adhærent Salmeronius , Henriquez , Baronius , Suarez , Vazquez , Bellarminus , Maldonatus , Granadus , Castro palauis , Ægidius , Filiuti , Hurtados , Aversa , plurimique alii , quibus libenter , ob dicta , assentior , & ob alia momenta ab illis librata ; & maximè , quod & hodie nos verè baptizamus *in Christi nomine* , hoc est , in fide , vel in professione nominis Jesu , ut plures interpretantur ; vel ejus loco , vi , & auctoritate , ut Cano , aliisque placet ; vel tandem , solō baptismate à Christo instituto , juxta Basiliū , & Amb . à Catechismo probatos : Quæ ultima interpretatio valde confona est

relatis Actuum 19. ubi respondentes Paulo , se baptizatos esse in *Joannis baptisme* , mōx in nomine Jesu baptizati sunt, ut ibidem additur. *Aliam* adjungit Canus solut. dicens: Ac si præscriptā illā formulā nominis Jesu Christi, Apostoli baptizarunt, non putandi sunt tamen, Spiritū S. Patrisque nomen omisisse; sed in nomine Patris , & Filii ejus Jesu Christi , & Spiritū S. baptizasse. Et ita factum fuisse confirmat Mag. Nicolai authoritate Abdiæ Babylonici.

661 Ad ult. (omissâ solut. afferentium , Nicolaum I. ut privatum Doctorem , deceptum fuisse circa valorem Baptismi sub illa forma , de qua non fuerat interrogatus) R. quod cùm ad Ambrosii sensum , & ad tempora Apostolorum remittat ; dicendum est , ipsum eodem modō, quod Ambrosius , accepisse Baptismum *in nomine Christi* : Declarat ergo Pontifex, Baptismum illum à Judæo collatum, esse ratum, si *in nomine Christi* , id est , si baptismus à Christo institutum confidere intenderit , & non baptismus aliquod Judaicum; quod utique intendit, si in nomine seu autoritate Christi , vel Trinitatis, adhibitā tamen formā contuetā, baptizare voluit. Vide Mag. Nicolai in Marg. & Contentorum hīc.

DUBIUM II.

Quis sit Baptismi Minister , qualis necessitas , quodnam subjectum , & quinam effectus?

662 **P**rima concl. Ordinarius Baptismi Minister solus est Sacerdos , Parochus , vel ejus Vicarius : Minister autem necessitatis , est quivis homo utriusque sexus ; modō sit rationis , proferendae formae , & adhibendae materiæ , compos. Prima p. traditur cap. Constat; dist. 4. & à Florent. in Decreto de Sacram. §. de Baptismo. Diaconus autem , ut ex forma ordinationis ejus patet , habet ex proprio officio po-

testatēm solemniter baptizandi ex commissione Episcopi, vel Parochi. Secunda p.eſt de fide ex C.Later.IV.cap. Firmiter, & ex Florent. ubi suprà , & ex universalī Ecclesiæ Traditione, & praxi. Ratio autem congruentiæ eſt, maxima hujus Sacramenti necessitas. Ordo nihilominus servandus eſt inter hujusmodi Ministros ; mulier enim (ait Cathec. R.) si mares adsint, Laicus item præſente Clerico , tum Clericus coram Sacerdote , Baptismi administrationem ſibi ſumere non debent. Nisi forte vir non fit Baptismi conferendi peritus. Vel, ob honestatem , præferenda ſit mulier etiam Parochio, ut ſi baptizandus nondūm perfectè ex utero prodierit. Inverſio præfati ordinis , lethalis eſt , ſi Presbyter, aut Diaconus poſtponantur; ſecùs ſi reliqui, quibus non ex officio competit facultas baptizandi.

663 Nota hīc 1. neminem ſeipſum unquām baptizare poſſe, ut determinavit Innoc. III. cap. Debitum de Bap. jubens denuò baptizari Judæum , qui ſe in articulo mortis constitutum baptizaverat , quia, ut ait , *inter baptizantem, & baptizatum debet eſſe diſcretio*. Addit autem, Judæum illum, ſi ſic obiiffet, salvandum ; ſed ratione Baptismi flaminis , non fluminis. Nota 2. cont. Cajet. & Marſil. nullum eſſe Baptisma, ſi unus abluat , alter verba proferat , cum tunc hæc necessariò falsificetur. Si tamen duo unū ſimul baptizarent utroque ſimul dicente, *Ego te baptizo, &c.* ratum & unum eſſet baptismus , quod Christus per duos conſerret: Puniendi tamen eſſent de inordinato modo baptizandi , & non de iteratione Baptismi ; qualiter puniendus foret, qui verba proferret jam priùs ab alio prolata. Si autem ſimul baptizantes, hāc formā uterentur , *Nos te baptizamus* , nihil efficient , quia tali formā, ex vi verborum , exprimitur pluralitas miniftrorum, & intentio talis pluralitatis ; quod & intentioni Christi, & Ecclesiæ , & rationi formæ legitimæ contrariatur , ut docet D.Th. hīc q.67.a.6.

664 Secunda concl. *Necessarius eſt Baptismus ad ſalutem necessitate medii, extra Martyrium in parvulis, ſive in re, ſive in voto.* Eſt com. cont. Geron. Caj. Gabr. aliosque, pefſimè audientes apud Theol. Et jure; conſtat enim concl. ex il-

illo Joan. 3. *Nisi quis renatus, &c.* Quibus, ut Amb. ait, nullum excipit, non infantem, non aliquā præventum necessitate. Idem perpetuò docet Aug. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, exceptis illis qui pro Christo suō sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam eternam, qui hic non fuerit per baptismum liberatus. Idem docet C. Flor. in Decreto, dicens: *Cùm per unum hominem mors introierit in universos; nisi ex aqua, & Spiritu S. renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in Regnum Cœlorum introire.* Et Trid. sess. 6. cap.4. loquens de translatione à statu filii iræ ad statum gratiæ, ait: *Quæ quidem translatio, post promulgatum Evangelium lavacro regenerationis, aut ejus rōtō, fieri non potest.* Accedit praxis Ecclesiæ, negantis sepulturam infantibus, Baptismō fluminis vel sanguinis non renatis. Accedit demū, & ratio D.Th.q.68.a.1. quia hi neutiquā sunt Christo incorporati.

665 Tertia concl. *Quivis homo viator, nondūm baptizatus, est subiectum Baptismi capax.* Est definita in variis CC. & constat, quia omnis ille est capax Regni Cœlorum; at non est illius capax (exclusō Martyrii casu) nisi mediante Baptismō, juxta illud, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Sed non licet, extra casum mortis certò imminentis, baptizare infantes, invitatis eorum parentibus non baptizatis; seu Principibus infidelibus, seu fidelibus sint subiecti: Infantes tamen mancipiorum, possunt & debent, istis invitatis, baptizari; quantumvis nati fuerint ante servilem parentum conditionem. Primum constat, nam aliás fieret injuria religioni, aut parentibus: nam si horum curæ relinquerentur, religionem adulti desererent: si verò ab illis subtraherentur, paternum jus violaretur; utrumque cessat, imminente infantis morte: Quod si istam tunc evaderet; eripiendus foret, in fide Christiana instruendus, nam ad id, jus acquisivit Ecclesia per illius Baptismum. Secundum autem etiam patet, quia mancipia nullam retinent patriam potestatem respectu educationis, & dispositionis liberoruī.

666 Amentes, & furiosi à nativitate aut pueritiâ, nec habentes lucida intervalla, baptizandi sunt, etiamsi ex infi-

de-

delibus nati sint , si commodè fieri possit ; cùm cesset periculum profanationis. Facti amentes post rationis usum, baptizandi sunt, si ante amentiam Baptismum petierint; secùs , si secùs. Idem de habentibus lucida intervalla , ac de dormientibus respectivè esto judicium: quamvis in his (seclusò periculò) melius sit expectare tempus in quo rationis sint compotes , ut reverenter ac devotè Baptisma suscipiant. Sic D.Th. communiter receptus, q.68. a.12.

667 Siquandò monstrum humanum Baptismo offeratur, & constiterit , unicum esse suppositum ; simplici formâ baptizandum est : si verò fuerint duo, geminandus est baptinus. Rarissimè autem accidere potest ut sint duo , nisi ubi duo essent integra capita, & pectorum divisio, sic ut alterò quiescente capite, alterum vitales operationes haberet. Ubi verò non constiterit eos esse duos , ut quia non habeat duo capita benè distincta, & hujusmodi ; tunc baptizatò prius unò, potest alter dubiè baptizari , dicendo : *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Quòd si monstrum habeat caput ferinum , etli reliqua membra habeat humana ; sub conditione baptizandum est : *Si es homo, &c.* Si autem nullum membrum habeat humanum , baptizandum non est. Notandum hic duximus , monstri nativitatem neutiquam ascribendam Parentum culpæ , sed in occulta Dei judicia referendam.

668 Si puer adhuc sit in utero , & periclitetur ; & obstetrix , aut Chirurgus expertus, possit eum ablucere aquâ tepidâ (frigida enim Matrem occideret) baptizandus est sub conditione; quia licet non sit natus ex utero, est tamen natus in utero , & de non homine factus est homo , capax ablutionis baptismalis, quod sufficit ut possit baptizari. Sic cum Victoria & pluribus aliis tenet novissimè noster Ludovicus Fliegen. Nec adversantur D. Th. a.11. & Paulus V. id fieri vetans in suo Rituali Rom. Loquuntur enim ex suppositione, quòd parvulus non possit ibi ablui , vel certè non sine occisione matris innocentis : secùs si id fieri possit , & quidem absque matris læsione : Sic autem fieri posse , & plures docent , & praxis ipsa demonstrat , ait laud.

laud. Fliegen.

669 Quarta concl. Præcipui Baptismi effectus sunt, infusio gratiæ regenerativæ, omne peccatum omnipotensque hujus poenam (seclusò obice) plenè remittentis: & infallibilis indelebilis characteris impressio. Est de fide, & quoàd plenam peccati remissionem, constat præclarissimis utriusque testamenti oraculis. Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Mich. 7. Projiciet in profundum maris omnia peccata vestra. Act. 22. Baptizare, & ablue peccata tua. 1. Cor. 6. enumeratis ab Apost. gravioribus peccatis, ait: Et haec quidem fuisti; sed abluti estis, sed sanctificati estis. His accedit diffinitio C. Flor. dicentis ubi supra: Effectus hujus Sacramenti est remissio omnis culpe originalis, & actualis. Et Trid. sess. 5. can. 5. ubi anathemate percellit dicentes, per gratiam baptismalem peccata non tolli, sed tantum radiri, aut non imputari.

670 Quoàd plenam omnis poenæ remissionem, constat Traditione, omnium PP. consentione firmatâ, & ex laudatis CC. Floren. & Triden. diffinientibus, nihil in baptizatis remanere, quod eos ab ingressu Cæli remoretur, adeòque nullam eis injungendam esse pro præteritis peccatis satisfactionem. Et ratio D.Th. est, quia cum juxta Apost. Rom. 5. in morte Christi baptizemur, illi per baptismum incorporamur, quæ fuit plena pro omnibus omnium hominum peccatis satisfactio. Vide q. 68. a. 5. & q. 69. a. 2. Quoàd impressionem tandem characteris, est diffinita in Trid. sess. 7. de Sacram. can. 9. & less. 23. cap. 4. Vide suprà à N. 567. Vocabamus autem eam infallibilem, quia nullâ fictione, seu obice Sacramentum non irritante, impediri potest; in quo, à gratia, virtutibus, & donis, illam comitantibus, distinguitur.

671 Ult. concl. Baptismus validè sed fictè suscepimus, fictione per poenitentiam sublatâ, reviviscit, seu eandem gratiam baptizato confert, quam, obice non stante, contulisset. Et D. Th. q. 69. a. 10. & com. cont. paucos, illam Ven. Petrus Sotus piam, & Dei misericordiâ dignam appellat; quam, inquit, tota Ecclesia sequitur: non quòd sit diffinita, sed quia à

à PP. & Theol. communiter recepta. *Prob. autem, Tum ex illo Aug.l. i. de bap. cap. 12. Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cùm illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.*

672 *Tum rat.D.Th. Quia baptismus validus, est ex se productivus gratiæ regenerantis, sicut grave est ex se mobile deorsum: ergo sicut istud illuc movetur, sublatō impedimentō; sic baptismus gratiam producit, remotō obice. Tum demūm, quia regeneratio fieri debet per baptismum in re, vel in voto, juxta illud, Nisi quis renatus, &c. sed in casu nostro fieri nequit per novum baptismum, aut ejus votum: ergo fieri debet per reviviscentiam baptiſmi, validē anteā ſucepti. Profectō originale peccatum (à quo ille, recedente fictione: nundatur) folō baptismate, & non pœnitentiā, ad folius actualis ablationem institutā, deletur.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

673 *Opp. i. cont. i. concl. Simplex Sacerdos, non nisi Parochi, aut Episcopi commiſſione, baptizare solemniter potest; non secūs ac Diacouus: ergo uterque, vel neuter, est baptiſmi ordinarius, seu solemnitatis Minister. Præt. Hieron. aliique PP. docent, Sacerdotem non posse sine Episcopi commiſſione solemniter baptizare. Præt. Laicus nequit Sacramentalia baptiſmi perficere: ergo nec baptizare, quod est majus. Præt, C. Carthag. denegat mulieribus facultatem baptizandi. Præt. Non baptizatus, non pertinet ad Ecclesiam, nec potest alia Sacra menta ſuscipere; ergo nequit esse ullius Minister, nec baptizare, quod est majus quam alia Sacra menta ſuscipere.*

674 *Ad 1. R. diſcrimen inter ſimplicem Sacerdotem, & Diaconum, quoad baptiſmi ministerium, eſſe, quod ille ex vi ſuæ ordinationis eſt Minister Ordinis ex officio; iſte verò ſolum ex commiſſione: Unde oritur, quod illi, ad libitum Parochi, vel Episcopi, committi potest munus baptizandi; Diacono verò, non niſi magnâ urgente causâ. Ad 2. R. intelligendos eſſe (ut Catech. R. ait) de eo baptiſmo, qui certis anni diebus (ut in Vigilia Paſchæ & Pente-*

CO-

coltes) solemni cæremoniâ administrari consueverat. *Ad 3.R.* cum D.Th. q.67. a. 3. ad 2. Sacramentalia illa pertinere ad solemnitatem , adeòque à solo Sacerdote fieri posse, cuius est solemniter baptizare. *Ad 4.R.* Con. illud, & si quæ alia idem docent , loqui de baptismo solemnii, vel præsente masculo , & quidem ad hoc ut possint licetè. Vide D. Th. a.4. ad 1. *Ad ult.* resp. S.D. a.5. ad 2. & 3. quod non baptizatus , quamvis non pertineat ad Ecclesiam re, potest tamen pertinere intentione , & similitudine actus , quatenus scilicet , intendit facere quod facit Ecclesia; & sic operatur ut Minister Christi , qui virtutem suam non alligavit Ministris, sicut nec Sacrementis. Reliqua autem Sacra menta non sunt tantæ necessitatis.

675 Opp.2. cont.2. cum Cajet. Fides parentum aliquo signo sensibili manifestata , sufficiebat pro justificandis pueris , ante octavam diem periclitantibus : ergo & modò pro illis quibus baptismus conferri non potest , ob defectum aquæ : alias arctata fuisset per Christum via salutis , contra ipsius oraculum Joan. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiū habeant.* Præt. Quia aliàs seria illa antecedens voluntas salutis omnium , præfatos pueros non comprehenderet , nec in maternis uteris periclitantes: ergo pro omnibus illis satis erit paternum baptismi votum.

676 *Ad 1.R.* cum D.Th. Quodl.6.a.4.N. cons. & prob. non enim arctior , sed latior facta est via salutis , pluresque nunc , quām tunc salvantur infantes; cùm absolutè facilis sit aqua (valde communi , & ferè semper omnibus obviā) illos à quolibet ablui , independenter ab abluentis & parentum fide , quām , vel hujus actum supernaturalem elicere , aut istum signo sensibili (quantumvis indeterminato) conjungere: Et maximè , cùm baptismus & ubiorem gratiam conferat , & citius ad gloriam perducat; tametsi rarissimè non possit subito morienti conferri ; id enim est per accidens , & secundum quid. *Ad 2.N.* ant. quo ad utramque p. ut enim voluntas illa salutis omnium , præfatos pueros comprehendat; sicut & generalis Christi redemptio ; sufficit quod Baptismus , quantum est ex parte Dei , fuerit pro il-

illis institutus, illis oblatus, præparatus, & per merita Christi sufficienter obtentus, quantumvis eisdem, justo Dei judiciō, non detur. Vide t.3. à N. 415.

677 Opp.3. cont.3. Parvulis, & perpetuō amentibus deest capacitas instructionis, & Baptismi voluntas: ergo. Præt. Ambrosius, Nazian. aliique Sanctissimi Viri, diū Baptismi susceptionem distulerunt. Præt. Infideles non baptizati, tenentur filiis baptismum procurare: ergo id nolentes, abutuntur patriā potestate, quā proinde jure privari possunt, & parvuli illorum filii baptizari. Præt. Licitum est, liberare puerum, invitis parentibus, à morte corporali: ergo etiam à spirituali per baptismum. Præt. Licitum est, voluntatem superioris facere, invitō inferiore: ergo & licet, invitis parentibus, horum filios baptizare, ob voluntatem Christi jubentis Matth. ult. omnes baptizari. Tandem: Vinculum Matrimonii tollitur propter infidelitatem: ergo & jus paternum, quod est minus.

678 Ad 1.N.conf. nam ad valorem Baptismi nulla requiritur in parvulis & perpetuō amentibus dispositio. Ad 2. N. etiam conf. illum enim distulerunt, non quod se illo incapaces, sed indignos reputarent. Et quidem Amb. dilationis postea doluit, & ut eam alii vitarent vehementer admonuit, ut notat Baronius ad an. 377. Ad 3.N.2. conf. nam Ecclesia nullam in illos habet jurisdictionem: Deo igitur relinquendi sunt puniendi. Ad 4.R. cum D. Th. q. 67. a.10. ad 1.N.conf. Nec enim licet eripere quempiam à morte spirituali, contra jus naturæ: sicut nec à morte naturali, contra jus civile. Regis autem Sisebuti (ut replicæ occurram) Judeos ad Baptismum cogentis, laudatur quidem zelus & intentio à C. Tolet. IV. sed factum improbatur. Ad 5. N. conf. præceptum enim illud Christi, respicit adultos, qui baptizari non possunt inviti; adeoque nec parvuli, invitis parentibus non baptizatis. Ad ult. R. disp. esse, quod uterque conjux est sui juris; secùs puer ante rationis usum; quod si ad istum pervenerit, tenet paritas; ideoque baptizari potest volens, invitis parentibus.

679 Opp.4. cont.4. Pœnalitates hujus vitæ, & mors, sunt

sunt pœna originalis peccati ; sed non auferuntur per baptismum : ergo non est hujus effectus remissio omnis pœnæ. *Opp. præt. cont. ult.* Si baptismus, recedente fictione , suum fortiretur effectum ; gratia baptismi omnia omnino peccata deleret , non modò ipsum antecedentia & concomitantia, sed etiam subsequentia , quod est falsum : ergo. *Tandem:* Gratia per pœnitentiam obtenta , & fictionem auferens, omne peccatum mortale, etiam originale, remittit ; sed illa priùs naturâ infunditur , quām gratia baptismi : ergo hæc nullum delet, cūm omne supponatur remissum. *Ad 1. R.* dist. cons. non est remissio omnis pœnæ peccati actualis, N. originalis, subdist. quantum ad exclusionem à gloria, N. quantum ad necessitatem corporaliter patiendi & moriendi, C. Licet enim baptismus habeat vim auferendi pœnalitates ; eas tamen non aufert in hac vita , ut possimus Christo ut capiti conformari , & ob alias congruentias assignatas à D.Th. q.69. a.3. Auferentur autem virtute baptismi à justis in resurrectione , cūm mortale hoc induerit immortalitatem , ut dicitur 1. Cor.15. Vide S.D. suprà q. 49. a.3. ad 3. & q.52. a.5. ad 2.

680 *Ad 2.R.cum D.Th.hic a.10. ad 3.N. maj.* nullum enim Sacramentum est remissivum , nè indirectè quidem, peccati futuri, seu illud subsequentis ; nam respectu hujus, est quidem Sacramentum medicina præservativa ; non tamen curativa : Peccata igitur baptismum subsequentia , sicut & fictio , istâ recedente, remittuntur per pœnitentiam, non per baptismum ; ideoque non remittuntur quoad totum pœnæ reatum. *Ad ult. resp.D.Th.ibidem ad 2.* dicens: *Ad Baptismi effectum consequendum . . . concurrit Baptismus , & pœnitentia :* sed Baptismus sicut causa per se agens ; pœnitentia sicut causa per accidens , id est , removens prohibens. Itaque gratia ab utroque Sacramento eodem reali momento dimanat, sed secundum diversas rationes ; nam ut *regenerativa*, est à baptismo ; ut *sanativa*, à pœnitentia, mutuò se juvantibus Sacramentis , neutròque independenter ab alio operante, sed suum effectum sibi invicem permittente.

281 Sciendum est hic , quod ad baptismi reviviscen-
tiam

tiam in eo, qui merè *privativè*, seu cum inculpabili omissione dispositionis necessariæ, fictus accelsit, nec ullum postea mortale admissit; sufficit attritio supernaturalis, in cuius carentia obex ille consilit; & quæ sufficeret ad baptismi effectum, si adfuisset. *Quòd si fictus privativè*, in mortale labatur post baptismum, eadem in ipso requiritur dispositio ad reviviscentiam, ac in ficto *positivè*, seu accedente cum actuali affectu ad aliquod mortale; nimirùm, vel contritio perfecta, vel attritio cum absolutione. Et ratio est, quia peccata post baptismum comissa, solum pœnitentiâ delentur, cum subdantur Clavibus Ecclesiæ.

DUBIUM ULTIMUM.

Utrum convenienter describantur tria Baptismata, & quodnam sit potissimum?

682 **P**rima concl. est affirm. nempè, convenienter distingui baptismata fluminis, seu aquæ, flaminis seu pœnitentiæ, & sanguinis seu martyrii. Sic enim illa distinguunt communiter PP. videndi apud Sotum, & Uvalensem. Et colligitur (juxta Orig.) ex illo Joan. 6. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* Ratio autem D. Th. q. 66. a. 11. est, quia effusio sanguinis pro Christo, & operatio interior Spiritus S. supplent vicem baptismi aquæ, seu conferunt præcipuum illius effectum, nempè, gratiam; hanc enim causat ille virtute Spiritus S. & passionis Christi, quæ non alligatur Sacramento: jurè igitur hæc duo vocantur *baptismata*, quia licet Sacra menta non sint, baptismi tamen sacramentalis vicem supplent, *quia sic mundatur homo à peccatis per pœnitentiam, vel sanguinis effusionem, sicut per lavacrum*, ut ait Glossa super il lud Heb. 6. *Baptismatum doctrinæ.*

683 Secunda concl. *Baptismus sanguinis, est omnium potissimus quantum ad Sacramenti effectum.* Est D. Th. ubi suprà a. 12. & constat, Tum auctoritate Aug. Tum, quia in il-

illo excellentiū operantur causæ effientes gratiæ , nempè Spiritus S. & Christi passio ; hæc enim operatur in baptismo aquæ , per quandam figuralem repræsentationem ; in baptismo flaminis , seu pœnitentiæ , per quandam affectiōnem ; sed in baptismo sanguinis per operis imitationem : Similiter virtus Spiritus S. operatur in baptismo aquæ , per virtutem latentem ; in pœnitentia , per cordis commotio-
nem ; sed in martyrio, per potissimum dilectionis affectum.
Joan. 5. Majorem charitatem nemo habet , &c.

684 Tertia concl. *Baptismus sanguinis , seu martyrium , confert gratiam ex opere operato moraliter , seu passivè , tum parvulis , tum adultis.* Est fere comm. ut videre est apud M. Prad. q. 66. dub. 12. accuratissimè , pro more , Theologorum sententias referentem. *Consultò autem dicimus passivè , seu moraliter ; causare enim gratiam activè , & physice , proprium est Sacramenti Novæ Legis , quale non est martyrium : Solùm ergo afferimus , quod Deus ad martyrii tollerantiam , communicat martyri gratiam , præter , aut su- prà hujus meritum.* *Prob.* autem concl. Et quidem de parvulis , constat auctoritate Ecclesiæ , colentis ab initio (ut ostendit Baronius ad an. 58.) ut veros Martyres infantes , Christi causâ ab Herode occisos , quorum salutem , non speciali privilegio , sed uni morti pro Christo obitæ tribuunt perpetuo PP. adeoque idem dicendum de cæteris infantibus , ob eandem causam occisis , aut occidendis , seu natim sint , seu in utero matris. *De morte , causa , & voluntate , ad martyrium exactis.* Vide t. 2. à N. 106.

685 De adultis verò , etiam constat , *Tum ex dictis , si enim martyrium ex opere operato justificat parvulos: ergo & adultos , nam vis salvandi parvulos , non convenit martyrio ex privilegio etati concessò , sed morti ; quia nimirūm , mors martyris , est realis imitatio passionis , & mortis Christi , ut docet D.Th. idem autem habet in adultis , ut patet : ergo.* *Tum ex illo Matth. 10. Omnis qui confitebitur me coram hominibus , confitebor , & ego eum coram Patre meo , & aliis similibus Marci 8. Lucæ 9. & Joan. 10. quibus , Christum confidenti , & pro illo vitam perdenti , salus pro- mit-*

mittitur, non tanquam præmium dilectionis, sed tanquam speciale privilegium, morti pro Christo obitæ concessum juxta PP. *Tum*, quia martyrium ex passione Christi, cuius est imitatio, efficaciam derivat remittendi omnem pœnam; ideoque *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, ut dixit Inn. III. cap. Cùm Marthæ de celeb. Miss. *Tum* demùm, quia aliás non distingueretur à baptismo flaminis, ut patet: nec baptismi sanguinis efficaciam æquaret, contra PP.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

686 Opp. 1. cont. 1. illud Ephes. 4. *Unum baptisma*, quod in Symbolo PP. Sancta confitetur Ecclesia. *Præt.* cont. 2. *Baptismus sanguinis non imprimet characterem, si-
cut baptismus aquæ: nec prodest sine baptismo flaminis,* juxta Apost. 1. Cor. 13. dicentem: *Si tradidero corpus meum,
ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi pro-
dest.* Prodest autem econversò baptismus flaminis sine martyrio, nec enim soli Martyres salvantur: ergo. *Ad 1. resp.* D. Th. q. 66. a. 11. ad 1. unitatem baptismi salvare, quia pœnitentia, & martyrium dicuntur baptismata, quatenus supplant vicem baptismi sacramentalis, seu aquæ, & includuntur in illo. *Ad 2. Dist. conf.* cum S.D. a. 12. ad 1. ergo baptismus sanguinis non est potior, quoad rationem Sacramenti, & characteris, qui est res, & Sacramentum, C. quoad secundum Sacramenti effectum, seu gratiam, N. *Ad ult.* N. conf. Imò ex quo baptismus sanguinis non sit baptismus nisi includat baptismum flaminis, & non econversò; infertur, illum præminere. Sic D. Th. ibidem ad 2.

687 Opp. 2. cont. 2.p. 3. concl. illud 1. Cor. 13. supra laudatum, *Si tradidero, &c. charitatem autem non habuero,
nihil mihi prodest.* Quod D. Th. exponit de martyrio, nihil juvante sine charitate: unde & hic q. 66. a. 12. ad 2. alibi que infert, baptismum sanguinis includere baptismum flaminis: ergo. R. Apost & D. Th. loqui de subeunte mortem pto Christo sine charitate, tam præviâ, quam concomitante, aut subsequente, quia huic obicem ponit per effectum ad peccatum mortale, ut ipse D. Th. ait super locum Apostoli. *Nec obstat (quidquid autumet Contens.) quod*

2. 2. q. 124. a. 2. ad 2. aslerat S. D. martyrium esse actum imperatum charitatis, ad illud inclinantis, & moventis. Ibi enim solum vult, martyrium regulariter, & ordinariè imperari à charitate, taleque imperium requiri ad promptam, & delectabilem, non autem absolutam mortis tollerantiam: docet enim Quodl. 4. a. 19. quod offerre se ad martyrium, & istud sufferre, potest quis sine charitate etiam imperfecta. Itaque Martyr nunquam sine charitate decedit, quia vel illam martyrium supponit, aut invehit.

688 Opp. 3. idem illud Joan. 15. Majorem huc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: ergo. Præt. Scriptura solum promittit gratiam ponentibus animam propter Christum; sed ly propter importat affectum dilectionis: ergo. Tandem. Actus fortitudinis, qualis est martyrium, non facit ex attrito contritum, nec est meritorius, nisi charitate formatus: ergo. Ad 1. N. conf. non enim est sensus, quod martyrium necessariò à charitate imperetur; sed ut summum, ita ordinariè fieri, & ex eo, maximam esse charitatem, recte colligi. Ad 2. N. min. sed solum importat causam inflictæ mortis. Ad ult. dist. conf. ergo martyrium non præbet talem effectum, ut est actus fortitudinis, C. ut est realis imitatio passionis Christi, N. De Sacris Baptismi ritibus vide S. D. suprà q. 66. a. 10. De Catechismo autem, & Exorcismo, ad baptismi præparationem potius spectantibus, quam ad formæ solemnitatem, jurè agit S.D. q. 71. ubi videndus. Ac de Sacramento Baptismi, hactenùs.

DISPUTATIO II.

De Sacramento Confirmationis.

689 **R**Oborandis renatis fonte baptismatis, adhibetur *Confirmatio*, sic dicta à primario effectu, nempē, spirituali corroboratione, ac fidem intrepide profitendam. Vocatur etiam à PP. *Manum impositio*, *Consignatio*, *signaculum dominicum*, *unguentum deificum*, & *Chrismatis Sacramentum*. Illius Tractatum absolvit S. D. q. 72. duodecimi articulis distributâ. Quatuor primis differit de illius essentia; tribus sequentibus, de effectibus; 8. & 9. de subjecto; 10. de Patrino; 11. de Minitro; duodecimo tandem, de Ritu. Quæ omnia seq. dubiis complectemur. Sit igitur

DUBIUM I.

*Quænam sint materia, & forma Confirmationis,
& quinam effectus?*

690 **S**upp. 1. ut fide certum, ex Script. Traditione, CC. & PP. apud Bellar. aliosque videndis, Confirmationem esse verum novæ Legis Sacramentum. Si quis dixerit (inquit Trid. sess. 7. can. 1.) Confirmationem baptizatorum, otiosam cæmoniam esse, & non potius verū, & proprium Sacramentum... anathema sit. Supp. 2. hoc Sacramentum institutum fuisse in ultima Cœna, ut communius docetur, & meritò; tunc enim Christus *Chrisma conficerere docuit*, id est, ritum conferendi Sacramentum *Chrismatis*, seu *Confirmationis*, ut ex Apostolica Traditione docet Fabianus Papa epist. 2. c. 1. Tunc igitur hujus Sacramenti designavit materiam, & formam expressit; adeoque illud tunc

tunc instituit, exhibendum tamen post Ascensionem. Et hoc solum intendit D.Th. dum hic a. i. ad i. ait, quod Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo. His supp. sit

691 Prima concl. *Remota Confirmationis materia, est Chrisma ex oleo olivarum, & balsamō confectum, ab Episcopo consecratum; proxima verò, Chrismatio seu inunctio Chrismatis in fronte baptizati instar crucis facta.* Quoad i. p. est fide certa. ex diff. Flor. in Decreto, dicentis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientia, & balsamo, quod odorem significat bona fama.* Quibus & congruentiam D.Th. a. 2. confirmat, & aperte docet, materiam Confirmationis æquè essentialiter ex balsamo, ac oleo constare; cum assertat, ex utroque confici Chrisma. *Aliter autem loquitur* (ut instantiam præcludam) *de materia calicis;* nec enim ait, illam esse confectum aut compositum ex vino, & aqua; sed, *esse vinum, cui modica aqua debet admisceri.* Recte igitur dixit D.Th. in 4.d.7.q.1.a.2.qq.2.& alibi, quod Chrisma est *oleum balsamatum.* Et hæc est communis sententia, cont. Cajet. Sotum, Valent. Navarr. & quosdam modernos.

692 Adeò autem necessaria est Episcopalis Chrismatis consecratio, ut nullâ commissione, nè Apostolicâ quidem, valeat Presbiter eam perficere, ut ex D. Th. a. 3. communiter docetur, cont. nonnullos, quibus Præodus noster mordicus adhæret: Legimus enim, etiam Apostolicâ Sede dispensante circa Ministrum hujus Sacramenti, inconcusse explicatum fuisse, quod utantur Chrismate consecratō per Episcopum, ut patet in Flor. ubi suprà. Accedit authoritas Catech. Rom. dicentis, *Neque ad alium ea confectio nisi ad Episcopum pertinere potest.* Quibus, & similibus ex Con. Uvormat. can. 2. innuitur, Chrismatis benedictionem solis Episcopis competere jure divinō, adeoque, vel à Summo Pont. indispensabili. Nec hic valet argumentum à majori ad minus; aliás posset Presbyter absque ulla commissione cōfirmare, & ordinare Episcopos ac Presbyteros, cùm pos-

fit conficere Corpus Christi, quod est majus. Sanè, cū Christum ab Episcopo consecratum facile possit quocumque defiri, Episcopus autem non tam facile possit haberī; congruentia est, ut Christus reliquerit Ecclesiæ facultatem substituendi Presbyterum in defectum Episcopi, urgente necessitate; secùs dispensandi ad Chrisma conficiendum.

693 Secunda verò concl. patet. Quia chrisatio est materiæ remotæ hujus Sacramenti applicatio: quæ quidem nunquam sine aliqua manu impositione contingit (tamen etiā diversa ab illa, quæ Apostoli Spiritum S. sæpè sine Sacramento, juxta infrà dicenda, conferebant: Episcopus enim baptizati frontem chrismando, manus imponit; & manus imponendo, chrismat. Quod fieri debeat per modum crucis, exigit veritas formæ, *Signo te signo crucis*. Convenientia autem est multiplex, quam optimè ex PP. expedit Contens. Ideo autem fit inunctio in fronte, ubi verecundia sedes est; nè Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus, quæ judæis est scandalum, gentibus autem stultitia, ut Flor. ait in sæpè laud. Decretō de Sacram.

694 Secunda concl. *Hæc est convenientissima Confirmationis forma: 3on signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Est fide certa ex perenni Ecclesiæ praxi, & Traditione, adducta à D. Th. a.4. in *sed contra*, & Florentini autoritate firmata. Accedit congruentia D. Th. Exprimit enim talis forma quidquid ad speciem hujus Sacramenti pertinet, nempè, signum crucis, quō notatur is qui in certamen Christianæ militiae descendurus est: deinde robur ipsum quod ad tallem pugnam accipit: demum hujus roboris principalem causam, videlicet, Trinitatem: ergo. *Quamvis autem Theologi frequentius doceant cont. Arcodium, Basil. Pont. Goar, Amicum, & quosdam alios, præfatam formam, non modo convenientem esse, sed & essentiale, & necessariam:* Quia tamen Græci sub illa confirmant, scilicet, *signaculum, &c.* Ecclesiâ Romanâ minimè improbante, juxta dicta N.511. licet nec expressè diffiniente; hâc controversiâ libens supersedeo.

695 Ult.concl. Præcipui Confirmationis effectus sunt, *gratia roborativa*, & character. Constat ex dictis suprà de Sacramentis generatim à N. 537. De primo autem sic loquitur Florent. in Decreto. *Effectus hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen.* Et hæc est communis vox PP. De charactere autem, dictum est suprà N.567. Qui quidem necessariò præsupponit characterem baptismalem; ita , ut si non baptizatus confirmaretur , nihil reciperet , sed iteratò confirmandus foret post baptismum , ur ostendit D. Th. a. 6. *Quod jam fide certum est, postquam Florent. distinivit, baptismum esse omnium Sacramentorum primum, & vitæ spirituæ januam, ut notant Sotus, Nuñus, Mart. de Prado, aliquique,* Ex dictis infertur, Confirmationem sine sacrilegio reiterari non posse : illam tamen iterans, non incurrit irregularitatem, quia id in Jure non exprimitur , & sententia jam communis evasit, cont.Richar. D.Antonin. Navarrum, & quosdam alios.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

696 Opp. 1. cont. 1. supp. Confirmationi non legitur à Christo instituta,nec in Lege veteri fuit præfigurata: ergo. Præt. Baptismus confert gratiam,& virtutes , quibus animus satis superque roboratur. In Eucharistia etiam vires spirituales accrescunt ; non secus ac cibô potuque corporis vigor reficitur : ergo superfluit Confirmationi. Ad 1.N.cons. Quavis enim Dominica Confirmationis institutio in Scrip. expressè non legatur (quidquid Basil. Pontius dicat) habetur tamen Apostolicâ Traditione, Patrum , & CC. attestatione firmatâ. Ad 2. N. cons. Cùm enim nihil ad perfectum adduxerit Lex , ut dicitur Hebr. 7. nihil in ea esse potuit Confirmationi respondens , que est Sacramentum plenitudinis gratiæ. Sic D.Th.a.1.ad 2. Vide suprà N.527. Ad ult. N.etiam cons. in Baptismo enim,ut Tertull. ait , infunditur gratia , donis & virtutibus stipata , ad innocentiam; in Eucharistia , ad spiritus delitias, & mentis saginam; in Confirmatione, ad pugnam. Itaque gratia sanctificans in

omnibus quidem Sacramentis confertur , sed in unoquoque specialis ; adeòque multiformis gratiæ Dei effectus , Sacramentorum distinctione clarescunt . Argumentum objici solitum cont . 2. supp . ruit ex eo , quòd causa efficiens (qualis est Minister) non est de essentia Sacramenti ; adeòque potest istud institui ante Ministri institutionem .

697 Opp.2. cont . 1. concl . Dum Apostoli Act . 8. imponabant manus super baptizatos , dantes eis Spiritum S. verè conferebant Confirmationis Sacramentum : ergo istud solâ manuum impositione sine chrismate confici potest . Omisis variis solut . R. cù D. Th. a. 2. ad 1. & a. 4. ad 1. N. ant . Apostoli enim cùm dabant Spiritum S. solâ manuum impositione ; non dabant Sacramentum Confirmationis , sed effectum Sacramenti sine Sacramento : adeòque nihil vetabat , ut illi denuò post Baptismum Sacramentō confirmarentur , ut optimè notant Sotus , Serra , & Mart. de Prado . Quando autem ut Ministri Sacramentorum , hoc Sacramentum conferebant ; semper utebantur eadem materiâ , & formâ , quâ modò utuntur Episcopi . Sic apertissimè respondet D. Th. ut mirum sit , plures RR. etiam Thomistas , allucinari circâ illius mentem . Vide M. Serra hîc a. 2. dub. un. ad 1. & M. Pradum dub. 4. §. 5. ubi , rejectis extremis argumenti solutionibus , planè demonstrant , laudatam D. Th. esse frequentiorem inter Scholasticos , & Sacris Canonibus ac Florentini Decreto valdè conformem . Vide etiam Basil . Pont. de Confirm. p. 2. cap. 6. Illust. Marinis hîc cap. 3. & M. Labat hîc dub. 2. §. 2.

698 Opp.3. contra necessitatem balsami: PP. Græci , & Latini sex priorum sacerdotorum , non meminerunt balsami : ergo non est credibile , ejus mixtionem esse de necessitate Confirmationis . Præt. Balsamum est rarissimum , & magni pretii ; ac difficilè cognosci potest , an sit verum , & purum : ergo . Tandem Innoc. III. interrogatus , an esset iterum confirmandus , solô oleo inunctus ? Respondet cap. Pastorialis , de Sacram. non iterand . In talibus non est aliquid iterandum , sed cautè supplendum , quod incautè fuerat prætermisum : ergo cenlet validum fuisse Sacramentum .

699 Ad 1. N. ant. meminit enim balsami Fabianus Papa , qui floruit seculo 3. (utpotè renuntiatus an. 236.) epist. 2. ubi jubet , chrisma singulis annis renovari, futilem judicans excusationem Orientalium Episc. prætexantium, non posse quotannis balsamum reperiri. Nec audiendus est Juvenin , suppositiam reputans laudatam epist. ob silentium Eusebii Cæsar. aliorumque Veterum : quasi illi, omnes Pontificum Epistolas retulerint. Insuper Dionysius, Theophilus Antioch. Origines, Tertull. Cyprianus, aliique vetustissimi : meminerunt *Chrismatis*; quod apud ipsos accipitur pro mixto ex oleo & balsamo : Nec hujus nominis sic sumptuosa signabunt Aristarchi primum authorem: adeoque fateri tenentur , à PP. traditione accepisse Gregorium illud in 1. Cant. *In Engeddi balsamum gignitur , quod cum oleo , Pontificali benedictione , Chrisma efficitur.*

700 Adde , quòd PP. priorum seculorum vocabant Confirmationem, potius quam Extremam Unctionem, *Sacramentum Chrismatis*; adeoque aliud intelligebant Chrisma, quam oleum. Ad 2. N. ant. quoàd 1. p. testatur enim Plinius, abundasse suò tempore montes , & colles balsamo, sicut vitibus. Nunc autem magna copia est in India , ejusdem substantiæ, et si diversi coloris , à Palestino. Ad reliq. pp. ant. R. non tantam requiri balsami quantitatem , ut emi non potuerit vel à pauperrimis Episcopis , saltè ex fideliū eleemosynis : Nec unquam defuerunt , qui discernerere possent , quodnam essentiam saltè balsami retinéret. Ad ult. N. conf. nam Pontifex solum vult , supplendum esse cautè, id est, *secretè*, & absque solemnitate, ob vitandum scandalum, id quod omissum fuerat in utroque casu sibi proposito , nempè, unctio olei , & balsami , quæ est quid substantiale in hoc Sacramento; & impositio manus in Subdiacono, quæ est quid accidentale.

701 Opp. 4. pro Presbyterali Chrismatis benedictione ex dispensatione Papæ. Nam Urbanus II. xviii. Kal. Oct. an. 1092. concessit Abbatì Cavensi privilegium consecrandi Chrisma, ut constat ex Bulla 1. Bullarii Rodriguez. Præt. Nam idem privilegium concessit Eug. IV. an. 1444. iv. Kal. Fe-

Februarii FF. Minoribus per Scithiam & Moldaviā Evangelizantibus, ut constat ex Bulla quam affert Uvandingus tom. 5. Annal. Min. pag. 454. Idem denique indultum fuit se Guardiano Montis Sion, testatur Franciscus Haroldus in Epit. Annal. Min. ad ann. 1342. N. 46. ergo. *Ad 1.* R. privilegium illud, si verum est, intelligendum esse, de Chrismate pro Templis consecrandis, vel pro unctione baptismatis; non autem Confirmationis. Et idem dicendum ad reliqua. Ipsa enim singularitas prætensi privilegii, maximè exorbitantis à jure communi & perenni Pontificum praxi, cogit sic interpretari clausulam ambiguam. Unde nec Missionarii illi, nec Solymus Guardianus aliter illam accipere poterant, ob præfatam Sedis Apostolicæ consuetudinem, omnibus notam. Per quæ cessat instantiæ quibus Franc. Hennus laudatam interpretationem infringere conatur.

702 Contra 2. concl. opponi posset quod S. Sylvester Constantimum confirmans, hanc formam adhibuit: *Signet te Deus sigillo Fidei, & Spiritus S. in consignatione Fidei,* sic enim legitur in edicto ipsius Constantini: ergo. Sed facile R. 1. datō ant. N. conf. Licet enim forma illa fore legitima, semper nostra esset convenientior. R. 2. N. ant. & prob. nam edictum illud esse apocryphum (falsum quoad hoc) vel inde constat, quod Constantinus non Romæ, sed Nicomediæ sub finem vitæ baptizatus fuit; ut expressè testantur Eusebius Cæsar. Amb. Hieron. & Catholici Antistites, qui confederant in Concilio Arim. in epist. ad Constantium Aug. quam referunt Athan. lib. de Syn. Arimin. Hilarius in fragmentis, Socrates, Theodoritus, Sozomenus, Casiod. Gelasius Cyzicenus, Photius, & Chronicon Alex. *Quapropter nullus jam Eruditorum* (si Baronium excipias) *de hac re dubitat, ut videre est* (inter innumeros alios) apud Aeneam Sylv. seu Pium II. Cusanum, Perronum J. Morinum. Natal. Alex. & J. Cabass. secul. 4. à pag. mihi 123. & Gravesslonum. *Admissò autem edicto illō, R.* in illo, non formam Sacramenti referri, sed historiam; nam Ecclesia Latina, quidquid sit de Græca, semper usus est formâ,

mâ, quam Florentinum probat. Ex dictis habes, nullam manuum impositionem, præter chrismissionem, esse hu jus Sacramenti materiam; adeoque nec Episcopi orationem esse illius formam, quidquid Natal: Alex. Genettus, aliique contentur. Nec enim Apostoli hoc Sacramentum ministrabant, dum orantes, prædicantes, aut manus imponentes, Spiritum S. conferebant, prout legitur in Actis; sed solum quando Chrismate inungebant baptizatos, sicut modò. Quod si tunc aliam, præter chrismissionem, adhibebant orando manuum impositionem, id ad meram cæremoniam referendum est.

DUBIUM II.

Quinam sint Confirmationis subiectum, & quis Minister?

703 **P**rima concl. *Omnes & soli baptizati sunt capaces hujus Sacramenti.* Quod soli patet, quia Baptismus est janua cæterorum Sacramentorum. Quod omnes, etiam infantes, prob. rat. D. Th. a.8. quia infantes renati per Baptismum, sunt capaces accretionis spiritualis, quæ fit per augmentum gratiæ. Et quidem primis Ecclesiæ seculis solebat illic statim post Baptismum conferri, & modò etiam apud Græcos confertur. Erroneum autem est asserere, Ecclesiam in re tam gravi aliquando errasse: ergo. *Maximè tamen expedit (ut Sacramenti reverentiae, & periculo iterationis consulatur) quod nullus ante septennium confirmetur, ut docet Cathec. Rom. nisi fortè malitia suppleat ætatem, aut mors puero immineat, ait enim D. Th. ad 4. quod pueri confirmati decedentes, majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinet gratiam;* adeoque expedit moribundos pueros confirmare, si occasio adsit.

704 **I**mò III. Marinis hic cap. 9. experientia edocitus (ut ait) censet, non scrupulosè attendendum ad usum rationis in confirmandis: Et relatis incommodis quæ ex op-

posito sequuntur, addit: Ceterum potissima inter omnes causas, ea mihi videtur, quod certi sumus, quod confirmandus recipiet effectum Sacramenti, qui est gratia, dum est in statu innocentiae: Quod valde dubitandum venit de pueris qui usum rationis attigerunt: de illorum enim perseverantia in gratia, vel actuali gratia justificante, non sine fundamento multum dubitare possumus: Ab anno enim septimo vel circiter nascentis usus rationis usque ad duodecimum, non in parvo versatur puer discrimine, dum potest peccare; & non adeo pollet judicio, ut per paenitentia Sacramentum expietur, & saepius passio verecundiæ os ad confessionem claudat.

705 Et in hujus conf. adjungit exemplum Insignis Archiep. Braccar. Barth. de Martyribus, qui omnibus infantibus confirmationem ministrabat; quin & plures ex doctrinibus PP. Tridentinis in suam adduxit sententiam, ob rationes sine dubio suprà positas, inquit laud. D. de Marinis: unde concluit ipse, consuetudinem non confirmandi ante septennium, non ligare Episcopos, sed integrum illis esse facere id quod magis ipsis videbitur expedire. Conveniens etiam est, ob laudatam D. Th. rat. quod morientibus, & etiam perpetuo amentibus hoc Sacramentum conferatur. Illi etiam qui post rationis usum facti sunt amentes, confirmandi sunt, si ante amentiam erant sufficenter dispositi. Quod si nec de eorum dispositione, vel indispositione constet, confirmandi erunt; unusquisque enim presumitur bonus, dum non probatur esse malus. Nec exigitur quod petierit hoc Sacramentum; sufficit enim virtualis voluntas, quam quilibet Christianus habet erga spiritualem salutem.

706 Secunda concl. Nullus tenetur per se & directè Confirmationem suscipere: Nullum quippe extat præceptum Divinum, aut Ecclesiasticum, id directè præcipiens. Indirectè tamen & per accidens, seu ex via aliorum præceptorum, contingere potest, ut omittens confirmari, mortaliter peccet, primò, ob scandalum, secundò, ob contemptum, tertio, ob periculum deficiendi in fide tempore persecutionis; ac demum si initiari debeat, ut Nuñus, Basil. Pont. & plures alii tenent, ob verba illa Trident. sess. 23. c. 4. Primâ

tonsurā non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non suscepint, quæ sanè præceptum preferre videntur, & res aliunde sit gravis. Id quod magis nobis arridet; quidquid alii opinentur.

707 Ut autem contemptus sit gravis, non sufficit negligentia suscipiendi, cùm possit; aliàs & Ordinem, & Matrimonium contemneret quilibet illa suscipere negligens; sed requiritur (ut nomen sonat) quòd parvipendat, ac perinde abjiciat, ac si nihil esset. Et sic accipendum est C. Senonen. dùm ait, *contemni autem dicitur quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens, negligit, aut despicit suscipere. Quamquam verò (inquit Cathec. R.) necessarium non est, (Sacramentum Confirmationis) à nemine tamen prætermitii debet: Sed potius maximè ca-vendum est, nè in re sanctitatis plenâ, per quam nobis divina munera tam largè impertiuntur, aliqua negligentia committatur.*

708 Ult. concl. *Solus Episcopus est hujus Sacramenti Ordinarius Minister; ex commissione tamen solius Romani Pont. solus Presbyter potest illud validè ministrare. Quoàd 1. p. est de fide cont. Photium, Uviclefist. Lutheran. & Calvinist. & est definita in Florent. in Decret. & in Trid. sess. 7. can. 3. de Confirm. his verbis: Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit. Ratio à priori est voluntas Christi. Congruentia autem affertur à D. Th. a. 11. ubi videnda. Quoàd 2. verò p. est D. Th. & com. cont. paucos negantes Papæ talem committendi potestatē, & com. Mart. Ledes. illam Episcopis asserentem. Prob. autem ex perenni Ecclesiæ praxi; plures enim Pont. Rom. hanc facultatē contulerunt Presbyteris, ut S. Gregorius Mag. (prout refert & probat Florent.) Joan. XXII. Urb. V. Eug. IV. Nicolaus IV. Alex. VI. Leo X. Adrianus VI. (qui oppositum anteà docuerat) Greg. XIII. aliisque. Nullus autem id concessit Diacono, etiam Cardinali: & quidem jurè, nec enim concedenda est potestas super Corpus Christi mysticum, non habenti illam super verum, ut ait*

ait D. Th. Nec ullus Episcopus commisit unquam talem potestatem simplici Sacerdoti. Et meritò , id enim pertinet ad plenitudinem potestatis, sibi Christi Vicario eximiam, ut post D. Th. docet Florentinum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

709 Opp. i. cont. i. concl. Apostoli fuerunt confirmati per adventum Spiritus S. sed non legitur fuisse baptizatos : ergo possunt confirmari non baptizati. Præt. Act. 10. iulsi Petrus baptizari eos , in quos jam descenderat Spiritus S. ergo idem. Præt. Post Baptismum confirmamur ad pugnam, ut ait Melchiades Papa ; sed pugna nec congruit fœminis, nec instat statim post baptismum morituris : ergo non est illis conferendum hoc Sacramentum. Ad i. resp. ex Aug. D. Th. a. 6. ad 2. quod ex illo, *qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*, intelligimus , Petrum , cæterosque Apostolos fuisse baptizatos , & quidem Baptismō Christi, non renuentis baptizandi ministerium , ut haberet baptizatos servos, per quos cæteros baptizaret.

710 Ad 2. N. conf. cum eodem ad 3. nam illi non acceperant Confirmationis Sacramentum , sed effectum. Vide sup. N. 697. Ad 3. R. cum D. Th. a. 8. ad 3. & 4. N. min. quoad 1. p. & concessâ quoad 2. N. conf. nam apud Deum fœmineus etiam militat sexus , imò quædam fœminæ fortiores viris existerunt in Martyrii agone , ut Chrysost. ait. Quamvis autem morituris statim post Baptismum non sit necessaria Confirmatio ad pugnam , est tamen valdè utilis ad majorem gloriam (pugnæ finem) consequendam. Vide D. Th. in 4. d. 7. q. 3. a. 2. qq. 2. ad 4.

711 Opp. 2. cont. 2. illud Urbani I. can. *Omnis de Conf.* d. 5. *Omnis fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritus S. post Baptismum accipere debent* , ut pleni Christiani inveniantur. Præt. Tenemur per alimenta corpus tenellum fovere , & augere : ergo & animam (cuius potiora sunt jura) confirmatione roborare. Ad 1. R. canonem illum non habere formam præcepti , sed solùm determinat jus divinum , nempè . quod non est simpliciter necessarium, sed valdè utile. *Nec amplius exigit ratio allata* ; quia illa

plenitudo non est *necessitatis*, quasi non sint sufficienter Christiani sine confirmatione; sed *abundantiae*, quae non oportet esse simpliciter necessaria, aut præcepta. *Ad 2. N. cons.* Sicut enim non tenemur per hoc numerō alimentum corpus augére; ita nec animam roborare solā Confirmatione; quae licet maximè utilis, non est tamen simpliciter necessaria ad spirituale augmentum.

713 *Opp.3. cont.1.p. ult. Act.9.* Ananias (qui non erat Episcopus) imposuit manus Paulo. *Præt. C. Tolet. I. can.20. Arauf.I.can.2. & Innoc.I. epist.1. c.6.* dicunt, Presbyterum, absente Episcopō, posse ungere Chrismate, & manus imponere; prælente autem, non nisi de ejus mandato. *Præt. C. Hispal.II. c.7.* ait, *Novellis & Ecclesiasticis regulis prohibitum est simplicibus Sacerdotibus ... per impositionem manuum & Chrismate baptizatorum frontem signare:* ergo id possunt jure divinō. *Tandem Hier. epist. 84. ad Evagr.* dicit: *Quid facit (exceptā ordinatione) Episcopus, quod Presbyter non faciat ? ergo.* *Ad 1. R.* illam manuum impositionem non fuisse confirmativam, cùm Paulus nondūm esset baptizatus, sed curativam cæcitatis. Illud autem, *ut implearis Spiritū S.* non ad manuum impositionem referendum est, sed ad baptismum; quem mōx recepit Paulus.

714 *Ad 2. R.* non esse ibi sermonem de chrismatiōne confirmationis. Concil. enim Tolet. loquitur de *baptismali*: Arauficanum verò, de illa quā inungebantur hæreritici ad Ecclesiam redeuentes, forsà ut suppleretur unctio ab iis in baptismō omissa. *Innocentius demūm*, loquitur de chrismatiōne energumenorum ad dæmonem expellendum. *Ad 3. R.* per ly *novellas* intelligi Divinas Novi Testamenti Regulas, quae sic appellantur respectivē ad Vetus Testamentum; quasi dicatur: Regulæ Novi Testamenti, & Ecclesiæ, prohibent. *Vel* dicendum, fuisse recenter revocatum privilegium confirmandi, quod Presbyteris Hispanis fuerat olim concessum. *Ad ult. R.* Hieronymum ibi solum velle humiliare Diaconos, fese Presbyteris comparantes: ostendens, Presbytētos (exceptā potestate ordinandi) esse serē Episcopis æquales, cùm consecrare, absolvere, &c. possint sicut Epis-

Episcopi; imò & confirmare extraordinariè, quod Episcopi possunt ordinariè.

715 Opp. ult. cont. 2. p. ult. Innoc. III. cap. *Quantò de consuetud.* decernit, ut fideles potius careant Confirmatione, quām ut illam à Presbiteris recipient. Præt. Potestas confirmandi non est *jurisdictionis*, sed *ordinis*, quam non dat Pontifex per delegationem. Ad 1. R. meritò sic decrevisse, quia Presbyteri illi absque Sedis Apostolicæ facultate confirmabant. *Alii autem Pontifices*, solis Episcopis afferentes confirmandi potestatem, loquuntur de *ordinaria*. Ad 2. R. potestatem ordinariam confirmandi, esse potestatem Ordinis Episcopalis; extraordinariam autem, Ordinis Presbyteralis, non quidem completam, sed complendam, & expediendam per Papæ delegationem. In Diaconis autem, & Subdiaconis nulla est potestas Ordinis ad confirmandum, nè incompleta quidem, adeòque non possunt ad id delegari. Ex hucusque dictis colliges, sic rectè diffiniri Confirmationem: *Sacramentum Nova Legis causativum gratiæ corroborativa*. Vel: *Chrismatio facta ab Episcopo in modum crucis in fronte baptizati sub præscripta verborum formâ*.

DISPUTATIO III.

De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

716 **Q**uia vita spiritualis, quam Baptismus præstat, & Confirmationis corroborat, Eucharistiæ nutritur; ideò Ang. Doct. absolutâ illorum consideratione, exemplò de isto adorando Sacramentō, omnium planè Maximō, sermonem instituit à q. 73. ad 83. inclusivè, accuratissimè, pro more, examinans illius naturam, effectus, subjectum, Ministrum, ad Ritum: adeòque fœliciter, ut posteriores OEcumenicæ Synodi, doctrinam ejus in Fidei Canones ut plurimum redigendo, con-

consecrarent. Cujus præcipua capita sequentibus dubius
enucleare tentabimus. Sit igitur

DUBIUM I.

*Pro quo supponat in recto Eucharistia, an sit unum
tantum Sacramentum, & qualiter
necessaria?*

717 **S**upp. 1. ut fide certum ex CC. Lateran. IV. cap.
firmiter, Flor. in Decreto, & Trid. sess. 7. 23.
& 21. Eucnaritiam esse verum Novæ Legis Sacramentum.
Et quidem omnium præstantissimum, ut ostensum est N.
637. *Supp.* 2. etiam ut fide certum ex Scrip. CC. & PP. in-
stitutam fuisse Eucharistiam à Christo D. pridie quām pate-
retur in novissima Cœna. *Hanc* autem celebrasse juxta Le-
gis præscriptum, die, seu lunâ 14. mensis primi ad poste-
riorem vesperam, in qua incipiebat solemnitas primi diei
azimorum, docent communiter Latini contra Græcos; ac
subinde tenent, Christum in azimo, non autem in fermento,
consecrasse. Mensis autem ille primus hebraicè dicitur
Abib, Chaldaicè verò *Nisan*, qui respondet Martio nostro.

718 Supp. 3. cont. Lutheranos, Zuinglianos, & Cal-
vinist. Eucharistiam non consilere in solo usū, sed esse ve-
rum Sacramentum ante sumptionem. Sic enim diffinitur in
Trid. sess. 13. cap. 3. & can. 4. *Si quis (inquit) dixerit, per-*
actâ consecratione, in admirabili Eucharistia Sacramento non esse
corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum
in usu dûm sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis, seu
particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel
superfunt, non remanere verum Corpus Domini; anathema sit.
Et hæc est communis vox PP. Ratio autem est, quia Eu-
charistia est instituta per modum cibi, & potûs, qui præsup-
ponuntur sumptioni, quæ solùm est conditio applicans:
Christus igitur dûm panem adhuc manu teneret dixit: *Hoc*
est

est Corpus meum, quidquid hæretici garrulent: aliàs si sola verborum series attendatur, ut volunt; sequeretur, contra ipsos, corpus, & sanguinem Christi solùm esse in Eucharistia post usum, dicitur enim Marci 14. Acceptò Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes; & ait illis: *Hic est Sanguis meus*, &c. His supp. sit

719 Prima concl. *Eucharistia supponit in recto pro solis speciebus consecratis continentibus Corpus, & Sanguinem Christi*. Est D.Th. hic a.6. & com. Thomist. quibus adhærent Henr. Granad. Dicaſtillo, Leander, aliique. Traditur insuper expreſſè in Catech. R. & prob. Nec enim supponit pro ſumptione, ut diximus; nec pro verbis confeſcationis; hæc enim ſunt forma Eucharistiæ, nulla autem forma eſt res ipia formata, ſed pars illius; deinde nec supponit pro Corpore, & Sanguine Christi; hæc enim ſunt in Euchariftia res, & Sacramentum simul, ut poſt Innoc. III. cap. Cum Martha, de celeb. Miff. docet D. Th. hic a. 1. ad 3. & a. 6. & 7. ergo non ſunt Sacramentum tautum, de quo eſt quæſtio: aliàs idem eſſet cauſa, & effectus, & ſignum, & ſignificatum, ſecundum idem, juxta dicenda N. 728. ideoque Sacra menta imprimentia characterem; non confiſtunt in iſto, nec pro iſto ſupponunt.

720 *Præt.* Trident. ſess. 13. cap. 3. & can. 1. diffinit, Corpus, & Sanguinem Christi contineri in Sacramento Eucharistiæ: ergo non Corpus, & Sanguis Christi, ſed species, ſub quibus realiter continentur, ſunt Eucharistiæ Sacramentum. *Præt.* Eucharistiæ Sacramentum verè frangitur, juxta illud Proſſæ, *Fractò demum Sacramentò*; ſed ſolè species franguntur, ut ibidem dicitur: ergo. *Tandem*, quia ita expreſſè tradit Catech. R. tit. de Euchar. n.8. his verbis: *Diligenter obſervandum eſt, multa in hoc Mysterio eſſe, quibus aliquando Sacramenti nomen Sacri Scriptores tribuerunt: Interdum enim, & conſecratio, & perceptio, frequenter verò, & ipſum Domini Corpus, & Sanguis, qui in Euchariftia continentur, Sacramentum vocari confuevit... verū hæc omnia minùs propriè Sacra menta dici, perſpicuum eſt. Ipſæ autem panis, & vini species veram, & abſolutam hujus nominis rationem habent.*

bent. Quibus nihil apertius.

721 Secunda concl. *Eucharistiæ Sacramentum materialiter quidem est plura; formaliter tamen, & perfectivè est specificè a thomè unum.* Sic D. Th. h̄c a. 2. communiter receptus. Et prob. Tum ex Trid. sess. 21. cap. 3. ubi Eucharistiam sub utraque specie vocat *Sacramentum*, non *Sacra menta*. Tum ex Catech. R. p. 2. cap. 4. dicente: *Licet duo sint elementa, panis scilicet, & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur; non tamen plura, sed unum tantum Eucharistiæ Sacramentum, Ecclesiæ autoritate ducti, confitemur.* Et sanè aliás plura quām septem essent *Sacra menta*. Tum, quia ordinatur ad unum finem, nimirūm, ad unam integrā refectionem spiritualem: sicut omnia, quibus constat Extrema Unctio, ad eundem finem referuntur, nempe, ad tollendas peccatorum reliquias ex sensibus ortas: ergo.

722 Tertia concl. *Eucharistiæ in re suscep ta, non est necessaria necessitate medii ad salutem, benè tamen in voto; non quidē explicitō, sed implicitō.* Prima p. est de fide quoād parvulos, ex Trident. sess. 21. can. 3. anathematizante afferentes, necessariam esse Eucharistiæ sumptionem parvulis antequām ad annos discretionis perveniant. Et quoād omnes, constat, quia ad gloriam consequendam sufficit status gratiæ, ad quem non est necessaria sumptio Eucharistiæ, cùm sit Sacramentum vivorum. Patet insuper in amentibus, & vomitum patientibus, quibus Eucharistia non datur, etiam in articulo mortis. Et hinc patet, nec esse necessarium votum explicitum, seu desiderium sumendi Eucharistiam, cùm istud nequeat esse magis necessarium, quām res ipsa quæ desideratur.

723 Quod autem votum implicitum Eucharistiæ, sit medium necessarium ad saltem, docetur expressè à D. Th. a. 3. estque sent. com. Thomist. cont. plures RR. Et prob. tum ex illo Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* quod de necessitate sumptionis spiritualis in voto, in baptisme inclusō, intelligitur ab Aug. juxta D. Th. supra

q. 65. a. 4. ad 2. & infrà p. 80. a. 11. *Tum, quia Eucharistia est finis baptismi, & pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum, juxta dicta N. 637. sed in volitione medii includitur, saltem implicitè, intentio finis: ergo in electione baptismi, & pœnitentiæ, ad salutem utique necessariâ necessitate medii, includitur intentio, seu votum Eucharistiæ, pariter necessarium ad salutem.* *Hinc habes, ut omnia in oppositum argumenta eludas, quod votum Eucharistiæ non est medium ad salutem necessarium, quatenus illa ut speciale Sacramentum, effectivè instrumentaliter causat propriam, & specialem gratiam ab aliis conditinctam; sed solum quatenus per modum finis influit in omnem gratiam, & effectum reliquorum, quia est consummatio, & finis intermedius vitæ spiritualis, quatenus in ea realiter continetur communicatio passionis Christi, & perfectissima unio ad ipsum, quæ est finis omnium Sacramentorum, & institutionis eorum.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

724 Opp. 1. cū Græcis cont. 2. supp. plura Joan. testim. quibus innuitur, Christum in celebratione Paschatis prævenisse diem à lege præscriptum. Cap. enim. 13. legitur, illud celebrasse *ante diem festum Pascha.* Cap. 18. dicitur, Iudeos in die mortis Domini non introisse Prætorium, *ut manducarent Pascha.* Cap. 19. Christus dicitur mortuus *in parasceve Pascha.* Tandem, Sabbatum mortem Domini immediate subsequutum appellatur ibidem *dies magnus Sabbathi*, adeoque incidit in primum diem azimorum, alioquin non ita appellaretur. Ad 1. R. cum D. Th. in 4.d. 11. q. 2. a. 2. qq. 3. ad 1. ibi non sumi diem pro naturali, nec pro legali, sumptō apud Hebræos, à vespera ad vesperam, juxta illud Levit. 13. *A vespera usque ad vesperam celebrabis Sabbathum vestrum;* sed pro artificiali, comprehendente dumtaxat spatiū illud quō lux Solis apparet: unde non legitur, *ante festum,* sed *ante diem festum.*

725 Ad 2. R. cum eodem ibidem ad 3. illud non intelligi de esu agni paschalis, sed panum azimorum, aut paschalium victimarum, quæ non nisi à mundis comedimus

potuerant; & dicebantur *paschata*. *Ad 3.R.* non dici *parascevè Paschæ*, quòd esset præparatio ad Pascha, sed quia erat parasceve ad Sabbatum, seu feria 6. intra festa paschalia illò annō occurrens, ut constat ex illo Marci 15. *Erat parascevè, quod est ante Sabbatum*: Sensus ergo est, quòd dies mortis Christi, erat Parasceve Sabbati, & simul Pascha. *Ad ult.* R. diem illum Sabbati appellari *magnum*, quia inciderat in secundum diem azimorum, qui, ob frequentiam populi ad Pascha convenientis, erat celeberrimus. *Gratis* autem admissò, Christum lunā 13. Pascha celebrasse, nihil inde ad Græcorum intentum: Tunc enim, & anticipasset Christus esum panis azimi, qui simul cum esu agni paschalis inchoabat.

726 Opp.2. cont. 1. concl. Species consecratae, cùm sint permanentes, non includunt transeuntia consecrationis verba, quæ sunt forma, & pars essentialis intrinseca Eucharistiae, juxta dicta suprà à N.493. ergo. *Præt. CC.* & PP. vocant Eucharistiam *Carnem, & Corpus Christi, spiritualem animi cibum*, afferuntque, adorandam esse adoratione latriæ. *Præt. D.Th.* in 4.d.8. q.1.a.1. qq.1. ad 2. ait: *Ex speciebus, & Corpore Christi fit unum Sacramentum.* *Præt.* Corpus Christi est res, & Sacramentum simul: ergo est Sacramentum. Tenet conseq. per regulam arguendi à prædicto copulato ad quamlibet partem, ut, *Petrus est albus, & musicus*: ergo *est albus*. *Tandem*: Quia contritio est pars intrinseca Sacramenti pœnitentiæ, quamvis sit res, & Sacramentum simul: ergo pariter.

727 *Ad 1.R.* ut suprà à N.500. *Ad 2.* N. conf. nam in illis locutionibus sumitur per metonymiam continens pro contento, qui est frequentissimus modus loquendi; unde species consecratae (quæ sunt Sacramentum) dicuntur *cibus spiritualis, panis Angelorum, &c.* & adorantur latriæ ratione contenti; ita quòd latriæ absolutâ adoratur Christus contentus, respectivâ autem, ipsæ species ut illum immediate continent, & præsentem significantes, qualiter adorantur crux, & imago Christi, juxta D. Th. suprà q.25. a.3.& 4. *Corpus autem Christi est cibus, ut contentum &*

significatum, non autem ut continens, & significans, qualiter Sacramentum est cibus. *Ad 3. R.* sensum esse, quod ex utroque fit, seu constat Sacramentum; non tamen eodem modō, sed ex speciebus, *intrinsecè*, & *in recto*; ex corpore autē Christi, *in obliquo*, & quasi *extrinsecè*: Subdit enim S.D. *Sicut in aliis Sacramentis ex illo elemento, & virtute quasi unum efficitur*: Constat autem, quod virtus illa nec est Sacramentum, nec pars intrinseca illius. *Ad 4. N. conf.* Illa autem regula non tenet à dicto secundum quid ad dictum simpliciter; hæc enim conseq. est nulla: *Petrus est albus secundum dentes, & est musicus: ergo est albus.* Sic autem arguitur hic: unde character in Sacramentis illum imprimenteribus, est *res*, & *Sacramentum simul*; non tamen *Sacramentum*.

728 Ad ult. R. disp. esse, quod Corpus Christi foret signum, & signatum secundum idem, quod planè repugnat: Nec enim aſsignari potest ratio, secundum quam effet signum, aut pars signi, secundum quam non sit signatum seu res: Si enim v.g. foret signum, aut Sacramenti pars, ut est cibus spiritualis causans gratiam nutritivam; secundum eandem effet res, & Sacramentum simul; quippe significatur ut cibus, & simul significat gratiam nutrientem. Et idem est de qualibet alia formalitate aſsignabili. *Contritio* autem diversas habet formalitates: Et secundum quod habet ex natura sua, manifestata per confessionem, aut alia externa doloris signa, est pars Sacramenti tantum: Quatenus autem virtute Sacramenti perficitur, ut disponat ad gratiam ut sacramentalem, & ad majorem quam sibi ex specie sua debebatur, est *res & Sacramentum simul*. *Argumenta objici solita cont.* reliquas concl. ex harum prob. soluta manent.

DUBIUM II.

Utrum Materia remota Eucaristiæ sit panis triticeus, & vinnm vitigineum? & an aqua vino mixta transubstantietur in sanguinem ubi non est prius in vinum conversa?

729 **P**RIMA concl. quoàd 1. est affirm. & constat.

Tum ex diffinit. Florentini assertentis: **Tertium est Eucaristia, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite.** Tum ex Apostolica Traditione, ut testatur Catech. Rom. & ex facto ac institutione Christi. **Tum,** quia alii panes nō sunt simpliciter tales, cùm solùm in triticei defectum adhibeantur: Et ob eandem rationem, nec alii liquores sunt absolutè, sed similitudinariè vinum. **Panis autem** debet esse confectus ex farina triticea aquæ naturali admixtâ, & igne coctâ; unde nec panis ex amylo seu amydo confectus, nec massa pastæ cruda, aut torrida sole, aut frixa, sunt Eucaristiæ materia. Sicut nec *omphacium*, seu *agresta*, (vulgò agràz) nec *lora* (hispanè *aguapie*) nec *acetum*: bene tamen (etli non licite) *mustum*, & *vinum acescens*, *coctum*, *conditum*, & *congelatum*, modò vini naturam retinent; secùs, si secus. Non refert ad valorem materiæ, quod panis sit *azimus*, aut *fermentatus*, ut diffinit Florent. ex præcepto amen S.Pii V. tenentur Latini in azimo, Græci verò in fermentato consecrare.

730 Secunda concl. quoàd 2. Dubii p.est Neg. & com. ut potè expressa D.Th.hic q.74.a.8. Magistri Sent. Altiosid. D.Alb.M.Alensis, D.Bonav.Scoti, Richardi, omuiūque veterum, ac RR. Theol. & Canonistarum, quibus mordicùs adhærent celebriores Societatis DD. Henriquez, Valentia, Bellarm. Suar. Vazq. Azorius, Turrianus, Granad. Reginald. Hurt. Tannerus, Filliutius, Pallaus, Conimbricenses, Amicus aliique plures, contra Coninchum, qui omnium primus oppositum invexit, quem secuti sunt Aresius,

Card. de Lugo , aliique RR. Supponit autem concl. ex Florent. admiscendam esse vino consecratio modicissimam aquam, non tamen necessitate Sacramenti , sed solius præcepti , & quidem merè Ecclesiastici , ut apertè significat Trident. sess. 22. cap. 7. dicens , Monet etiam Sancta Synodus , præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus , ut aquam vino in calice offerendo miscerent : Quibus præceptum Ecclesiasticum, ut à divino condistinctum, innuitur. Quia tamen ab exemplo Christi originem trahit, ideo interdùm CC.& PP. divinum illud largè appellant, quasi in Christi exemplo fundatum; non quia ab eo latum. Quò supposito,

731 Prob. concl. i. ex cap. Cùm Marthæ , de celebr. Miss. ubi Innocentius III. relatis tribus opinionibus , quarum prima asserebat , aquam vino appositam, in eam converti, quæ de latere Christi fluxit: secunda, quod mutatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino, id est, quia priùs in vinum versa fuit : Tertia, quod manet integra & immutata: His , inquam , relatis; asserit Pontifex , secundam (quæ nostra est) esse probabilem. Dices, Pontificem non asserere , aquam conversam in vinum , sed aquam cum vino, transfire in sanguinem ; adeòque præscindere à conversione mediata , aut immediata . Sed contra est. Quia per hæc verba , aquam cum vino , intelligit aquam in vinum conversam, seu vinum factam; id enim asserebat opinio illa secunda, & ita exponit D.Th. hic, dicens : Ideò sicut ipse (Innocentius) dicit aliorum opinio probabilior est , qui dicunt , aquam converti in vinum , & vinum in sanguinem. Hæc autem expositio D.Th. commendatur in corpore Juris Canonici, per Gregorium XIII. recognitō , ubi ad marginem hæc notula legitur: Hunc articulum pulchre explicat B. Thomas 3.p.q. 74. a.8. Ita etiam exponunt Innocentius IV. & V. ac reliqui omnes Theologi , & Canonistæ , quorum verba sole clariora adducit Capisucchus noster, Dissert. I.

732 Imò Innocentius ipse III. lib. 4. de Mysteriis Missæ , c.13. eandem referens , & approbans sententiam, mentem suam clarè exprimit dicens : Quibusdam videtur, quod aqua cum vino transit in sanguinem , eā scilicet ratione, quod

quod aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem in sanguinem. Quid apertius? Subdit autem ipse ex suo: *Quis enim ambigat, aquam in vinum transire, cum multo vino modicum aquae infunditur?* Quibus fugillat parvifaciens ut futilem opinionem illam quorundam Physicorum, cuius in oppositum meminerat, eamque despicerat laudato cap. *Cum Martha.* Quis autem non præferat interpretationem ipsiusmet Pontificis, Doctoris Angelici, Innocentii IV. & V. omniumque Theologorum, ac Canonistarum, glossæ Coninchi, ejusque sequacium, opinionem illam secundam, pro suo liblto, geminantium?

733 Prob. 2. concl. ex Sacerdotali seu Pontificali, & Catechismo Rom. quorum magna est in Ecclesia authoritas. Illud enim p. 1. Tract. 10. c. 2. ait: *Aqua, quæ in Calice vino admiscetur, debet esse in modica quantitate, quia eam in vinum converti oportet.* Catechismus autem, Tract. de Eucharist. c. 4. idem omnino docet, nimis, modicam aquam infundendam esse, nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententia & judicio, *aqua illa in vinum convertitur.* Quibus verbis, communis Ecclesiasticorum Scriptorum sententia refertur & approbatur: *ut propterea, præter Sanctæ Sedis definitionem, nihil penè certius haberi possit*, ut ait laudatus Card. Capisuchus.

734 Scriptores autem Ecclesiastici sunt, Innocentius III. IV. & V. Rabanus, Magister, DD. Angelicus, Seraphicus, Subtilis, cæterique Theologi, & Canonistæ, veterum PP. ac Conciliorum mentem apprimè callentes, & illustrantes. Porro authoritas Catechismi non est particularium dumtaxat Theologorum, à quibus fuit confectus; nec enim illorum nomine prodiit, sed Romani Pont. jussu, ac ejusdem approbatione munitus, toti Ecclesiæ fuit propositus, ut inde, quasi ex purissimo fonte, instrui in doctrina sanâ possint fideles à Parochis, ut patet ex Diplomate S. Pii V. Catechismo præfixo.

735 Accedit authoritas Trident. sess. 13. can. 2. diffinientis, post consecrationem solas species panis & vini remanere; quod stare non posset, si aqua in vinum non con-

versa, & in propria specie manens, in sanguinem immediatè converteretur; manerent siquidem illius aquæ species, sub quibus Sanguis Christi existeret. Accedit demùm authoritas Indicis expurgatorii Romani, monentis, cautè legendos DD. si de immediata aquæ in Sanguinem Christi conversione loqui videantur, ut testatur M. Gravina lib.4. Catholic. Præscrip. controv. I, a. 8. ad 29. ubi ait: *Samonas, & Algerus exponendi sunt de econversione mediata; quod si de immediata loquantur, cautè legendi sunt, ut correctorius Index Romanus advertit. Unde mirandum est, quod post correctionem Romanam, Coninchius hanc sententiam sequi voluerit, &c.*

736 Prob. concl. rat. Nihil convertitur immediate in Sanguinem Christi, nisi quod ex institutione Christi est materia consecrationis; sed hæc solùm est *vinum de vite*, seu habens veram naturam vini de vite, juxta Traditionem, Florentini, & Trident. definitione firmatam: aqua autem manens aqua, etiam vino juxtaposita, non est hujusmodi: ergo. Conf. Florentinum, postquam definit, materiam calicis esse vinum de vite, exemplò subjungit: *Cui (nempe vino) ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet.* Quibus plane distinguit inter materiam, & id quod materiæ admiscetur; aliàs si hæc verba intelligerentur etiam de materia, diffiniret Concilium, aquam etiam esse materiam; imò materiam necessariam, ut indicat verbum *debet.* Tum etiam, quia rationes, quas hujus admixtionis adjungit, clarè indicant, non admisceri aquam, quia sit materia sufficiens; sed quia creditur ità Christum fecisse, &c.

737 Prob. tandem ab inconvenienti: Si enim aqua immediate in Christi sanguinem converteretur; vel sanguis Christi existens sub speciebus aquæ, remaneret sub illis, corruptis aut separatis speciebus vini, aut non remaneret: *Primum repugnat Conciliis, ut vel ipse Card. de Lugo fatetur. Secundum stare non potest: tum quia species aquæ manerent sine subjecto, cum separatio illa aut corruptio specierum vini, non sit productiva substantiæ aquæ, cui species aquæ inhæreant: Nec vi præcedentis miraculi,*
quia

quia potius deberet sanguis Christi conservari sub speciebus, uti contingit de facto sub speciebus vini. Tum, quia species semel consecratæ, continent, juxta CC. sanguinem Christi quandiu physicè non corrumpuntur: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

738 Opp.1. cont.1. concl. Hoc Sacramentum est ubique celebrandum; sed in quibusdam terris non invenitur panis triticeus, & in aliis deest vinum vitigineum; ergo. *Præt.* verū vinū conficitur ex uvis diversorū specierum: ergo & verus panis ex granis specie diversis: ergo non solū ex tritico, sed etiam ex aliis frumentis. *Ad 1.* R. cum D. Th. hīc q.74. a.1. ad 2. quod licet triticum & vinum non ubique nascantur, possunt tamen quocumque deferri: Nec unquam posse licet (et si validè) alteram speciem alterā deficiente consecrari, ob substantiam Sacramenti integritatem, jurē divinō preceptam; adeoque vel à Summo Pont. indispensabili. Unde fabulosum meritò reputatur quod refert Volaterranus de dispensatione Innocentii VIII. Novergiis indultā; sicut & quod pro motivo illius affertur, vinum scilicet, ibi citò aescere, quod experientia constat esse falsum. *Ad 2.* N.2. cons. Cum enim omnis & solus panis triticeus sit verus panis; nihil refert, quod triticum sit specie diversum: panis autem ex aliis frumentis à tritico diversis confessus, non est verus panis, adeoque nec materia Eucharistiae.

739 Opp.2. cont.2. SS. PP. passim asserere, aquam & vinum consecrari, & in sanguinem Christi converti: ergo. *Præt.* Christus, ut temperantiae præberet exemplum, consecravit vinum non modicā dilutum aquā; quæ proinde in illud converti non potuit, cum consecraverit immediatè post mixtionem: ergo. *Præt.* Juxta priscum Ecclesiæ morem, multum aquæ admiscebatur vino consecrando, ut liquet ex C. Tribur. can.19. permittente ut in calice tertia pars sit aqua: ergo. *Præt.* Rubricæ Missalis præscribunt certis casibus infusionem aquæ paulò ante consecrationem: ergo tunc, ob temporis brevitatem, nequit aqua in vinum converti; adeoque immediatè in sanguinem transubstan-

natur ut forma verificetur, & nè Populo idolatrandi occasio præbeatur. Præt. quia plures docent, aquam in vinum non converti, cùm post mixtionem, ab illo, Chemicæ arte, separetur. Tandem, quia adeò certum est, aquam vino mixtam, in sanguinem Christi converti, ut oppositum hæresis notet Baronius ad annum 1188. & 1292. cùm tamen conversio aquæ in vinum incerta sit: ergo.

740 En ferè omnia oppositæ sententiæ fundamenta, quæ sanè levia sunt, ut à communi recedatur. Ad 1. ergo R. PP. loqui de conversione mediata: sic enim illos interpretati sunt universi Theologi, & Canonistæ, quibus potius credendum, quàm RR. opponentibus: Vocant autem PP. aquam, in vinum præconversam; quemadmodum dicitur in Scriptura Cæti vident, & Joan. 3. Cùm gustasset Arschitelinus aquam vinum factam. Et Exodi 7. Serpentes, in quos conversæ jam erant virgæ, præstinō vitigæ nomine appellantur. Et Corpus Christi sæpè à Scriptura & PP. vocatur panis. Ad 2. R. Christum D. non consecrasse Calicem, donec aqua fuerit conversa in vinum, ut loquitur D. Bonav. Nec constat, quantum aquæ apposuerit, nec enim ad potum usualem, sed mysticum & Sacramentalem omnibus Apostolis exhibendum, illam adhibuit; adeoque et si modicam miscuerit, temperatissimè biberunt. Utut sit, non plus apposuit, quàm quod noverat in vinum præconvertendum.

741 Ad 3. omissis variis solut. R. cum Choquetio, & Capisuccho, N. cons. Quamvis enim veteres, pro temporum hæresumque extirpandarum diversitate, diversimode senserint circa quantitatem aquæ vino admiscendæ; semper tamen sedulò cautum fuit, ut plus esset vini, quàm aquæ, nè Sacramentum nullum foret. Quod autem plusculum aquæ tunc fuerit affusum, quàm forsè posset in vinum naturali alteratione converti; nihil refert: Senserunt enim (quod & nos sentimus) remansuram tunc aquam in propria specie; quod non inconvenit. Posteriora verò CC. (hæresibus illis exoletis) modicissimam aquam infundendam censerunt, ob mysticam significationem, quam Ho-

norius & Innocentius assigant.

742 Ad 4. concessō ant. & permīssā primā conseq. N.2. & illius prob. Itaque transmutatio illa brevissimē fieri potest , alteratā , & divisā à vino guttullā illa aquæ in minimas particulas, nam talem divisionem statim sequitur convercio. Quòd si aliquando talis transmutatio fieri non posset antequam verba consecrationis proferantur ; dicendum, tum aquam remaneré aquam , accidentibus vini circunfusam, donec per illorum actionem in vini substantiam transmutetur ; & tunc manebit vinum mixtum sanguine. Nec propterea falsificaretur forma, nam pronomen *hic*, non designat absolutè quidquid in calice per accidens continetur ; sed tantum substantiam sub accidentibus vini contentam, quæ primò fuit vinum , & postea est sanguis Christi, ut docet D. Th. infrà q. 78. a. 5. Nec ulla tunc idolatriæ præberetur occasio; adoratio quippe fertur ad verum Christi sanguinem : quidquid autem aliud per accidens in calice est, nec ab Ecclesia proponitur , nec à fidelibus creditur adorandum ; alioquin culices , festucæ , muscæ , & id genus, sèpè adorarentur.

743 Inconveniens nihilominus jurè reputat D. Th. q. 74.a.8. quòd aqua per se & semper maneat adjuncta sanguini, quia scilicet , aliàs non semel , aut per accidens , sed semper & per se, non totum quod in calice est adoraretur adoratione latræ. Hæc autē ratio D. Th. totò Cælō distat ab argumento Adversiorum. Videbis Capisuccchum §.34. ad 9. Ad 5. R. opinionem illam , ejusque rationem meritò parvifieri ab Innoc. III. D. Alb. Magn. D. Th. D. Bonavent. & univerfis Theolog. & Canonistis, quod enim per immisionem scyri decorticati separatur à Chymicis , non est aqua, sed liquor vini non satis decoctus, apparenter aqueus; qui quidem etiam extrahitur ex vino purissimo, & cui nihil aquæ admixtum unquam fuerit.

744 Ad ult. R. quòd, vel loquitur ibi Baron. (ut Capisucus , aliique censem) de sententia afferentium , aquam neutiquam converti in sanguinem, & in sua substantia semper manere : Et sic, perperam illam *hæresim* appellat ; nam et si

et si opinio illa communiter rejiciatur, eam tamen hærefoeos non damnat Innoc. III. cap. *Cum Martha*. Sed tantum probabiliorem pronuntiat sententiam docentem, aquam, non nisi præconversam in vinum, transubstantiari in sanguinem. *Vel* loquitur Cardinalis (ut J. à S. Th. existimat) de hæreti illō seculō obortā negantium, aquam et si vino perfectè mixtam, seu jam vinū factam, mutari in sanguinem. Sed nihil inde. Imo Baron. ibidē communem & nostram sententiam apertissimè docet, ut multis ostendit Card. Capifuc. §. 17. adeò ut *de Baronii mente* (ut verbis Card. de Lugo contra ipsum utamur) dubitari non potest, nisi velimus in media luce tenebras querere.

DUBIUM III.

Utrum in Eucharistia verè, realiter, & substancialiter totus Christus contineatur; fiatque per consecrationem vera transubstantiatio?

745 **C**oncl. est affirm. & de fide quoad utramque p. Et quidem quoad i. diffinita est in variis CC. videlicet, Vercellensi, sub Leone IX. Turon. sub Victore II. duobus Romanis, sub Nicolao II. & Greg. VII. cont. Berengarium Archidiaconum Andegavensem, cuius hæresim (quam verè tandem abjurasse fertur) suscitarunt Albigenses, Flagellantes, Uvicleffistæ, Oecolampadius, Zuinglius, Calvinus, eorumque sequaces; proscripti in CC. Later. III. Vienensi, Constantiensi, Florentino, & Trident. sess. 13. cap. 1. & can. 1. per hæc verba: *Si quis negaverit, in Sanctissime Eucharistia Sacramento contineri verè, realiter, & substancialiter corpus & sanguinem unum cum anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.*

746 Constat insuper ex disertis illis Domini verbis, ab Evangelistis, & Apostolo 1. Cor. commemoratis, *Hoc est cor-*

corpus meum. Quæ propriam illam & apertissimam significacionem præferunt, secundum quam à PP. intellecta sunt, ut loquitur Trident. Et quæ intuper cōvincitur. Tum ex eo, quod nihil inde sequatur absurdī; Tum, quia verbis illis suum condebat testamentum; adeoque non tropica & figuralia, sed propria & apertissima esse oportuit, ut litium præcideretur occasio. Tum ex illa audientium Judæorum murmuratione Joan. 6. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? & quorundam Discipulorum, Durus est hic sermo: Qui sanè verba Christi de vera suæ carnis manducazione in sensu proprio intellexerunt; nec tamen Dominus, ut eorum scandalum & murmur sedaret, sensum figuratum opposuit; sed potius proprium juramentum firmavit, dicens: Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quibus aperte distinguit carnem, & sanguinem, per modum cibi, & potūs; cum tamen impropria comestio & potio per fidem, sint unum & idem. Accedit consensus PP. & multiplex convenientia assignata à D.Th. q.75. a.I. sic enim congruebat perfectioni Legis novæ, eximiæ Christi erga nos charitati & amicitiæ, ac demùm fidei nostræ.

747 Quoād 2. verò p. diffinita pariter est Concl. in pluribus CC. videlicet, Romanō, sub S. Greg. VII. Later. IV. Constantien. Florent. & demùm in Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 2. his verbis: *Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationem appellat; anathema sit. Quibus proscriptit hæresim Lutheri, & Sequacium, qui Impanatores, seu Panistæ dicti sunt, suscitantium, prædamnatum Valeranni, & alterius cuiusdam Parisiensis, errorem, quamvis ab illis in modo loquendi Lutherus dissentiat, de quo videntur*

dus Uvalden. tom. 2. cap. 65. & 66.

748 Constat præt. ex PP. tūm Græcis, tūm Latinis, iisque antiquissimis, ut Justino, Irenæo, Tertull. Cyrillo, Chrysost. Hieron. Ambr. Aug. aliisque, videndis apud Bellarm. l.3. cap.30. non solum utentibus nomine *mutationis*, *transmutationis*, & *conversionis* panis in corpus Christi, &c. sed etiam expressè negantibus panem remanere post consecrationem. *Panis substantiam* (inquit Ansel.) *post Domini corporis consecrationem in altari superesse, semper abhorruit pietas christiana.* Hinc videoas, impudentissimè mentiri Novatores, dūm garrulant, *transubstantiationem*, esse D. Thomæ, aut Innocentii III. inventum; nec agnitam fuisse unquam à Græcis: Quod postremum falsissimum esse, constat ex Arcudio lib.3. cap.2. & ex Jeremiæ Patriarcha Constantinop. cap. 10. censuræ contra Lutheranos, quorum verba habes apud Gonet, hic, aliosque.

749 Prob. tandem rat. D. Th. q. 75. a. 2. Non potest corpus Christi aliter incipere esse de novo in hoc Sacramento, nisi per transubstantiationem: ergo. Ant. prob. Nihil enim potest esse ubi priùs non erat, nisi per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum; sed corpus Christi nequit incipere esse præsens in hoc Sacramento per motum localem, aliàs desineret esse in Cœlo, transiret per media, idemque motus terminaretur simul ad diversa loca; quæ sunt absurdæ: ergo per solam conversionem substantiæ panis in ipsum. Hæc ratio conformis est CC. Later. & Trid. nullam, præter conversionem, assignantibus rationem realis Christi præsentia in Eucharistia. Procedit autem etiam de potentia absoluta, ut censem Capr. Ferr. Marinis, aliquique, & meritò, nam S. D. 4. cont. Gent. cap.63. & in 4.d.11. q.1.i.1.1.qq.1. ubi propter eandem rationem afferit, fieri non posse, *etiam per miraculum*, quòd corpus Christi fiat realiter de novo præsens sub speciebus panis, nisi per hujus conversionem in ipsum. Et idem expressius docet ibidem ad 3. *Aliam rationem assignat hic*, quia aliàs falsa foret hæc forma, *Hoc est Corpus meum*; nunquam enim substantia panis (quam ly hoc tunc demonstra-

straret) est Corpus Christi.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

750 Ut plura Hæreticorum argumenta cont. i.p. facile
eludas nota, quòd dùm Scrip. & PP. vocant Eucharistiam
figuram, signum, commemorationem, loquuntur de specie-
bus exterioribus; non verò de re contenta sub illis: *Dùm*
autem asserunt, Christum reliquissè mundum; in Cœlo,
quod conscendit, mansurum usque ad mundi finem; ejus-
que corpus manducari non posse, & id genus; sermo est
de aspectabili, & visibili ejus præsentia, de humana, & usita-
ta cum hominibus conversatione, & manducatione sub
propria specie: Quòd autem invisibiliter (substantialiter
tamen) velit nobiscum esse usque ad consummationem sæ-
culi, ipse testatur Matth. 28. His ergo argumentis omissis.

751 Opp. i. cont. eadem p. illud i. Cor. 10. Patres
nostrí eandem escam spiritualem manducaverunt, & eundem po-
tum spiritualem biberunt; sed illi manducaverunt, & bibe-
runt solà fide, & in figura: ergo & nos. Præt. Joan. 6.
dixit Christus, *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quid-
quam: Verba, quæ locutus sum, spiritus, & vita sunt, id est,*
spiritualiter intelligenda: ergo. Præt. Pluriès in Scrip. ly-
est sumitur tropicè, & figuratè, ut dùm Christus dixit, *ego
sum vitis vera ... Ego sum hostium:* ergo & dùm dicitur:
Hoc est Corpus meum. Præt. Aug. in Psal. 98. inducit Chri-
stum sic Capharnaitas alloquentem: *Non hoc corpus quod
videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem
fusuri sunt, qui me crucifigent.* Et Tract. 25. in Joan. ait: *Quid
paras dentes, & ventrem? Crede, & manducasti.* Demum
lib. 3. de Trin. ait: *Corpus Christi verum non consumitur: igi-
tur verus est panis, qui sumitur, cùm Eucharistia sumitur:*
ergo.

752 Ad i. R. sermonem ibi esse de eadem esca, eo-
demque potu Israëlitarum inter se; id est, de manna, &
aqua de petra miraculosè datis, ideoque *spirituales* vocan-
tur, ut ibidem lect. i. exponit D. Th. Quòd si de eadem
nobiscum esca loquatur, ut Augustinus accipit, dicendum,

man-

manducasse illos eandem significazione, non re. *Ad 2. R.* ibi non negari veram carnis Christi Sacramentalem manducactionem, sed carnalem, usitatam, & sub propria specie, qualem ex verbis Domini conceperant Capharnaitæ, quorum carnalem intelligentiam excludit ipse laudatis verbis. Sic ex Chrysost. & Aug. D. Th. ibidem, & hic a. i. ad i. *Ad 3. R.* disp. esse, quia ibi ex antecedentibus, & consequentibus aperte colligitur, Christum loqui de *vite*, & *ostio* spiritualibus, secùs hic, cùm exemplò subjiciat, *quod pro vobis tradetur*. *Ad ult.* quoàd i. Aug. testim. patet ex solut. ad 2. In 2. non reprehendit externè fumentes, sed non curantes id facere cum debita interna dispositione. In ult. solùm vult, post sumptionem non consumi, seu corrumpi Christi corpus, utpote gloriosum, sed verum panem secundùm speciem externam.

753 Opp. 2. cont. eandem. Quia aliàs accidentia essent sine subjecto, Corpus Christi esset sine extensione locali, & in pluribus locis simul; sed hæc omnia veræ Philosophiæ adversantur: ergo. *Plura* insuper sequerentur absurdia, nempè, Corpus Christi quandoque in terram cadere, à muribus derodi, devorari, dentibus teri, in aliti substantiam verti, putrefactare, in ventrem, & in secessum ire, &c. ergo. *Ad 1. N. min.* duo enim priora divinitùs fieri posse, in Phil. ostenditur. Nec repugnat tertium, si de præsentia Sacramentali sit sermo, hujus enim ratio formalis est transubstantiatio, quæ de facto multiplicatur juxta fidem. Ratio autem formalis essendi in loco circuitucriptivè (ut instantiam præcludam) est quantitas, neutiquam in eodem corpore multiplicabilis, ob rationes à Nostratibus assignatas, nec hic repetendas. *Ad 2. R.* omnia illa fieri in speciebus externis, non in corpore Christi impassibiliter ibi existente. Exclamare hic liceat cum Aug. l. 22. de Civit. c. 11. *Ecce quibus argumentis Omnipotentia Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.*

754 Opp. 3. cont. 2. p. cum Lutheranis. Eucharistia à Script. & PP. sàpè appellatur *panis*, ut 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Præ-

Theo-

Theodoreetus Dial. 2. ait : *Signa mystica post sanctificatiōnem à natura propria non recedunt : manent quidem in priori substantia, figura, & forma.* Ad 1. R. ita vocari , vel quia ex pane fit, juxta usitatum loquendi modum , de quo suprà N. 720. vel quia panis retinet species, proprietates, operationes. Ad 2. R. vel versionem esse vitiosam , & potius legendum (ut notant Cardinales Bellar. & Perronius) *Manent in prioris substantiae, & figura, & forma,* qualiter nulla est difficultas: Vel sumi ibi substantiam pro essentia , ut placet M. Nicolais in Scholiis ad 1. a. quæst. 75. adeoque sensum esse , quod post sanctificationem eadem manet accidentium, seu symbolorum essentia , sicut & eadem proprietates, & operations.

755 Ex dictis infertur 1. transubstantiationem Eucharisticae esse actionem productivam Corporis , & Sanguinis Christi, non quietem absolutè , sed tali modò ; nempe , ex substantia panis, & vini : Est enim conversio substancialis, cùm sit *conversio totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi, & totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus*, ut ait Trid. sess. 13. cap. 4. omnis autem conversio substancialis , est vera productio substancialis , cùm conceptus productionis sit communis ad *creationem, generationem, eductionem, & conversionem*. Id insuper in quod aliud convertitur , simpliciter accipit esse , adeoque producitur.

756 Et quidem actio adductiva (per quam Scotistæ, Bellarm. & Vazq. autumant , Corpus, & Sanguinem Christi incipere esse sub speciebus panis , & vini) non est conversio , aut transubstantatio , sed *transpositio* , vel *translocatio*. Unio autem accidentalis Corporis , & Sanguinis Christi cum speciebus (ad quam recurrit Valent.) & illorum conservatio sub speciebus (quam Suarez appellat) supponunt evidenter realem Christi in Eucharistia præsentiam: Per solam igitur productionem Corporis , & Sanguinis Christi ex substantia panis, & vini , habetur realis eorum præsentia in Eucharistia. *Hinc terminus formalis, & primarius transubstantiationis*, neque est sola præsentia Christi sub speciebus, neque unio Corporis , & Sanguinis Christi cum illis , nec modus

dus illud conservandi sub illis; sec Corpus, & Sanguis Christi, quatenus fiunt ex pane, & vino.

757 Infertur 2. id quod diffinit Trid. sess. 3. cap. 3. nimirum, vi verborum solum Christi Corpus ponit sub specie panis, & Sanguinem sub specie vini: Ipsum autem Corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animaque, & Divinitatem sub utraque, ponit per concomitantiam. Et ratio primi est, quia illud solum verbis consecrationis expressè designatur. Secundi autem ratio est naturalis conexio, & concomitantia, quā partes Christi invicem copulantur, & admirabilis illa divinitas cum corpore, & anima hypostatica unio, ut Trident. docet.

758 Nomine autem *corporis* intelligitur hic, juxta D. Th. materia informata anima Christi, quatenus dat esse corporeum, non tamen ut dat esse vivens, quia corpus Christi, prout ex vi verborum sub specie panis, abstrahit à vivo, & mortuo, cùm idem sit significatum corporis nunc, ac in triduo mortis. *Nomen* autem *sanguis* significat totum sanguinem, quem habet Christus in Cœlo, sive totus fuerit pro nobis effusus, sive non. Nec obstat illud, qui pro vobis, & pro multis effundetur; nec enim additur ad limitandam quantitatem sanguinis ponendi sub specie vini; sed ad commendandam ejus efficaciam, & Christi erga nos amorem, præbentis nobis in potum illum ipsum sanguinem, quem pro nobis fudit.

DUBIUM IV.

Quænam verba sint de essentia, seu necessitate formæ Eucharistiae?

759 **C**oncl. Hæc sola verba: Hoc est Corpus meum, sunt forma essentialis consecrationis panis: Consecrationis autem vini, non solum ista: Hic est Calix Sanguinis mei, sed & reliqua scilicet, novi, & æterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur

tur in remissionem peccatorum. *Quoad i. p.est com. cont.* Scotum suscitantem quorundam opinionem, quam refutat D. Th. hic q.78. a.1. ad 4. afferentium, præmittendum necessariò esse illud, *Qui pridie quam pateretur*, & cont. quosdam Græcos, autumantes, necessariò addendum illud, *quod pro vobis tradetur*. Prob. autem, quia hæc sola verba, *Hoc est corpus meum*, sufficienter significant, & efficiunt præsentiam corporis Christi sub speciebus. *Inane* autem est Scotti fundamentum; nec enim Christus protulit illa verba, nec Sacerdos illa profert, ut gerens personam Christi: ut autem nomine Christi consecret, sufficit Sacerdotis intentio, suppositâ Christi institutione.

760 Secunda autem conclusionis pars est expressa D. Th. (ut videbimus) Et frequentior inter ejus Discipulos, tūm veteres, tūm recentes: Illam enim expressè ac mordicūs propugnant ex Ordine Nostro, Paludanus, Herveus, Capreolus, D. Antoninus, Hispalensis, Sylvester, Tabiena, Barth. Fumus, Viguerius, Petrus Sotus, Barth. Spina, Javellus, Seraphinus Porrectanus, Asturicensis, Joannes Gonzalez, Araujo, Huertos, Card. Capisucchus, Nicolai, Marinis, Labat, Gonet, Irribarren, quibus novissimè subscribit Sapientiss. M. Fr. Thomas Madalena, Doct. & Professor Augustopolitanus, multis mihi nominibus charus. Idem docent plures alii clarissimi Thomistæ, extra Ordinem nostrum, quos inter, eminent ex Veteribus, Ægidius Rom. & J. Gersonus; ex modernis autem, Petrus Lorca, PP. Salmant. & Thomas Hurtadus, quibus ex Societate adhæret Thomas Pius, cont. Cajet. Dom. Sotum, Nuño, J. à S. Th. Serra, Contensonum, Uvigant, aliasque ex nostris, afferentes, omnia verba (præter quatuor priora) esse solum de integritate formæ, & cont. ferè omnes Jesuitas tenentes, illa esse de accidentalí dumtaxat perfectione illius.

761 Prob. autem i. ex D. Th. hic q.78.a.3. ubi determinat, omnia verba formæ esse de illius *substantia*. Tum quia Ecclesia ab Apostolis instructa, omnibus illis utitur tanquam formâ. Tum quia adhibentur tanquam determina-

nationes prædicati , scilicet *Sanguis Christi* ; adeòque pertinent ad integratatem ejusdem locutionis. Ad cuius intelligentiam, notandum est cū Card. Capisuccho, §.8. propositionem, quæ habetur in forma consecrationis , æquivalere sequenti , *Hic est Sanguis meus , ordinatus ad adipiscendam æternam hæreditatem , latens in hoc Sacramento , effundendus pro vobis , & pro multis in remissionem peccatorum.* In qua sancè verbum *ordinatus cum reliquis omnibus unum* , & idem prædicatum constituunt; adeoque omnia illa sunt de essentia talis propositionis. *Tum* quia Sacerdos eodem ritu , & modō, scilicet , calicem manibus tenendo , omnia illa profer, quasi per omnia consecrare intendens. *Tum* quia *Lucæ 22.* interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cùm dicitur , *Hic Calix novum testamentum est in meo sanguine.*

762 *Tum* demùm , quia per sequentia verba designatur virtus sanguinis in passione effusi , quæ ad tria ordinatur: Primò quidem, & principaliter ad adipiscendam æternam hæreditatem, *Hebr. 10.* & ad hoc designandum , dicitur , *novi, & æterni testamenti* : Secundò ad iustitiam gratiæ, quæ est per fidem , *Rom. 3.* unde dicitur *Mysterium fidei:* Tertiò ad removenda impedimenta utriusque , scilicet peccata, *Hebr. 9.* & ideò dicitur , *qui pro vobis , &c.* Hæc autem ratio sic formatur : Verba quibus exprimitur adæquatius effectus sanguinis Christi in passione effusi , scilicet, assecutio gloriæ, infusio gratiæ, & culpæ remissio , sunt de substantia formæ calicis; sed hujusmodi sunt subsequentia verba: ergo.

763 Accedit quòd D. Th. in solut. 2.7. & 9. argumenti, diluit præcipua oppositæ nobis sententiæ fundamenta , ut ex dicendis , & legenti patebit. Unde Adversarii extra illius Scholam, ultrò fatentur, S. Doctorem , pro nobis stare; pluresque eorum rejiciunt glossam illam Cajetani , & Sequacium , quòd scilicet, D. Th. nomine *substantia* non essentiam , sed integratatem intelligat. Et quidem meritò. *Tum*, quia S. D. loquens de formis Sacramentorum , pro eodem sumit *substantiam ac essentiam* , ut patet suprà q. 60.

a.8. ubi tradit generalem doctrinam, quam hic applicat formæ Eucharistiæ. Tum, quia in 4.d. 8. q.2. sic apertè loquitur, *Ea quæ sequuntur, sunt ESSENTIALIA sanguini, prout in hoc Sacramento consecratur;* & ideo oportet, quod sint de substantia formæ.

764 Tum demùm, quia 1. Cor. 11. lect.6. eandem repetens ac firmans sententiam, aperte ait, sequentia verba esse de necessitate formæ . . . ad ejusdem locutionis sententiam seu significationem pertinere: adeoque ad vim effectivam formæ. Quibus nihil apertius: Quod enim est de necessitate formæ, & ad hujus significationem practicam seu effectivam pertinet, est utique de essentia formæ, quæ in locutione constitit, & mediâ significatione operatur. De mente igitur S. D. nulli liceat amplius dubitare, nisi illam confundere velit cum sententia, quam ubiquè impugnat, nimis rūm, quod statim dictō, *Hic est calix sanguinis mei,* est perfecta consecratio sanguinis; sicut statim dictō, *Hoc est Corpus meum,* est perfecta corporis consecratio: Id enim dicebant DD. quos D. Th. ubiquè refutat, ut ex littera liquet; nec aliud ipsummet docere volunt Cajetanus, Sotus, eorumque sequaces. Videsis Illustr. Marinis hic c.6.

765 Prob. deinde rat. Quod verba sint aut non sint essentialiter requisita ad valorem formæ, unicè pendet ex Christi institutione; quæ quidem ex Scriptura, & Apostolica Traditione (ab Ecclesia fideliter custoditâ, & in Lyturgiis continuatâ) innotescere debet; sed in Scriptura, & in omnibus Ecclesiæ Lyturgiis certæ authoritatis, non sola quatuor priora verba recensentur, sed adduntur alia significantia Christi sanguinem, non quidem absolute, sed ut effundendum pro mundi salute: ergo. Min. quoad 1. p. constat, nam Matth. 26. dicitur: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* Marci 14. *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Et Lucæ 22. *Hic est calix novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis effundetur.*

766 Quoad 2, verò p. prob. min. Tum ex Innoc. III.

cap. cum Marthæ, de celebrat. Miss. dicente : *Credimus igitur, quod formam verborum, sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores.* Loquitur autem de Canone Missæ, quō Ecclesia utitur Generalis, ut præmiserat. Tum ex D. Th. a. 3. dicente : *Sed contra est, quod Ecclesia ab Apostolis instructa, utitur hanc formā.* Tum ex Cath. Rom. iussu, & approb. S. Pii V. editō, sic loquente : *Certè tenendum est, formam consecrationis vini his omnibus verbis contineri...* De qua forma nemo dubitare poterit. Tum, quia Viri fide digni asserunt, prædictam formam absque ulla omissione fuisse semper usitatam olim in Ecclesia tam apud Græcos, quam apud Latinos, ut videre est apud Petrum Sotum lib. de Sacram. id quod apertè indicant Innoc. III. & D. Th. ubi suprà. Et quidem in Monasterio Cryptæ Ferratae propè Romam extat vetustum exemplar Lyturgiæ Veterum PP. Græcorum (quō utuntur Græci Monachi in Sicilia, Calabria, Apulia, Campania, & Romæ) in quo reperitur forma quam utitur Ecclesia Latina, absque ullius voculae omissione.

767 Tum demùm, quia licet in pluribus veterum Lyturgiarum exemplaribus tres istæ omittantur particulæ, *Aeterni, mysterium fidei,* (quas traditione Apostolicâ habet Ecclesia, juxta D. Th. hic ad 9.) Nullum tamen est exemplar certæ authoritatis, in quo non reperiantur reliquæ, seu æquivalentes, in quibus tres illæ omissæ, non includantur, ut videre est in adductis ab Illust. Marinis, PP. Salmant. aliisque in præsenti : ergo. *Conf.* Certum est, potuisse Christum statuere, consecrationem fieri illis verbis tanquam necessariis, & essentialibus ; ita autem decrevisse, ex traditione, & antiquitate colligitur : ergo. *Accedit,* quod mortuô Sacerdote post prolatam dimidiâ præscriptam calicis formam, adeoque prolatis jam verbis illis, *Hic est calix Sanguinis mei;* jubet Ecclesia, quod alter Sacerdos, totam, & integrum formam exaratam in canone Latinorum, proferat super calicem : ergo censet, omnia esse necessaria.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

768 Opp. i. cont. i. p. concl. In Lyturgiis SS. Jacobi, Mar-

Marcii, Basili, & Chrysostomi, post verba ista, *Hoc est Corpus meum*, sic orat Sacerdos: *Rogamus te Sancte Pater, . . . fac panem istum pretiosum Corpus Filii tui*: ergo supponitur, nec dum esse presens, adeoque necessariò preces illas defiderari. *Præt. SS. PP.* docent communiter, Eucharistiam confici per *orationem, precem, deprecationem, invocationem Spiritus S.* ergo aliud requirunt, præter quatuor illa verba. *Ad 1. N. cont.* Nec enim ibi petitur à Græcis, ut fiat corpus Christi simpliciter, sed ut fiat in salutem suscipientibus, ut ipsimet explicarunt *sess. ult. Concilii Florent.* *Ad 2. R. PP.* per *preces, & orationes* intelligere ipsa Salvatoris verba, quibus consecramus; cùm enim illis hostia immoletur, preces, & orationes veluti in actu exercito dicuntur: tunc enim Deum precari jurè censemur, cùm ei actu litamus, & Sacrificii immolatione divinam recognoscimus Majestatem. *Vel* dicendum, eos respicere ad preces consecrationem præcedentes, aut subsequentes.

769 *Opp. 2. cont. 2. p. D. Th.* hīc a. 1. ad 4. dicentem: *Si Sacerdos sola verba prædicta* (nempè, Hic est calix sanguinis mei) *proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum: ergo. Præt. a. 3. in corp.* ait, quòd per laudata verba significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eò modò, quòd dictum est in forma consecrationis panis: ergo. *Ad 1. R.* immeritò illud nobis objici, cùm S.D. per ly *sola verba prædicta*, non subsequentia excludat verba, sed sola præcedentia, de quibus solùm procedebat argumentum, ut istud, & solutionem legenti apertissimè constabit. *Ad 2. R.* illud esse formaliter intelligendum, ita ut per ly, *Hic est calix sanguinis mei*, non præcisè sumat S.D. illa verba, sed ut determinata per sequentia; ita ut sensus fit, quòd per illa verba significatur conversio vini in sanguinem; per sequentia verò, virtus sanguinis in passione effusi: adeoque hæc sic determinant præcedentia, quòd licet per ista significetur conversio vini in sanguinem, non tamen in sanguinem effusum, quod essentialiter requiritur in consecratione sanguinis, quæ sit separatim à corpore.

770 Opp. 3. cont. eandem, & est replica con. solut. Statim dictō, *Hoc est Corpus meum*, est perfecta cōfēratiō corporis: ergo statim cū dictum est, *Hic est Calix Sanguinis mei*, est perfecta consecratio sanguinis, cū utraque verba paris sint efficaciæ. Præt. in forma consecrationis panis, non sit mentio de passione Christi, & ejus fructu: ergo nec fieri debet necessariō in forma consecrationis sanguinis, cū hoc Sacramentum quoād utrumque sit memoriale Dominicæ passionis, juxta illud 1. Cor. 11. *Quotiescumque manducabis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*; præsertim cū Lucæ 22. Dominus dixerit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

771 En secundum, & 7. argum. quæ cont. suam sententiam opponit D.Th. a. 3. & quibus præcipue innititur nobis aduersa. Ut hinc videoas, pro quibus stet S. D. R. ergo ex ipso ad utrumque, disp. esse, quod sanguis seorsum consecratus à corpore, expressius representat passionem Christi; & ideo potius in consecratione sanguinis sit mentio de passione Christi, & fructu ipsius, quam in consecratione Corporis, quod est passionis subjectum, juxta illud, quod pro vobis tradetur, id est, passioni subjicietur. Hæc S.D. Unde illud, quod pro vobis tradetur, non est de essentia consecrationis; quia effectus Sacramentalis, seu conversio substaniæ panis in corpus Christi, sufficienter exprimitur quatuor illis verbis, *Hoc est Corpus meum*. Per illa autem sola verba, *Hic est Calix sanguinis mei*, non plenè exprimitur effectus Sacramentalis, qui est conversio vini in sanguinem Christi ut in passione effusum, ad quem sic significandum voluit Christus ut sanguis seorsim à corpore consecraretur.

772 Sicut ergo effectus Sacramentalis Baptismi, seu spiritualis ablutio, non verè exprimitur illis verbis, *Ego te baptizo*, nisi addantur illa, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* quia scilicet illa addenda constituit Christus: pariter, quia forma consecrationis sanguinis, specialiter destinata fuit à Christo ad exprimendam separationem sanguinis à corpore, ejusqne effusionem, & passionem effectam; ideo effectus Sacramentalis verè non exprimitur illis

solis verbis, *Hic est Calix Sanguinis mei.* Et argumentum evidenter instatur in hypothesi, quod Christus voluerit omnia verba in Canone Latinorum exarata, esse necessaria seu essentialia (sicut nos ita voluisse, Traditione ducti, defendimus:) Tunc enim non salvaretur forma solis primis verbis, nec effectus Sacramentalis, seu conversio vini in sanguinem Christi, verè exprimeretur per illa, sed appartenet solùm, grammaticè, & speculativè. Ab omnibus igitur dicendum est, significationem formæ Sacramentalis, non esse merè grammaticalem, & speculativam, sed practicam, & effectivam juxta Christi institutionem.

773 Opp. tandem: Omnes Evangelistæ omissunt has particulas, *Æterni, Mysterium fidei*: ergo. Præt. Easdem particulas semper omiserunt Græci in suis Lyturgiis. Tandem: In Lyturgia S. Petri, editâ à Lindano, hæc tantum verba habentur, *Hic est Sanguis meus*, & hæc solùm referuntur à pluribus PP. dum de calicis consecratione loquuntur: ergo. En argumentum, Adversariis Achilleum, nobis autem imbecille, & vel ipsis opponentibus planè adversum: Cùm nec in Evangelio, nec in ulla certæ authoritatis Lyturgia habeantur illa sola verba, *Hic est Calix Sanguinis mei.* Ad 1. ergo N. cons. illa enim verba ex Traditione Domini habentur, quæ ad Ecclesiam per Apostolos pervenit, secundum illud 1. Cor. 11. Ego accepi à Domino quod, & tradidi vobis, ut ait D. Th. hic a. 3. ad 9. Evangelistæ autem non intendebant formas Sacramentorum tradere (quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut ait Dion.) sed historiam texere, ut ibidem præmittit S. Doct.

774 Ad 2. (quod solvendum pariter est ab afferentibus, verba illa omissa, esse de integritate formæ) omissâ solut. Paludani, afferentis, Græcos non consecrassæ; & Capreoli, dicentis, fusile cum illis dispensatum; quia primum nimis durum est, secundum autem nimis liberum. Omissâ etiam solut. Gonet, quam tertio loco adhibet in Manuali, R. cum Petro Soto, Araujo, Labat, Marinis, aliisque, N. ant. Quod enim Græci antiquitus tria illa verba non omiserint, constat ex dictis N. 766. illa enim habentur in

canone Missæ, quō Generalis utebatur Ecclesia secul. XIII. ut testantur Innocentius III. & D. Th. qui in illo claruerunt. Ecquis autem credat, latuisse illos Lyturgias, & Ritus Græcorum? & maximè D. Angelicum, verè omniscium, qui luculentissimum scripsit Opusculum cont. illorum errores? cuius unâ doctrinâ noster ille Joannes à Montenigro, stupentibus Græcis, illos planè triumphavit in Florent. ut ex Actis liquet. Videsis t.3. N.836. Et sanè Lyturgiarum D. Jacobi, & D. Basilii expressè meminit infrâ q.83. a. 4. in *sod contra*. Quòd ergo illas hic in adversum non adducat, argumento est, nihil in eis reperisse quod dilueret.

775 Imò sœculô 15. in quo celebratum est C. Florent. valde verosimile est, Græcos totam, & integrum adhibuisse Latinorum calicis formam; idque videtur supposuisse Concilium, aliàs dissonantiae meminisset, prout in aliis minoris momenti fecit, discrepantiae rationem à Græcis requiringo. Falsum est ergo, Græcos semper omisisse tria illa verba in consecratione Calicis. *Quamvis* autem plures illorum illa nunc omittant, Ecclesia permittente; nihil conclusioni nostræ officit; cùm implicitè contineantur in aliis, quæ in omni Lyturgia authenticâ proferunt, nimirùm, ly eterni sub ly *novi*, quod significat omnium novissimum, & post quod non sit aliud, adeoque æternū duraturum. Ly autem *mysterium fidei*, continetur sub ly, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum; justificatio enim, quia fit per fidem quæ per dilectionem operatur, ut Apostolus ait, est *mysterium fidei*.

576 Adeoque tria illa verba sunt de essentia, & necessitate formæ calicis, qualiter ly *Ego* in forma Baptismi, nempè, non ut expressè, & formaliter prolata, benè tamen ut implicitè contenta in aliis; ac proinde dum explicitè proferuntur, concurrunt physicè, sicut alia, ad conversionem vini in sanguinem, ut docent Asturicen. Cornejo, Joan. Gonz. Philipp. à Trinit. PP. Salm. Illust. Mari-
nis, Labat, aliique plures. Convenientius nihilominus est expressè, & formaliter illa proferre, ut præstat Ecclesia Romana, & C. Florent. suadebat Armenis. Imò nec

plu-

plures Graci bene sentientes, & qui aliorum pertinaciâ non insciuntur, conscientiae propriæ consultum non credunt, si in formis Sacramentalibus Ecclesiæ Latinae non omnino conformentur, inquit Illust. Marinis hic cap. 7. in fine.

777 Ad 3. R. Lyturgiam illam meritò reputari apocrypham; Tum, quia pro forma corporis ponit hæc verba, quod pro vobis frangitur, Tum, quia in omnibus vetustissimis Lyturgiis contentis in Missali Maronitarum, iuslī & approbatione Summi Pontificis impresso Romæ in Typographia Mediæa, quales sunt Lyturgia ipsius S. Petri, S. Jacobi Apoltoli, S. Joannis Evangelistæ, S. Marci, S. Joannis Chrysostomi, S. Cyrilli Alex. aliorumque PP. In his, inquam, omnibus & singulis Lyturgiis, una eademque forma consecrationis calicis habetur, nempe, *Hic autem est Calix sanguinis mei, Testamenti novi, & æterni, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Ad ult. R. PP. dum sequentia verba omiserunt, non loqui de ritu formarum, sed de aliis: adeoque sensum potius quam exactam formam attendisse, & in verbis à se incidenter prolatis, reliqua subintellexisse. Nota hic verba consecrationis proferri, recitativè simul & significativè, referunt quippe quod Christus gessit; & simul in præsenti aliquid significant, cum ea proferat Sacerdos in persona Christi, ac si Christus adesset, & ipsem loqueretur.

DUBIUM V.

Quinam sint effectus Eucharistiae, quotuplex sumptio, & qualis ad illam dispositio?

778 **P**rima concl. Sex sunt præcipui Eucharistiae effectus, nimirū, collatio gratiæ, adeptio gloriæ, peccatorum mortalium expiatio, venialium abstensio, pœna remissio; demum, à peccatis futuris præservatio. Quos quidem germinat quatenus est Sacramentum, nam quatenus Sacrificium, habet præterea ut sit satisfactio pro illis pro quibus

bus offertur. Sic D.Th. q.79. per totam, & constat magna ex parte ex dictis de Sacramentis generatim, disp.2. dub.1. & 2. à n.537. ad 566. ubi dictum est, qualiter, quam, & quando hoc Sacramentum causet gratiam, & interdum remissionem etiam mortalium peccatorum.

776 Ad plenam autem concl. intelligentiam, sciendum est primò, quòd dum hoc Sacramentum realiter sumitur, gratia augetur & vita spiritualis perficitur, non quidem ad resistendum hosti, id enim præstat confirmatio; sed ut homo sit perfectus in se ipso per conjunctionem ad Deum, ut docet D.Th. a.1. ad 1. Sciendum est 2. ex eodem ad 2. hoc Sacramentum non solùm augere habitum gratiæ & charitatis, sed etiam excitare ad actum cum dulcedine & gaudio spirituali, quibus reficitur & quodammodo inebriatur, juxta illud Cant. 5. *Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Hæc tamen excitatio charitatis & spiritualis delectatio sàpè impeditur per negligentiam & distractionem communicantis. Tertiò, hoc Sacramentum remittere venialia, non solùm mediò charitatis fervore, quem excitat; sed etiam immediatè ex opere operato per sui receptionem, modò non inveniat in recipiente actualē ad illa aut habitualem affectum; nutrimenti enim spiritualis est, restaurare id quod ex calore concupiscentiæ deperditur per venialia, ut ait D. Th. a. 4.

780 Sciendum est 4. ex eodem a. 5. hoc Sacramentum, quà tale, seu prout sumitur, non remittere directè peccati pœnam; nec enim est institutum, prout tale, ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutrientem per unionem ad Christum & membra ejus. Quia tamen hæc unio fit per charitatem, per cuius fervorem, quem excitat Eucharistia, non modò culpa remittitur, sed & pœna; ideo hujus remissionem indirectè & concomitanter causat Eucharistia, ut Sacramentum, non quidem totius, sed secundum modum fervoris & devotionis. Ut sacrificium autem, seu prout offertur, fit satisfactorium his pro quibus offertur, & offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna; aliás non esset homini alia pœna injung-

genda, sicut nec baptizato injungitur. Ratio autem est, quia in satisfactione potius attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, quae hic sufficiens quidem est ad satisfaciendum pro omni poena. Sciendum tandem, hoc sacramentum influere etiam in ipsum corpus fomitis mitigationem, appetitus excitationem ad motus honestos ac studiosos, gloriosam demum resurrectionem. Vide D. Th. a. 1. & 6. ad 3.

781 Praefatos, aliosque Eucharistiæ effectus eleganter describunt PP. signanter Cypr. & Chrysost. videndi apud Gonet in præsenti. Audiendus D. Th. opusc. 58. à c. 21. *Dominici corporis Sacramentum* (inquit) *dæmonem fugat*, *nobis defensaculum est contra incentiva vitiorum & carnalis concupiscentiæ*, maculam cordis mundat, iram Dei placat, intellectum ad Deum cognoscendum illuminat, voluntatem in Dei dilectione inflamat, memoriam spirituali dulcedine delectat, totum hominem in bono confirmat, ab æterna morte liberat, merita bona vita multiplicat, ad patriam vitæ ducit, ad æternam vitam corpus resuscitat. Illos his versibus complexus est Ricardus: *Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget. Hostia, spem reficit, purgat, vitam dat, & unit. Confirmatque fidem, munit, fomitemque remittit.*

782 Sed mirabiles hosce fructus minimè capiunt (uifibilis experientia testatur) quicumque Manna cum Ægypti alliis, pietatem cum seculi voluptate, Evangelii Maximas cum axiomatibus mundi, usum Sacramentorum cum fruitione profanorum placide componentes, Patrem adorare posse se putant in spiritu & carne, veritate simul & vanitate. *Hinc post innumeris vicibus frequentatam Eucharistiam, homines cernimus* (inquit Contensonus) *amore mundi plenos, concupiscentiæ & cupiditatibus semper morem gerentes, & doctrinarum illarum amantes, quæ licentia & intemperantia lenocinantur. Hinc tantam passim vigore cernimus usurarum & vindictarum crudelitatem, tam profusum ubique luxum, tam effrenatam maledicentiam ; postremò, tam perennem in vitius contumaciam.*

783 Secunda concl. Triplex est Eucharistiæ sumptio, ni-

nimirūm, *Sacramentalis tantum, spiritualis tantum, & sacramentalis ac spiritualis simul.* Sic Trid. sess. 13. cap. 8. docens, *sacramentaliter dumtaxat illam sumere peccatores; illos verò tantum spiritualiter, qui votō propositum illum cœlestem panem edentes, fide vivā, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt;* illos demūm *sacramentaliter simul & spiritualiter, qui ita se prius probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accendant.* Nota autem, quod gratia, quem recipiunt spiritualiter dumtaxat communicantes, non est propriè sacramentalis, sed dicitur effectus Sacramenti, quia datur per ordinem ad illud, ex opere tamen operantis. *Nota præt.* cum D. Th. q. 80. a. 2. quod Angeli licet spiritualiter manducent Christum, quatenus ei uniuntur fruitione charitatis perfectæ, & visione manifesta; non tamen hoc Sacramentum: manducant quippe Christum in propria specie, non sub sacramentali.

784 Tertia concl. *Communio sub utraque specie non est jure divinō omnibus imperata, nec plus gratiae confert, quam sub unica.* Quoad i.p. est diffinita in Trid. sess. 21. cap. 1. & can. 1. Licet enim Christus D. in ultima Cœna Venerabile hoc Sacramentum in utraque specie instituerit, & Apostolis tradiderit; non tamen (inquit C.) ea institutio, & traditio eō tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam astringantur. Etenim idem Dominus noster cùm de hoc Sacramento loqueretur, alterius tantum speciei sèpius meminit, ut cùm Joan. 6. inquit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum:* Et, *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* Et, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Et ut egregie observavit noster Joannes Ragusinus in C. Basileenisi, Christus in eodem cap. undecies meminit hujus Sacramenti sub specie panis, sub nomine autem carnis & sanguinis, non nisi quater, ut ostenderet, solam panis speciem sufficere ad salutem.

785 Accedit perennis Ecclesiæ praxis à tempore Apostolorum communicandi sub sola specie panis, cuius testes locupletissimi sunt Tertull. Clem. Alex. Cypr. aliique PP. Olim

Olim præterea Sacra Eucharistia domum à fidelibus dete-rebatur, à Monachis in Eremum, ab itinerantibus in loca remotissima, ut eam manū propriā sumerent tempore oportunō, ut ex Ecclesiæ monumentis liquet; quod sanè de specie vini intelligi nequit, nunquām enim sacratus calix in manus Laicorum dabatur, nec aliorsūm deferebatur; sed per manus Diaconorum in Templo ministrabatur. In-supèr certum est, ab initio Ecclesiæ abstemios, & Sacerdotem Officium agentem in Parasceve, sub sola specie panis communicasse. *Refert* insuper Ambr. quòd Manichæi, ut se Catholicos simularent, communicabant cum Catholicis: quod de sola specie panis intelligi potest, nam Manichæi abhorrebant à vino tanquam à dæmone factō. *Demum* olim infantibus porrigebatur Eucharistia sub sola specie vini, ut multis ostendit Joan. Cabassut. in Not. Eccles. tēculi II. dessert. 5. à N. 3. ergo nullum extat jus divinum de Communione Laica sub utraque specie.

786 Quoād 2. verò p. est ferè com. cont. Alen. Ricard. Vazq. Lugo, & quosdam alios. In illam inclinarunt majori ex parte Theologi Tridentini, ut non semel testatur Card. Palav. lib. 17. His ejusdem Conc. tametsi Synodus (Constantiensem imitata) noluerit sententiam nostram diffinire, quantumvis id Card. Ofius Concilii Præles, & quidem Episcopus Orator Cæsareus, illam enixè suaderent, ut laudatus Palav. ibidem refert numero mihi 52. Et hinc falsitatis convincitur narratio Archiepiscopi Compost. quam in oppositum adducit Lugo. Quamvis autem Trident. sententiā nostram expressè diffinire noluerit; ex his tamen quæ cap. 3. laudatæ sess. docet, validè illæ firmatur, ait enim: *Quoad fructum attinet, nullā gratiā necessariā ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Quibus non loquitur de gratia simpliciter necessariā ad salutem, hanc enim non causat per se Eucharistia, quantumvis sub utraque specie sumatur; loquitur ergo de gratia propria hujus Sacramenti, seu de augmento gratiæ, aut gratiā secundâ, secundūm quid utique ad salutem necessariā.

787 Prob. ratione D. Th. quâ etiam utitur Trid. ubi
pro-

proximè. Sub altera tantùm specie totus, atque integer Christus, verumque Sacramentum sumitur: ergo sub una tantùm specie communicans, nullâ prorsùs gratiâ, quam sub bina communicans recipit, defraudatur. Prob. cons. Quod enim in sumptione Eucharistiae causat gratiam, non est solum id quod in ea est ex vi verborum, sed etiam quod in ea est per concomitantiam, aliàs Divinitas, & Persona Verbi gratiam hujus Sacramenti non causarent: ergo si communicans sub specie panis tantùm, recipit Christi Sanguinem per concomitantiam, eandem recipit gratiam, quam communicans sub utraque.

788 Quarta concl. *Ad sumptionem Eucharistiae necessarius est status gratiæ; nec sufficit in peccatore contritio, sed requiritur jure divinô Sacramentalis confessio, nisi desit copia confessoris, & communionis necessitas urgeat, tunc autem tenebitur quamprimum confiteri.* Est expressa in Trident. sess. 13. cap. 7. ubi adductō in prob. primæ partis illō 1. Cor. 11. Probet autem se ipsum homo, subdit: Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscientius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque premissa Sacramentali confessione, ad Eucharistiam accedere debeat... Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. Idque præcipi sub mortali, docet communis sententia. Et Alex. VII. hanc damnavit propositionem N. 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, & non præceptum.* Hæc autem obligatio non videtur ad Laicos extendi, ut frequentius docetur.

789 Notandum hic, necessariam non esse actualem devotionem, ut communicans recipiat augmentum gratiæ; est enim tale augmentum primarius effectus hujus Sacramenti, quem proinde causat ex opere operato non ponenti obicem. Et ita expressè docet D. Th. q. 79. a. 8. Defectus nihilominus actualis devotionis, impedit quandā augmenti intensionem, Sacraenta enim causant ex opere operato majorem gratiam, si adsit major dispositio; actualis autem est

est major habituali. Nec videtur requiri actualis devotione, ut per hoc Sacramentum remittantur venialia, sed sufficit ut absit omnis affectus erga illa. Actualis tamen refectio spiritualis dulcedinis, actualem requirit devotionem, adeoque impeditur, si quis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus, ut loquitur D. Th. ubi proxime.

790 Ultima concl. Ex parte corporis necessariò requiritur, extra casum necessitatis, jejunium naturale; ex decentia verò, quòd non fuerit eò die, ne innoxie quidem, pollutum. Prima p. constat, tum ex perenni Ecclesiæ paxi à temporibus Apost. Tum ex variis CC. id præcipientibus. Et hujus præcepti congruentiam tradit Aug. ep. 118. Placuit (inquit) Spiritui S. ut in honorem tanti Sacramenti, priùs in os Christiani Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi: nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Porrò jejunium naturale exigit, ut post medium noctem, nihil omnino sumptum sit per modum cibi, potūs, aut medicinæ. Quamvis autem jejunium hoc quâvis levissimâ materiâ frangatur, grave tamen est, & ut tale prohibitum, illō semel, vel levissimè fractō, communicare. Jejunium istic non solvitur, si quid per modum respirationis fortuitò sumatur, ut si fumum caponum, pluviam, muscam, pulverem, & id genus cum aëre devoret, seu deglutiat. Ut igitur solvatur, requitur, & sufficit, ut aliquid ab extrinseco ori imponatur à stomacho alterabile, & per veram comedionem, aut potationem, in illum trahatur. Ex quo plura dubiola practica solves.

791 Variis casibus licitum est solutō jejunio communicare, ut in articulo mortis, undecumque hæc immineat: Si subsit periculum quòd Eucharistia ab irruentibus infidelibus profanetur: Si mortuō, aut impeditō post consecrationem celebrante, solus Sacerdos non jejunius adsit, qui Sacrificium integret: Si etiam celebrans ipse peractâ consecratione recordetur, se non esse jejunum; aut si aquam locō vini consecrarit, ac sumperferit: aut sumptâ ablutione, particulas hostiæ in calice, patenâ, aut corporali, reperiatur. Non licet tamen Sacerdoti non jejuno consecrare, ut Viat-

ticum moribundo ministret: sicut nō licet in eundem finem consecrare fermentatum, aut sine vestibus sacris celebrare; nec enim sumptio Eucharistiae est simpliciter necessaria ad salutem moribundi. Huic tamen, durante infirmitate, potest ministrari absque solemnitate Eucharistia non jejuno, saltem de octiduo in octiduum; sic enim pia Mater Ecclesia videtur indulgere, in praesidium contra insurgentes diaconi tentationes in extrema illa perfistendi in gratia necessitate. Qui autem non infirmantur ad mortem, si ex devotione communicare voluerint, debent esse jejuni, non secus ac sani, juxta Rituale Romanum.

792 Secunda autem p. concl. est com. & constat ratione D. Th. pollutio enim nocturna, & copula conjugalis, quantumvis innoxiae, speciale corporis fæditatem & mentis distractionem inducunt. Profectò, si panis propositionis (inquit Hier.) ab his qui uxores tetigerant comedì non poterant: quanto magis ille panis qui de Cœlo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulò antè hæsere complexibus, violari atque contingi? congruum igitur est, tales à communione eō die abstinere. Aliae autem corporis fæditates diuturnæ, ut lepra, sanguinis fluxus, & id genus, quæ animi devotioni non obsunt, quamvis olim accessum ad Sacra menta figuralia impedirent, non tamen excludunt ab hoc salutari convivio, ad quod debiles, cæcos, & claudos Dominus invitavit. Vide D. Th. a.7. ad 3.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

793 Contra 1. & 2. concl. nihil objiciendum occurrit, quod ex dictis non possit facile solvi. Opp. ergo 1. cont. 1.p.3. verba Christi Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. Et Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Illud præt. 1. Cor. 11. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: ergo. R. laudatis verbis præcipi quidem (non modò Sacerdotibus, sed etiam Laicis) Sacramentalis sumptio corporis & sanguinis Domini; non tamen modus sumptionis, seu quod manducando, & bibendo summantur, nam quilibet sufficit, cum totum quolibet vere su-

matur. Nec opus est dicere, verba Christi in Cœna ad solos Apostolos, quos tunc alloquebatur, & ad eorum in Sacerdotio successores fuisse directa, prout Salmeronius, & Franciscus Torres contendebant in formatione decreti de *Communione* sess. 21. Tridentini.

794 Talis enim restrictio rejecta fuit à PP. tanquam minime necessaria, instantibus nostrō Ægidio Fuscarario, Episc. Mutinensi, & Petro Guerrero Archiep. Granat. eò vel maximè, quod D.Th. hic q. 80. a. 11. ex illis Domini verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, infert, omnes fideles teneri præceptō Divinō ad communicandum, adeoque censet, illa & similia ad omnes illos extendi, ut refert Card. Palav. in lib. 17. Hist. ejusdem Con. Ideoque Sacra Syn. cap. 1. ejusdem sess. docet, ex laudato illo Joan. 6. non recte colligi, utriusque speciei communionem à Domino præceptam esse: utcumquè (inquit) juxta varias Sanctorum PP. & DD. interpretationes intelligatur. Quæ utinam plures Moderni legissent. Adde, quod in verbis Joan. & Pauli ly Et sumitur in sensu disjuntivo; præmiserat enim Apost. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel liberit calicem Domini indignè, &c.* Nec illud Hæretici aliter accipere possunt, cum dicant, non peccare abstemios sub sola panis specie communicantes.

795 Opp. 2. ad idem illud S. Justini Apolog. 2. *Apostoli in Evangelii ita sibi Christum præcepisse tradiderunt*; loquitur autem de communione sub utraque specie. Præt. Cypr. ser. de Cœna D. ait: *Lex usum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur*, Præt. S. Leo ser. 4. Quadrag. reprehendit eos qui Corpus Christi accipientes, sanguinem haurire declinabant. Tandem S. Gelasius cap. *Comperimus de consec. dist.* 2. ait: *Aut integra sacramenta percipiunt, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdem mysterii, sine grandi sacrilegio non potest provenire*. R. mentem PP. (excepto Leone) esse, Evangelium præcipere Sacerdotibus ut utramque speciem consecrent, & sumant, non quod utramque Laicis ministrent. S. autem Leo jure reprehendit communicantes sub sola spécie panis, quia tunc Ecclesia

præceperat utriusque speciei sumptionem, ut fideles à Manichæis, usum Calicis abhorrentibus, fecernerentur. Et hoc idem Gelasium respexisse, volunt plures. Sed melius R. cum D.Th. a.12. ad 1. illum loqui de Sacerdotibus celebrantibus. Tum, quia titulus illius Canonis est : *Corpus Christi sine ejus sanguine Sacerdos non debet accipere.* Tum quia Glossa marginalis ait : *Hic intellige de conficiente,* &c. Vide tom.3. N.796.

796 Opp.3. cont. 2. p. ejusdem. Species vini, prout continent sanguinem Christi, sunt verum Sacramentum: ergo illas sumens sumptō corpore, novam recipit gratiam. Præt. Sacraenta novæ Legis causant gratiam quam significant; sed majorem gratiam significat gemina species, quam alterutra tantum, cum significet spiritualis convivii plenitudinem, ac perfectam animæ refectionem, quam non significant singulæ species seorsim sumptæ: ergo. Tandem Clemens VI. indulxit cuidam Regi Galliæ, ut sub utraque specie communicaret, *ad majus gratiæ augmentum*, ut ait: ergo. Ad 1. N.conf. salvatur enim ratio Sacramenti per hoc quod sint collativæ gratiæ, tametsi tunc illam non causent, quia causatam supponunt, sicut accidit dum quis, sumptâ unâ particulâ, aliam sumit. Ad 2. N.min. utraque enim species perfectius quidem, at non perfectiorem significat refectionem, quam una tantum; sicut trina immersio perfectius significat Baptismi effectum, non tamen perfectionem. Ad ult. R. loqui Pontificem de augmento gratiæ ex opere operantis, ratione scilicet majoris devotionis, ex qua privilegium illud postulavit.

797 Ex dictis constat, præceptō Divinō astringi fideles ad sumendam Eucharistiam. Quod quidem obligat non modo in articulo mortis in salutis Viaticum, sed etiam aliquoties in vita. Datur insuper præceptum Ecclesiasticum, latum in Magno Later. C. cap. illo celebri: *Omnes utriusque sexus, & confirmatum à Trid. sess. 13. can. 9. quod jubentur omnes, & singuli Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, communicare singulis annis saltē in Paschate.* Per Pascha autem juxta declaratio-

tionem Eugenii IV. intelliguntur 15. dies à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè : Alicubi tamen, ut in hac Valentina Dicecési , plures septimanæ, ob Populi frequentiam , conceduntur. Quod sane tempus prævenire debet prævidens impedimenta; aliàs sciens, & volens Paschalem Communionem ultra differret , contra Ecclesiæ præcipientis intentionem. Qui verò tempore Paschali communionem culpabiliter , vel iuculpabiliter omiserit , tenebitur primâ opportunitate communicare , ita ut gravius peccet , quò diutiùs differat; nec enim Paschalis communio est onus illi præcisè alligatum temporis , sed de terminatio temporis, quò diuinum communicandi præceptum adimpleri debet. *Sacrilegè* communicans , præcepto annuae communionis non satisfacit, ut declaravit Inn. XI. Prop. 55.

DUBIUM ULTIMUM.

Utrum Sacrosanctum Missæ Sacrificium in sola consécratione essentialiter adæquatè consistat?

798 **A** Nte resol. supp. in *Missa offerri Deo verum, & proprium Sacrificium*, ut diffinit Trident. sess. 22. can. 1. cont. Hæreticos modernos, nullum Legis Evangelicæ Sacrificium agnoscentes , præter illud cruentum , à Christo in Ara crucis oblatum. Constat insuper hæc veritas ex Scrip. CC. & PP. videndis apud Controversistas. Accedit & ratio: Sacrificium enim nihil est aliud, quam *Oblatio rei sensibilis cum illius immutatione, facta Deo in signum supremi ejus super res omnes dominii, ex legitima institutione*; sed hæc omnia convenient *Missæ*, in ea enim offertur Deo sub sensibilibus speciebus Corpus, & Sanguis Christi , quæ mysticè immutantur , cùm vī verborū ponatur sanguis tanquam fusus, & separatus à corpore ; hæcque oblatio fit in recognitionem supremi ejus dominii , & quidem ex Christi institutione , juxta illud Matth. 26. *Hoc facite in mea*

commemorationem : ergo. Profectò cùm Sacrificium sit de jure naturæ , & nobissimus Religionis actus , non decuit Christi Ecclesiam illō carere. Hoc supp.

799 Concl. est affirm. & frequentior. Traditur à D. Th. hīc q.82. a.4. ad 1. & a. 10. ad 1. ubi ait : *Hoc Sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae , in qua Sacrificium Deo offertur.* Et prob. Nec enim consitit in oblatione, seu præcedente , seu subsecente consecrationem , cùm neutra sit hostiæ immutativa , neutra à Christo , sed utraque ab Ecclesia instituta. Et idem est de elevatione , & positione hostiæ super Altare : Neque in fractione , & mixtione , quæ pariter sunt ab Ecclesia institutæ , & fractio solùm est circa species panis , Sacrificium autem Missæ , est secundum ordinem Melchisedech , qui panem , & vinum in Sacrificium obtulit : Neque in sumptione , quia hæc non fit in Persona Christi , sed ipsius fumentis : Dicitur tamen sacrificii consummatio , quia est intrinsecum illius complementum ex Christi præcepto necessarium : Consitit igitur in sola consecratione , quæ quantum est de se , est mystica quædam mactatio Christi , & effusio sanguinis ejus per gladium verborum , ut Cyrillus loquitur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

800 Opp.1. cont. supp. Christus D. Joan. 4. prædixit Samaritanæ , Christianos adoraturos Deum *in spiritu , & veritate* : ergo ipse nullum externum instituit Sacrificium. Præt. Christus *sempiternum habet sacerdotium : semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*: Et unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos , ut dicitur Hebr. 7. 9. & 10. ergo nulos habet sui Sacerdotii successores, nec ullum proinde est in Nova Lege Sacrificium. Tandem: Eucharistia est *testamentum , sacramentum , & imago sacrificii* : ergo non est sacrificium. Ad 1. R. ibi non excludi adorationem per Sacrificium Missæ , quō verè adoramus Deum *in spiritu & veritate*; est quippè verum, & spirituale respectu carnalium , & figurativorum. Ad 2.N. conf. Quamvis enim Christus sit unicus Legis novæ Sacerdos , nulos habens patris authoritat̄ Successores , & unicum ac nunquam iterandum

dum semel obtulerit cruentum sacrificium; non excludit quod plures sint Sacerdotes Vicarii, plures oblationes ex parte actionis offerendi, & plura sacrificia increta, absque ulla cruenti injuria, cum non offerantur ut suppletiva ejus insufficientiae, sed ut illius rememorativa, ejusque infiniti valoris ex divina ordinatione applicativa.

801 Ad ult. N. conf. Eucharistia enim simul est omnia illa, sub diversa ratione: Est quidem *testamentum*, quatenus est instrumentum authenticum divinæ voluntatis, & promissionis vitæ æternæ; *Sacramentum* verò, quatenus est signum practicum nostræ sanctificationis; quatenus autem offertur Deo in recognitionem supremi ejus dominii, habet rationem *sacrificii*. Est pariter *repræsentatio Sacrificii*, & *Sacrificium*: non secùs ac vetera sacrificia simul erant figuræ, & repræsentationes futuri sacrificii crucis, & vera sacrificia. In sacrificio cruento (ut reliquis Hæreticorum arg. occurramus) debet quidem hostia occidi, secùs in incruento, ad quod sufficit hostiæ immutatio. Istud autem verè obtulit Christus in Cœna, quod ex Dei beneplacito fuit subordinatum cruento, quō redemptio nostra consummaretur; adeoque suus utrius locus non defuit, quamvis utrumque fuerit valoris simpliciter infiniti, sicut & reliqua Christi opera.

802 Opp. 2. cont. concl. Consecratio non est oblatio; quam tamen essentialiter includit Sacrificium: ergo. Præt. Consecratio non supponit, sed ponit hostiam: ergo. Tandem: Sacrificium increntum consistit in actione repræsentativa cruenti; sed hæc non est consecratio, sed sumptio, juxta illud 1. Cor. 11. *Quotiescumquè manducabis, &c. mortem Domini anuntiabis*: ergo. Ad 1. N. maj. est enim oblatio implicita, & in actu exercito, non secùs ac ovis jugulatio, & combustio facta in Dei cultum. Ad 2. N. conf. Nec enim ad Sacrificium requiritur universaliter, quod sacrificatio rem sacrificandam præsupponat, ut patet in Sacrificio Thymiātis, in quo offerebatur suffitus, seu vapor suavè olens, ipsa sacrificeatione productus. Ad 3. Dist. maj. consistit in actione, proximè, & ratione sui repræsentativæ cruen-

cruenti, C. repræsentativâ solùm remotè, & ratione alteriùs, N. & sic distincțâ min. N. conf. Apostolus autem solùm intendit, sumptionem esse repræsentativam mortis Christi remotè, & ratione consecrationis.

803 Ad penitorem dictorum captum, & aliorum solutionem, nota, tres in consecratione distingui formalitates, nempè, *productionis*, *oblationis*, & *mactationis*: Est enim consecratio *productiva*, & præparativa victimæ, quatenus est conversio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi: Est insuper *oblativa*, quatenus eandem victimam Deo in actu exercito præsentat, in ipsius cultum: Est demùm *mactativa* seu immutativa victimæ, quatenus ex vi verborum ponit Corpus Christi separatum à sanguine, & modò quôdam mortuō per modum cibi: Et sub hac ultima formalitate, habet consecratio ultimam differentiam sacrificii propriè dicti, oblatio enim potius est genericum sacrificii prædicatum.

804 Ex dictis colligitur 1. in Parascevè non fieri propriè sacrificium, sed consumptiōnem dumtaxat hostiæ, præcedentis diei sacrificiō immolatae. Collig. 2. Sacrificium Missæ, simul esse *latreuticum*, *Eucharisticum*, *propitiatorium*, & *impetratorium*: Offertur quippè Deo in agnitionem summae ipsius excellentiæ, & supremi in omnes dominii; in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis; in remissionem peccatorum, & poenæ relaxationem; demùm ad beneficia impetranda; ac proinde complectitur omnem legalium differentiam victimarum. Collig. 3. hoc sacrificium esse valoris infiniti quoad *sufficientiam*, non autem quoad *efficaciam*: Est quippè idem cum Sacrificio Crucis ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, scilicet Christi, *solā offendi ratione diversâ*, ut docet Trident. sess. 22. cap. 2. sacrificium autem crucis, est quidem valoris infiniti quoad sufficientiam; non autem quoad efficaciam, quia se habet per modum causæ universalis in ordine supernaturali, agentis juxta mensuram dispositionis subjecti cui applicatur, ut docet D. Th. h̄c q. 79. a. 5. & 7. ergo. Et hinc

805 Collig. 4. sacrificium æqualiter oblatum pro pluri-

ribus, æquè cuilibet prodefle (juxta cuiuslibet tamen dispositionem) ac si pro uno tantum offerretur; cum infinitus sacrificii valor exhaustiri non possit. Et quidem Sacrificium offertur semper pro adstantibus, ac circumstantibus, ut liquet ex verbis illis, *& omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, &c.* nec tamen minus prodest mille circumstantibus, quam si unus tantum adesset. Hinc tamen minimè infertur, licere Sacerdoti pro una Misla plura stipendia, quamlibet exigua, accipere: Nec enim stipendum datur Sacerdoti tanquam pretium fructus sacrificii (id enim maxima foret simonia;) sed tanquam eleemosyna pro illius sustentatione, ex lege aut consuetudine taxata; adeoque privato Sacerdoti illam augere non licet, imò id Ecclesia vetat. Nec duplicatum stipendum accipere potest pro applicatione fructus sacrificii, celebranti ipsi correspondentis. Nec etiam potest partem stipendiī sibi retinere, Sacro per alterum celebratō. Recole propositiones 8. 9. & 10. inter proscriptas ab Alex. VII. Diminutō (autem temporis decursu) justō stipendiō; nulli particulari licet, propriā autoritate numerum Missarum ad justum stipendum reducere, quia id non semel prohibitum est ab Ecclesia. Ac de Tract. VII. hactenū.

TRACTATUS VIII.

De Pœnitentia, Extrema-Undione, & Ordine.

DISPUTATIO I.

De Pœnitentia.

806

Expositis tribus Sacramentis, ad vitam spiritualem per se attinentibus, nimirum; Baptismō, Confirmatione, & Eucharistiā, quæ illius sunt veluti generatio, augmentatio, & nutritio: quartum occurrit examinandum, quod eidem vitæ est per accidens necessarium tanquam medicina longè positis à Deo, nempè, Pœnitentia, quæ secunda post naufragium tabula jurè audit. Et quæ non à Pone, seu à merita resipiscientia, etymon habet, ut Erasmo, & Vallæ, Luthanismi Præcursoribus, libuit; sed à pœna, quasi pœnæ tenentia, ut ex Scripturis, & PP. liquet. Pœnitere (inquit Isid. lib.6. Etymol. c.ult.) est pœnam tenere ut semper puniat ulciscendo, quod commisit peccando. Porro Pœnitentia, & Sacramentum, & virtus est; & de illa sub utraque ratione acturus S. D. illius quidditatem, effectum, partes, subiectum, Ministrum, solemnitatem, differenda sibi proposuit in fronte q. 84. Et quidem duo priora fœliciter absolvit ad q. 90. inclusivè; sed ultra progredi non potuit, fœlicissimâ morte præventus. Selectiora doctrinæ illius (hic aliquique traditæ) capita sequentibus dubiis comprehendemus. Sit igitur.

DU-

DUBIUM I.

Qnid sit Sacramentum Pœnitentiae , & quænam illius materia , & forma?

807 **S**upp. ut fide certum ex Trid. sess. 6. cap. 14.

sess. 7. can. 1. & sess. 14. cap. & can. 1. dari in Ecclesia verum Pœnitentiæ Sacramentum , à Christo D. institutum, dùm post resurrectionem dixit Joann. 6. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata , remittuntur eis ; & quorum retinueritis , retenta sunt.* Et hinc iterùm supp. institutum fuisse à Christo hoc Sacramentum, non modo quoàd formale , seu potestatem absolvendi, sed etiam quoàd materiale , seu partes quibus constat : Ex institutione enim Sacramenti Pœnitentiae jam explicatâ , universa Ecclesia semper intellexit , institutam etiam esse à Domino integrum peccatorum confessionem, inquit Trident. sess. 14. cap. 5. quippè sine confessione non posset Sacerdos habere notitiam causæ, de qua judicare debet. His supp. sit

808 Prima concl. Sacramentum Pœnitentiae physicè sumptum, nihil est aliud, quam, *Exterior peccatorum confessio dolorosa , sub impensa prescripta absolutionis formâ.* Metaphysicè vero acceptum, est , *Sacramentum novæ Legis institutum ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum , seu signum efficax gratia remissivæ peccati post Baptismum commissi.* Utraque definitio constat ex dictis, & amplius ex dicendis constabit. Et hinc habetur , hoc Sacramentum , in re , vel in voto suscepit, esse medium necessarium ad deletionem hujusmodi peccatorum ; adeòque ad salutem lapsis post Baptismum : sicut nondùm regeneratis est necessarius ipse Baptismus , ut diffinit Trid. sess. 14. cap. 2. *Prefatum autem Pœnitentiæ votum (quod in contritione perfecta includitur , juxta idem Conc. ibidem cap. 4.) sufficit implicitum , ut si quis perfectæ contritionis actum eliciat actu non cogitans de confessione Sacramentali , seu ex obli-*

vio-

vione, seu ex ignorantia invincibili.

809 Secunda concl. Materia proxima hujus Sacra-
menti, sunt actus pœnitentis, *contritio*, videlicet, *confessio*,
& *satisfactio*; forma verò, *absolutio*, quæ hisce solis verbis
essentialiter conficitur, *Absolvo te*. Quoàd 1. p. est expressa
Florent. in Decreto Eug. & Trident. sess. 14. cap. 1. Nec
refert quòd tales actus dicantur à Trident. post Florent.
quasi materia, quia non ideo sic appellantur (inquit Cath.
R.) quia verè materia rationem non habeant; sed quia ejus ge-
neris materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut *aqua in*
Baptismo, & *Chrisma in Confirmatione*. Excusandi tamen
sunt Scotus & Dur. quia uterque scripsit ante laudata CC.
à quibus (ut ajunt Sotus, Bellarm. Suarez, aliquie) cano-
nizata est sententia D. Thomæ etiam in modo loquendi,
nam quoàd substantiam, & Scotus & Dur. partes illas de-
siderant ad Sacramentum Pœnitentiæ ex parte pœni-
tentis. *Ratio autem à priori* est voluntas Christi. Con-
gruentia verò, quia materia judicii emendativi, & recon-
ciliativi (quale est pœnitentiale) est accusatio, dolor, &
satisfactio: ergo. *Hinc* sequitur, quòd peccata post Bap-
tismum commissa, sunt remota hujus Sacramenti materia,
non acceptanda (ait D. Th. a. 2.) *sed detestanda*, & *destruen-
da*. Et quidem *necessaria*, si lethalia sint, *libera* verò, si ve-
nalia, aut mortalia temel rite confessa.

810 Prob. deinde quoàd 2. p. & quidem formam hu-
jus Sacramentū esse absolutionem Sacerdotalem, docetur
expressè à Florent. & Trident. Quòd autem hæc illis solis
verbis, *Absolvo te*, essentialiter conficiatur, frequentius do-
cetur, & quidem jurè: *Tum*, quia hæc duo verba sufficien-
ter exprimunt effectum hujus Sacramenti, scilicet, gratiam
remissivam peccatorum, seu solutivam vinculorum ani-
mæ, quæ sunt peccata, ut explicat D. Th. a. 3. *Tum*, quia
præfata verba, (quamvis ex se indifferentia ad significan-
dam absolutionem à peccatis, vel à censuris) sufficienter
determinantur ad significandam absolutionem à peccatis
ex circumstantiis, nempè, intentione absolvientis, & con-
fessione pœnitentis. *Hinc* Rituale Cameracense editum
an.

an. 1622. exprelse dicit, *ly à peccatis*, non esse de necessitate Sacramenti. *Invocatio* pariter Sanctissimæ Trinitatis, neque ex effectu hujus Sacramenti (qui sine illa satis intelligitur,) neque ex verbis Christi, neque ex usu Ecclesiæ, colligitur essentialis: Lethaliter tamen peccaret committens *ly à peccatis*, ob probabilitatem appositæ sententiæ, utique tutioris. *Hinc* habes cont. Launoyum & Morinum, nullam prorsùs esse formam absolutionis deprecatoriè prolatam; est enim sententia judicialis. *Nec* ulla est Græcorum forma non præfeterens autoritatem sententiæ judicialis; ut videre est in relatis ab Arcudio l.4. de Sacram. cap. 3.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

811 Opp. i. cont. i. p. supp. illud Hebr. 6. *Impossibile est*, eos, qui semel sunt illuminati... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Illud præt. ejusdem epist. c. 10. *Voluntariè peccantibus... jam non relinquitur pro peccatis hostia*: ergo. Præt. Pœnitentia non erat Sacramentum in Lege veteri: ergo nec in nova. Præt. Aug. Tract. 80. in Jo. ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; sed hic non est elementum: ergo. Præt. quia Aug. lib. de Nupt. c. 33. docet, per Baptismum etiam remitti peccata futura: ergo superfluit Pœnitentia. Tandem. Quia nihil assignari potest in pœnitentia, quod sit res & Sacramentum simul: ergo.

812 Ad testimonia Apost. (quibus moti Montanistæ, & Novatiani, negabant remedium lapsis post Baptismum) R. ad i. quidem, illud intelligi de renovatione ad pœnitentiam per Baptismum, quem Judæi, cont. quos agit, credebant iterari posse. Sic post Chrysost. aliosque PP. D. Th. hic q. 84. a. 10. ad i. Ad 2. autem, N. conf. quia sensus est, non relinquere Christum iterum cruentè immolandum, ut ait Ambr. Vel loquitur Apost. cont. Judæos volentes conjungere Legem Moysis, & Christi, quibus neutrius legis holtia prodefesse poterat. Vel demum loquitur de voluntibus in peccato remanere, quibus solùm relinquitur (ut subdit) *terribilis quadam expectatio judicii*.

813 Ad reliqua (ob quæ Lutherani & Calvinistæ negant, Pœnitentiam esse Sacramentum , aut saltem , esse à baptismo distinctum) R. Ad 3. quidem, N. cons. quia in Legi veteri non fuit dictum , *Quorum remiseritis peccata , remittuntur eis, &c.* Ad 4. Augustinum ibi loqui de Baptismo. *Vel si de aliis , sumit elementum latè , pro materia sensibili.* Ad 4. Dist. ant. Docet remitti futura proximè , N. Remotè & radicaliter , quatenus per Baptismum reddimur capaces ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, C. Liquet ex contextu , nam subdit : *Quid enim prodesset ante Baptismum pœnitentia , nisi Baptismus sequeretur ; vel postea , nisi præcederet ?* Ad ult. N. ant. illud enim est pœnitentia interior , ut potè significatur per actus sensibiles , qui sunt Sacramentum tantum , & simul significat remissionem peccati , quæ est res tantum. Sic D. Th. h̄c q.84. a.1. ad 3.

814 Opp.2. cont.2.p. ejusdem. Christus ante mortem dimisit peccata Paralitico , Magdalena , Zachæo , aliisque: ergo. Præt. Sæpiùs dixit Dominus ante mortem , *Pœnitentiam agite.* Tandem : Ecclesia confert potestatem in Corpus Christi mysticum , immediate post concessam in verum: ergo & sic contulit Christus. Ad 1. Dist. ant. Dimisit peccata propriâ virtute, C. vi Sacramenti, N. Ad 2. R. fuisse locutum de Pœnitentia virtute , non Sacramento. Ad ult. N. cons. quia potuit Christus diversis temporibus instituere , quod solet Ecclesia ferè simul conferre.

815 Opp.3. cont.2. concl. Pœnitens non est Minister hujus Sacramenti: ergo ejus actus non sunt illius materia. Præt. Quia alias tales actus causarent physicè gratiam : ergo pœnitens diceretur se ipsum justificare , imo & absolvere , quod est falsum: ergo. Præt. Contritio non est sensibilis: ergo. Tandem: Satisfactio non confert gratiam : est insuperfructus pœnitentiæ : ergo non est pars nec materia Sacramenti pœnitentiæ. Ad 1. N. cons. Vel Dist. cons. secundum se sumpti, C. ut subjecti clavibus , & ab istas habente elevati, N. Ad 2. N. cons. quamvis enim actus pœnitentis, ut potestate clavium elevati , influant instrumentaliter in justificationem , nequit tamen absolutè dici, quod

pœnitens se ipsum iustificat, & neutquam, quod se ipsum absolvit; sed id proprium est Sacerdotis virtute clavium aſſumentis materiam, & subjicientis eam formæ absolutio-
nis. *Ad 3.* R. contritionem fieri sensibilem per confessio-
nem. *Ad reliqua respondet D. Th. q. 90. a. 2. ad 2. & 3.*
quod satisfactio prout est in proposito, confert gratiam,
quam deinde auget in executione. Et quod est pars pœni-
tentia sacramenti, fructus autem pœnitentia virtutis.

816. Ex dictis habes, hoc Sacramentum appellari *Re-
conciliationis*, ab effectu; *confessionis*, à notiori parte; *ab-
solutionis*, à forma, *pœnitentia*, à contritione. Nunquam
tamen dicitur Sacramentum *satisfactionis*, quia hæc non est
de illius essentia, nisi prout in proposito, quod includit
contritio. Nec dicitur etiam *Manuum impositio*, quia hæc
non requiritur ad hoc Sacramentum, sicut nec ad Baptis-
mum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum, ut
loquitur D. Th. q. 84. a. 4. Nec quælibet acceptio Spiritus
S. requirit manuum impositionem, sed acceptio Spiritus
S. cum plenitudine, ut in confirmatione.

DUBIUM II.

*Quid & quotplex sit Contritio, & qualis requi-
ratur & sufficiat ad iustificationem obtainen-
dam in hoc Sacramento?*

817 **P**rima concl. Contritio generatim accepta,
est: *Animi dolor, ac detestatio de peccato com-
misso, cum proposito non peccandi de cætero.* Dicitur *animi*,
ut excludatur dolor sensibilis, qui non est absolutè neces-
sarius. Ponitur *detestatio*, quia ex ista, seu odio peccati, ori-
tur dolor seu tristitia, in qua essentialiter consistit ipsa con-
tritio. Additur *cum proposito*, &c. quia istud conlequitur
dolorem tanquam proprietas. *Nota hic*, quod contritio,
cum sit actus primarius pœnitentia, essentialiter opponi-
tur peccato, ut est summa offensa contra Deum; odium au-
tem

tem peccati, opponitur huic, ut amori contra Deum sum-
mum bonum, adeoque tale odium est formaliter actus
charitatis, contritionis autem, præsuppositivè dumtaxat.

818 Secunda concl. Contritio sic generatim descripta,
divit in *perfectam*, quæ simpliciter *contritio* dicitur, &
imperfectam, quæ *attritio* vocatur. Constat ex Trident. ibi-
dem. Perfecta est: *Dolor ac detestatio peccati propter Deum*
summè dilectum, cum proposito non peccandi in posterum, &
votō suscipiendi Sacramentum Pœnitentia. Imperfecta verò,
seu attritio, est: *Dolor de peccato ob ejus turpitudinem, vel ob*
metum gehennæ, & id genus. Utraque diffinitio colligitur
ex Trid. ibidem, ubi addit, quòd contritio perfecta homi-
nem Deo reconciliat, priusquam hoc Sacramentum actu
suscipiat, tametsi non sine Sacramenti voto, in ipsa con-
tritione inclusò: Attritio verò ex se, & sine Sacramento,
ad justificationem perducere peccatorem nequit. Ex dictis
habes, contritionem, & attritionem, essentialiter inter se
differre, cùm respiciant peccatum sub diversa ratione for-
malis; cōtritio quidem, sub ratione injuriæ Deo illatæ; attri-
tio verò, sub ratione mali ipsius peccatoris. Et hinc cōtritio
necessariò cadit super omnia peccata, adeoque séper exclu-
dit omnē affectū peccandi, & semper est ejusdē speciei; se-
cùs attritio: Unde attritio nunquam potest fieri contritio.

819 Tertia concl. Ut attritio disponat ad justificatio-
nis gratiam, in Sacramento Pœnitentia obtinendam, de-
bet esse *vera, supernaturalis, universalis, & efficax*. *Vera*
quidem, sicut materia Baptismi est vera aqua, & non ap-
parens, seu existimata. *Supernaturalis* verò, quia & est
donum Dei & Spiritus S. impulsus, juxta Trid. & dis-
ponit ad gratiam; adeoque concipi debet ex motivo per
fidem cognitō. *Universalis* autem, & ad omnia mortalia
nondùm confessa se extendens, quia nequit unum sine alio
remitti. *Demum* debet esse *efficax*, disponit quippè ad grati-
am in Sacramento Pœnitentia impetrandam, si volunta-
tem peccandi excludat cum spe veniae, ut loquitur Trident.
Unde si omnem peccandi voluntatem non excludat, quan-
tumvis ad Sacramenti integratatem fortè sufficiat juxta di-
cen-

cenda, non tamen ad fructum.

820 Quarta concl. *Supernaturalis attritio ex metu gehennæ concepta, sufficit ad reconciliationem in hoc Sacramento obtinendam, nec aliqualis requiritur charitatis dilectio, ne inchoata quidem.* Sic communiter veteres Theologi cont. nonnullos, contritionem simpliciter requirentes, & frequentius RR. cont. plures Belgas & Gallos, afferentes necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione, quorum sententiam (cui mordicūs subscrībit Magister meus charissimus D. Fr. Joannes de Montalvan Accitanus & Placentinus Episcopus, in sua Epist. Paſt. de Pœnit. a. 5.) *erroneam* judicavit Sacra Facultas Sorbonica, teste noſtri Joanne Nicolai Præf. in 4. tent. D. Th. quam censuram verbatim refert Ludov. Abelli in Medulla Theol. p. 2. c. 5. Sed effervescente Lovanii controversiâ, districtè prohibuit Alex. VII. ne quis alterutram opinionem, seu affirmantem, seu negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ conceptâ, censurâ ullâ theologicâ notare audeat.

821 Prob. 1. concl. ex Trid. sess. 14. cap. 4. ubi contritionem dividit in eam quæ est charitate perfecta, & in eam quæ non est charitate perfecta, quam attritionem vocat: ergo hæc nullum includit charitatis actum. *Præt.* Verba illa, si voluntatem peccandi excludat, refert Concilium ad ipsam attritionem, & non ad actum charitatis, quem in ea includi volunt contrarii; *tum*, quia aliàs non sic loqueretur, sed ita, voluntatem peccati excludens, cùm non dubitaret, voluntatem illam per charitatem (quantumvis inchoatam) excludi. *Tum*, quia scopus erat damnare Lutherum, qui non asserebat, attritionem conjunctam actui charitatis facere hominem hypocritam & magis peccatorem, sed id tantum affir-mabat de attritione, hæc enim sunt illius verba ser. 2. de Pœnitentia: *Hæc autem contritio facit hominem hypocritam & magis peccatorem; quia solum timore precepti, & dolore damni, id facit, &c.* ergo.

822 Prob. 2. concl. ex D. Th. in 4.d.6.q.1.a.3.ad 5.dicente: *Ad hoc ut homo se preparet ad gratiā in Baptismo percipiendā* (idem)

(idem est de Sacramento Pœnitentiæ) præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, & si non sit contritio. Prob. demum rat. Dilectio illa charitatis, quantumvis remissa, & imperfecta, cum sit essentialiter conver-sio in Deum, ut amicum, & inclinatio in ipsum ut ultimum finem, excludit omne peccatum mortale, avertens à Deo; adeòque gratiam justificantem dispositivè confert: ergo Sacramentum Pœnitentiæ nunquam de facto conferret primam gratiam justificantem, nec peccata remitteret; sed semper præsupponeret illam collatam, & ista remissa, virtute præcedentis dispositionis: ergo non esset Sacramen-tum mortuorum. Coguntur igitur Adversarii alterutrum inconveniens deglutire, nempè, aut Sacramentum Pœnitentiæ nunquam primò expellere peccatum, aut amicabi-lem charitatis dilectionem cum illo sociari; quorum pri-mum Pœnitentiæ Sacramenti institutioni, alterum chari-tatis naturæ aduersatur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

823 Contra tres priores concl. nihil objiciendum o-currit. Contra 4. opponunt Lutherani, attritionem ex me-tu gehennæ conceptam, esse malam, quorum præcipuum fund. solutum manet ex dictis Tract. 2. N. 214. Disolven-da tamen restant fundamenta DD. afferentium, illam (etsi honestam) non justificare intra Sacramentum, nisi aliquam charitatis actum includat. Opp. ergo 1. Scrip. S. Deut. 4. & Joël. 2. alibique, ad veram pœnitentiam requirit con-versationem ex toto corde; adeòque ex amore. Præt. 1. Joan. 3. dicitur: *Qui non diligit, manet in morte.* Et 1. ad Cor. 13. asserit Apołt. nihil prodesse absque charitate. Et ibidem cap. ult. anathema dicit omni homini non diligenti Domi-num Jesum: ergo.

824 Ad 1.R. quod si *conversio ex corde* eadem sit ac *sincerità*, haberi potest ex metu gehennæ, cum ex illo possit pec-cator verè, & sincerè omnia sua detestari peccata, verèque de illis dolere. Si vero eadem sit, ac *conversio ex amore*, R. illam requiri ad justificationem extra Sacramentum, quod tunc nondum erat; secùs ad justificationem in Sacramento,

quod

quod nobis instituit Christus. Nec præposterum est (ut quidam opponunt) sed valdè ordinatum , necessariam affirmare charitatem ad peccatorum remissionem in lege timoris, & non in lege amoris : Cùm enim Judæi non gravarentur peccatorum confessione , debebant onus istud , nobis impositum aliunde compensare. *Ad 2. R.* *ly non diligit* , sumi illic contrariè , ac si dicatur , *qui odit, &c.* subditur enim , *Omnis qui odit fratrem suum , homicida est.* *Ad 3. R.* illud , charitatem autem non habeam , vel sumi contrariè , vel de charitate habituali , sine qua nihil ad salutem prodest. *Ad ult.* *R.* illud etiam sumi contrariè , ut sensus sit , *Qui odit Christum , doctrinam ejus ac nomen insectando , & blasphemando , ut faciunt infideles ; anathema sit.*

825 Opp.2. Augustinum, Chrysoft. Greg. aliosque PP. sæpè afferere, nunquam hominem sine charitate justificari. *Præt.* Vix est Concilium Provinciale, vix Catechismus, vix Rituale , vix Litteræ Pastorales , quæ non requirant cum Sacramento amorem Dei super omnia : ergo. *Ad 1.R.* intelligendos esse PP. de charitate antecedente , vel consequente : Semper enim charitas vel antecedit justificationem peccatoris, ut quando justificatur extra Sacramentum per actum contritionis charitate perfectæ , ultimò disponentem ad gratiam : vel illam comitur aut subsequitur, ut quando per attritionem in Sacramento baptismi , vel pœnitentiæ justificatur ; tunc enim charitas ex ipsa virtute Sacramenti consequitur , prolatâ formâ. *Ad 2. R.* illa omnia inculcare fidelibus , quid præstantius , utilius , & secundius sit, non autem , quid absolute necessarium.

826 Opp.3. Tridentinum sess. 6. cap. 6. inter dispositionis in adultis requisitas ad justificationem per Baptismum recipiendam, recenset amorem , quô Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt : ergo etiam requiritur talis amor pro dispositione ad justificationem obtinendam per Sacramentum Pœnitentiæ. *Præt.* Fides non unit perfectè Christo sine charitate , ut ibidem cap. 7. docet Trident. ergo nec attritio sine illa. *Præt.* Idem Confess. 14. cap. 4. ut ostendat , attritionem disponere ad gra-

tiam Sacramentalem, profert exemplum Ninivitarum; sed illorum timor annexam habuit charitatem, aliàs veniam non impetrassent: ergo. *Tandem.* Ex decreto de contritione efformato à Deputatis, hæc verba expungi jusserunt PP. Tridentini, Verumetiam sufficere (attritionem) ad Sacramenti hujus constitutionem, ut refert Palavicinus lib. 12. cap. 10. Hist. Trid. ergo judicarunt, solam illam absque dilectione non esse dispositionem proximam.

827 Ad 1. (cui maximè fidunt contrarii) R. non omnes actus illèc enumeratos, esse simpliciter necessarios; alioquin, & timor divinæ iultitiæ talis esset, cùm illum etiam recenseat, quod tamen certò falsum est; cùm plerumque peccatores potius ob spem gloriæ, quàm gehennæ timorem, incitentur ad conversionem: Ex quo igitur amor ille inter dispositiones recenseatur, non sequitur, esse necessarium. *Datô* autem, illum ut necessarium enumerari, R. nihil inde pro Adversariis: Nec enim est ibi sermo de amore *charitatis*, sed *spei*, seu *concupiscentiæ*, quô peccatores Deum, ut sibi bonum, & placabilem, diligunt, ut ex ipso contextu liquet. *Datô* demùm, loqui Concilium de dilectione *charitatis*, R. intelliġi debere de inceptione, seu principio illius extrinsecō, consistente in voluntate seu proposito servandi deinceps Dei præcepta, quorum observatio vocatur à Christo Joan. 4. *Dei dilectio*: non autem de inceptione intrinsecâ, importante formalem Dei amorem: aliàs frustrà PP. Tridentini dcleri decrevissent (teste eôdem Palav.) ex delineato à Deputatis decretô hæc verba, Cùm sine aliquo dilectionis motu vix esse possit: & hæc subrogari, diligere incipiunt. Accedit, quod sess. 14. loquendo de requisitis ad Sacramentum Pœnitentiæ, nullius dilectionis benevolæ fit mentio; cùm tamen initio sessionis, exactior promittatur hujus Sacramenti doctrina, quàm tradita sess. 6. de justificatione.

828 Ad 2. R. illud intelligi de habitu *charitatis*, quē dicit simul infundi cum spe & fide; & sine quo, nec fides, nec spes, nec attritio, præstare possunt vitam æternam: quamvis attritio cum Sacramento pœnitentiæ, sufficiat ad obtinendum

dum habitum charitatis , & gratiæ , qui sunt principium meriti vitæ æternæ. *Ad 3.* N.maj. Nec enim Concilium utitur illō exemplō , ut probet sufficientiam attritionis cum Sacramento ; sed , ut ostendat illius honestatem contra hæreticos, cùm impedierit comminatam Civitatis subversionem , quod utique impetrare potuit efficax attritio. *Nec* Concilium asserit, Ninivitas illō timore concussoſ, fuiſſe justificatos , sed misericordiam impetrassè , quia nempè, Deus non intulit eis malum , quod per Jonam comminatus erat. Et fanè argumentum, oppositum ſupponens , ni-mis probat , nempè, requiri dolorem justificantem , quod nè ipſi oppoñentes admittunt. *Ad ult.* N.conf. Verba enim illa fuerunt ſublata , vel quia loquutio erat impropria, cùm impropriè dicatur , partem ſufficere ad conſtitutionem totius : Vel nè damnaretur ſententia Scoti , conſtituentis eſtentiam Sacramenti in ſola aſſolutione , & ſolū requiri entis aetus pœnitentis, ut präviā diſpoſitionem. Et quidem mutatio, numerō präcedenti relata, potiū nocet Adversariis, quām nobis, objecta.

829 Opp.4. D.Th. ſæpè docentem , ad veram pœnitentiam requiri auctum charitatis, ut videre eſt 3.p. q.85.a. 2. ad 1. & a.5. in corp.& q. 86. a.3. *Præt.* in 4.d.17. q.3. a. 1. qq. 1. expreſſe docet , confeſſionem non valere fine charitate. *Ad 1.* R. ſermonem ibi eſſe de pœnitentia virtu te, & quæ ſufficiat ad remittenda peccata extra Sacra mentum. Illam autem vocat *veram*, id eſt, *perfectam*; non autem prout contraponitur *falsa*; nam certum eſt, veram requiri pœnitentiam ad hoc Sacramentum ; ad quod tamen, juxta S.D. ſufficit *imperfecta* , ſeu attritio , & quæ non poſſit remittere peccata absque Sacramento. *Ad 2.* R. loqui ibi S. D. de confeſſione *ut meritoria* , qualis eſſe nequit absque charitate habituali: cum quo optimè ſtat, quod fine charitate poſſit Sacramentum conſtituere. Docet autem alibi S. D. quod attritio dicit *acceſſum ad contri tionem*, quia attritus, per Sacramentum *fit contritus* , *quoad effectum*.

830 Opp.tandem: Per amorem concupiſcentiæ, qualis
Cc 2
eſt

est in attritione, non convertimur ad Deum, cùm sit amor nostri, non Dei, vel si Dei, quatenus relabitur in nos : ergo. R.N.ant. Quia non possumus Deum sperare, nisi convertamur ad Deum. Et sicut avertimur à Deo illius legem violando, ita ad illud convertimur per sincerum ejusdem legis deinceps implendæ propositum. Intervenit quidem ibi amor nostri, sed non tanquam finis in quo sistimus, sed tanquam finis cui Deum speramus, in quo nulla est inordinatio. Fugit quidem attritus Deum iratum ; at non ibi sistendo, sed ut possideat placatum. Itaque sicut peccans avertit se à Deo, & convertit se ad creaturam, ut sibi bonam : Sic attritus econtrà, avertit se à creatura, & convertit se ad Deum, ut sibi veniam speranti bonum.

831 Inquires : Quando obliget præceptum contritionis ? R. non obligare statim post commissum peccatum, nec omnibus diebus festis, & Dominicis, nec quoties peccatum commissum memorie occurrit : Quia nec peccatores de eo se accusant, nec Confessores examinant. Neque obligat totò vitæ decursu, cùm sit præceptum affirmativum, adeoque non obligans *ad semper* ut ajunt. Obligat igitur, & quidem per se, in articulo mortis verò, vel præsumptō, & in mortali vitæ periculō, in quo scilicet, plerisque solet mors contigere, ut in prælio, peste, & periculosa navigatione. *Huic autem obligationi fit satis per actum attritionis cum Sacramento conjunctum* ; instat nihilominus in articulo mortis præceptum charitatis. *Per accidens autem obligat præceptum contritionis, primò*, gravi aliquâ urgente tentatione, quam sine contritione superare, quis non valeat. *Secundò* dūm quis erroneè existimat, se ad eam teneri. *Tertiò*, in casu publicæ necessitatis, dūm creditur à Deo illa infligi ob hominum peccata. *Quartò*, dūm urget præceptum annuæ confessionis, & non est copia Confessarii. *Demùm*, quoties in mortali existsens, tenetur celebrare, administrare aliquod Sacramentum, & unum ex 5. vivorum recipere.

DUBIUM III.

*Quid sit Confessio Sacramentalis , quo jure obliget,
& qualis esse oporteat?*

832 **P**RIMA concl. *Confessio Sacramentalis est , Accusatio legitima priorum peccatorum , facta coram Sacerdote , ad eorum veniam virtute Clavium impetrandum.* Sic communiter Theologi ex doctrina D. Th. q. 9. supp. a. I. & Catech. Rom. Dicitur *accusatio* , quia fieri debet animo accusatoriō, ut nos reos exhibeamus, non históricos. *Legitima* , id est , cum conditionibus infra recensendis. Dicitur *propriorum* , &c. hæc enim , & sola sunt materia confessionis. Ly *coram Sacerdote* , exprimit proprium hujus Sacramenti Ministrum , solis enim Sacerdotibus dixit Christus, *Quorum remiseritis* , &c. Indicat etiam præsentiam Sacerdotis , Confessio enim Sacerdoti absenti facta per litteras, aut internuntium, est nulla , ut diffinivit Clem. VIII. Reliqua verba significant *finem*, & *effectum* hujus Sacramenti.

833 Secunda concl. *Confessio omnium peccatorum mortaliū post Baptismum commissorum , obligat jure divinō.* Est difinita in pluribus CC. ut Carthag. III. Laodiceno, Cabil. II. Later. IV. Constanciens. Florent. & tandem in Trid. sess. 14. can. 7. his verbis : *Si quis dixerit , in Sacramento Pœnitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divinō , confiteri omnia , & singula peccata mortalia , &c. anathema sit.* Constat insuper ex illo Joan. 20. *Quorum remiseritis* , &c. Ex quo universa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integrām peccatorum confessionem , & omnibus post Baptismum lapsis necessariam , ut ait Trid. ubi sup. cap. 5. Accedit communis PP. consensus quorum testimonia sole clariora videvis apud Bellarm. lib. 3. de pœnit. c. 5. aliosque Controversistas. Sufficiat antiquissimum Originem audire hom. 2. in Psal. 117. ubi luculenter agens de confessione auriculari,

do-

docet, inter alia, peccatori quærendum diligenterius esse medicum cui (inquit) debeat confiteri peccatum suum, cui debeat causam languoris exponere. Profecto adeò perennis ac vetusta praxis locupletissimum præbet testimonium divini præcepti; & blasphema Hæreticorum obstruit ora, effuentium, præceptam non fuisse confessionem auricularem ante Conc. Later. IV. an. 1415.

834 Tertia concl. Confessio potissimum debet esse vera, secreta, dolorosa, & integra. Dixi potissimum, quia ultra quatuor has qualitates, 12. continentur vulgatis illis versibus, quos ex Magistris affert, & probat D. Th. hic q. 9. a. 4. nempè,

*Sit simplex, humiliis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.*

Notat autem S. D. ex his conditionibus, duas esse de benè esse confessiones, nempè, quod sit *frequens*, & quod sit *accelerata*, id est, quod statim fiat: reliquas vero esse de necessitate illius, quasdam quidem, quatenus confessio est actus virtutis, quasdam vero, prout est pars Sacramenti.

835 Circa confessionis integratem, fide certum est, tencri pœnitentem, per se loquendo, confiteri omnia, & singula mortalia, quæ post diligens examen memoriæ ejus occurunt, nec adhuc clavibus subjecta fuerunt, seu in prioribus confessionibus declarata. Sic enim definitum est in CC. Later. Florent. & Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. Et patet ex natura hujus Sacramenti, quod institutum est per modum judicii, in quo, ad ferendam debitè sententiam, requiritur cognitio totius causæ. Certum præt. est, integratam materialem non semper esse necessariam; excusant enim ab illa, *tum* invincibilis ignorantia, vel oblivio: *tum* impotentia physica, ut si pœnitens amissâ loquelâ, vel in phrenesim versus, nequeat confessionem perficere, tunc enim uno peccato auditô, absolvendus est: *tum* impotencia moralis, ut si pœnitens ob suum, vel Confessarii, vel alicujus tertii grave damnum, vel ob sigilli fractionem,

non

non possit distinctè omnia peccata confiteri : Lex enim Christi obligat ad integratem rationi consentaneam, qualis non foret tunc materialis. Si tamen declaratio complicis necessaria sit ad manifestandam speciem peccati , declarandus est, quando ignotus est Confessario, immo & si notus sit, si non adsit alius , nec aliud, præter infamationem , immeiat inde complici grave damnum , ut docet D. Th. communiter receptus.

836 Cont. 2. concl. opponunt Hæretici , Nectarium Patriarcham Constantinop. Chrysoftomi immediatum prædecesorem , abrogasse usum confessionis in sua Ecclesia, ut testantur Socrates & Zozomenus , ejusque exemplō, idem fecisse alios Orientales Episcopos , ut refert Nicephorus, lib. 12. c. 28. quod utique non fecissent , si jure divinō præceptus fuisset. R. Nectarium neutquam abrogasse confessionem *secretam*, & auricularem , sed *publicam* ; idque occasione scandali inde orti ex declaratione complicis. Et de eadem intelligendus est Chrysoft. cum videtur improbare confessionem homini factam. Vel agit de quotidiana, foli Deo per examen conscientiæ & actum contritionis facta, ad quam ut valde utilem fideles hortatur ; non tamen excludit Sacerdoti factam , quam infinitis locis Vir divinus immensum commendat. Nec illam abrogatam unquam fuisse in Ecclesia Orientali , liquet ex pervetustis ejusdem Ritualibus , quos Joan. Morinus publici juris fecit. Circa confessionis qualitatem , sequentia dubia examinanda restant.

DUBIUM IV.

An, & qualiter dari possit Sacramentum Pœnitentia validum , & informe?

837 **C**oncl. quoad 1. est affirm. expressa D. Th. q. 9. suppl. a. 1. ex 4. d. 17. q. 3. a. 4. qq. 1. & com. Thomist. quibus adhærent celebriores Societ. DD. ut Henr.

riquez, Toletus, Valentia, Suarez, Lugo, aliique plurimi cont. Adrian. Gabriel. Maj. Veg. Vazquez, Coninch, Amicum, Moya, quibus novissimè subscribunt Platel. Marin, & Hennus. Prob. autem, *tum*, quia cùm effectus sit extra essentiam suæ causæ, potest interdùm non causari, ob aliquam subjecti indispositionem, ut patet in igne non semper producente de facto calorem, ob indispositionem subjecti: ergo potest Sacramentum Pœnitentiæ esse validum, seu essentialiter integrum, & non producere gratiam, ob aliquam pœnitentis indispositionem. *Tum.* Quia si idem esset confessio valida, & dans gratiam, quoties tenuem dumtaxat conjecturam quis haberet de receptione gratiæ, eandem solum habet de validitate confessionis; atque adeò repetenda toties foret confessio; ac proinde Sacramentum, quod placandis conscientiis institutum est, illas potius anxietate turbaret: non secùs ac præceptum jejunandi, v. g. si istud adimpleri non posset nisi ab existente in gratia.

838 Secunda concl. *Nequit Sacramentum Pœnitentiæ esse validum & informe defectu examinis, aut confessionis, aut absolutionis.* Prob. 1. p. cont, Ledes. Nuñum, aliosque; vel enim pœnitens bonâ fide & inculpabiliter credit se sufficienter examinatum, vel non: Si primum; confessio erit valida simul & formata, cùm nullus obex ponatur effectui Sacramenti, & peccata omissa, siquæ sint, indirectè absolvatur, sicut (juxta Trident. cap. 5.) invincibiliter oblita. Si secundum; non erit valida, cùm non sit formaliter integra, utpotè non ex potentia physica aut morali, sed ex vincibili & culpabili ignorantia omittit peccata. Et hinc patet 2. p. Si enim omittitur peccatum ex justa causa, confessio est formaliter integra, adeòque sufficiens ad fructum. Si secùs, neutquam est integra, ac proinde insufficiens ad essentiam Sacramenti. Tertia demùm p. constat: Vel enim jurisdictionem habet absolvens cum intentione, vel non: Si habet, nihil obest quominus verè absolvat, adeòque peccata remittat. Si non, nihil efficit, adeòque nec Sacramentum, nec effectum.

Ter-

839 Tertia concl. Dari potest Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe ex defectu attritionis perfectæ, efficaciter excludentis omnem effectum peccandi cum spe venia. Sic aper-
tè colligitur ex D. Th. ubi suprà, & tenent Joann. à S. Th. Illust. Marinis, aliique. Et meritò: Quia attritio superna-
turalis disponit ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ im-
petrandam, si voluntatem peccandi excludat cum spe venia,
ut ait Trident. sess. 14. cap. 4. ergo supponit dari posse at-
tritionem supernaturalem sine his conditionibus, seu adeò
imperfectam, quòd peccandi voluntatem non omnino
excludat, aut sine vera spe venia; alioquin incongruentissi-
mè illam conditionem apponeret: ergo accedens cum
hac attritione imperfecta, verum validumque, sed infructuoso
suscepit Sacramentum; infructuoso quidem, ob
defectum talium conditionum; validum tamen, quia vera
attritio supernaturalis tam ex motivo, quam ex ordine ad
Claves Ecclesiæ, sufficit ad integrandum essentialiter Sa-
cramentum.

840 In quorum conf. valde notandum est, quòd Con-
cilium loquens cap. 4. de attritione, quatenus est dispositio
ad impetrandum effectum Sacramenti, expressit memoratas
duas illas conditiones, quas non expressit cap. 3. dum de
eadem attritione loqueretur, prout est pars Sacramenti.
Potest igitur attritio esse pars Sacramenti & illud validum
constituere, sine illis conditionibus ad fructum exactis, mo-
dò hunc defectum invincibiliter ignoret confitens: si enim
ignorantia sit culpabilis, denuò peccaret, adeòque nullum
esset Sacramentum, cum de illo non pœnitéret. Unde ad-
mittendum non est Sacramentum Pœnitentiæ validum, si
confessio sit sacrilega: Quidquid Mart. de Prado, aliique
dicant.

841 Nec etiam admittimus Sacramentum Pœnitentiæ
validum & informe ex defectu attritionis extensivò ad
peccata invincibiliter oblita, dum quis dolet de confessis
ex speciali horum deformitate: Si enim attritio sit perfe-
cta, seu peccandi voluntatem efficaciter excludat cum spe
venia; extenditur virtualiter ad peccata invincibiliter obli-

ta,

ta , seu post diligens examen non occurrentia ; talis enim attritio , tametsi fortè ex speciali confessi peccati turpitudine excitetur ; est nihilominus dolor de peccato prout omnia comprehendit , sicut fert propositum de peccato visitando prout omnia comprehendit , quantumvis excitativum hujusmodi propositi , sit specialis illius peccati turpitudo : Et oppositum afferere , videtur doctrinam Tridentini c. 4 . & 5 . limitare ; atque adeò , qui Sacramentum validum informe ad hunc casum arctant (ut Labat , Gonet , aliique ,) illud absolute negant .

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

842 Quamvis ex dietis solutum maneat præcipuum fundamentum negantium possibilitatem Sacramenti Pœnitentiæ validi & informis ex defectu attritionis ; illud nihilominus sic oppones : Eadem attritio , quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ , est etiam dispositio ad effectum illius : ergo nunquam stat , hoc Sacramentum esse validum , quin sit formatum . Prob. ant. 1 . quia Trid. less. 14 . cap. 3 . & 4 . non distinguit in attritione rationem partis , & rationem dispositionis . Secundò , quia ut attritio sit materia hujus Sacramenti , debet esse talis , quod super illam verificetur forma ; sed hæc verificari non potest super attritionem quæ non sit dispositio ad gratiam , quia remotâ dispositione ad gratiam , verificari nequit , quod pœnitens absolvatur : ergo . Tandem , quia ut attritio sit materia Sacramenti , debet esse supernaturalis ex motivo , & ex ordine ad Claves ; sed nihil amplius requiritur ut sit dispositio ad gratiam : ergo .

843 R. N. ant. attritio enim quæ est dispositio , & quæ est pars Sacramenti , coincidunt in hoc Sacramento inadæquatè , non adæquatè & mutuò ; non secùs ac homo & animal : quia si est dispositio sufficiens , etiam est pars Sacramenti ; sed non convertitur , potest enim esse pars Sacramenti , & non esse sufficiens dispositio ad gratiam , ex defectu invincibili earum conditionum , quas requirit Concilium ad dispositionem , & non exprimit requiri ad materiam , ut suprà diximus . Et per hæc patet ad 1 . prob. ant.

in attritione enim ut disponente ad gratiam, requirit Conc. cap. 4. quod excludat voluntatem peccandi cum spe veniae: quas conditiones non explicat dum ait, illam esse partem, seu materiam Sacramenti. *Ad 2. prob. N. min.* nam juxta D.Th. 3.p. q.84. a.3. ad 5. sensus formæ est, *Sacramentum absolutionis impendo*, quod etiam verificatur, dum effectus impeditur ex parte recipientis, ut patet in forma Baptismi informis, in quo aperte instatur argumentum. *Ad ult. N.* etiam min. quia ulterius desideratur, juxta C. voluntas efficiax excludendi peccatum cum spe veniae.

844 Opp. 2. cont. id quod num. 820. diximus cont. M. Prado, aliosque Thomistas, nimirum, dari non posse Sacramentum validum & informe, si confessio sit sacrilega. Nam D.Th. loco laudato ex suppl. seu in 4.d. 17. q.3. a.4. qq.1. illud videtur admittere, ait enim, quod qui *non contritus*, seu *fictus* accedit, *tenetur postmodum fictionem suam confiteri*; sed fictio quæ est materia necessaria Sacramenti posteà suscipiendi, est peccatum mortale, ut docet ibidem q.3. a.1. qq.1. ergo. *Argumentum* hoc ab ipsis opponentibus solvendum est: Nam S. D. duo aperte docet, nempè, & quod ablatâ fictione (utique per contritionem, vel per attritionem perfectam) percipiet fictus ille fructum, sicut in aliis Sacramentis: Et quod tenebitur postmodum fictionem confiteri. Vel ergo fictio illa sacrilega remittetur ei, ablatâ fictione, vel non: Hoc secundum est impossibile, unum enim peccatum mortale remitti non potest sine alio. Si primum: ad quid ergo obligatio illa fictionem confitendi? peccatum enim semel remissum virtute præteriti Sacramenti, jam esse non potest materia necessaria alterius.

845 R. ergo, quod quamvis fictio illa, seu perfectæ attritionis defectus (in se utique & materialiter lethalis) non fuerit fictio voluntaria, adeoque neque imputabilis, ob invincibilem ignorantiam; istâ tamen ablatâ, tenetur pœnitens, juxta D. Th. illam confiteri & clavibus subjicere saltē per accidens, nimirum, vel ut ipsius status plenè Confessario innotescat: vel ut propriæ conscientiæ transqui-

quilitati consulat: qui enim quidvis graviter legi dissonum cum invincibili ignorantia agit, quantumvis hujusmodi ignorantiæ si postmodum certus, vix nihilominus pacabitur, nisi illud confiteatur.

846 Ex dictis colliges, quod dum S.D. in 4.d.25. q.1. a.1. qq.2. ait, *contritionem esse de essentia Sacramenti pœnitentia*, loquitur de contritione ut est pars Sacramenti, non ut est dispositio ad ejus effectum: *Dum autem dist. 17. nostram firmans conclusionem, dicit, quod potest esse confessio (ut pars Sacramenti) in eo qui non est contritus*, loquitur de contritione prout est dispositio cum omnibus conditionibus requisitis ad justificationem: unde nulla est contradictione, quidquid Vazquez aliisque auctument, sed omnia constant, & laudata Trid. Doctrina ex ipso S. D. desumpta videtur. Et hinc ulterius colliges, loqui ibi S. D. de confessione, in qua verum, sed informe recipitur pœnitentiæ Sacramentum: Adeoque opus non esse expositione illa tertiam, quam ex Palud. affert S. Antonin. 3.p. tit. 14. §.5. & quam novissime mordicūs tuetur Nat. Alex. lib. 2. cap. 5. a. 7. Reg. 18. & quam Platel. aliique adhibent, nē sibi ipsi (ut dicunt) contradicere videatur S. D.

847 Appositè autem non *de Sacramento*, sed *de confessione* inquirit & resolvit S.D. quia illud, eti fructu careat, non strictè dicitur *informe*, cùm propriè formatum supponatur absolutione: Confessio autem propriè dicitur *informis*, dum caret attritione perfectâ, & charitate inde in Sacramento secutâ, & quâ nata est perfici. Proprius igitur loquutus est D. Th. quām ejus Discipuli; nec tamen iliti impropriè de Sacramento inquirunt, quia istud propriè (et si non omnino strictè) dici valet *informe*, dum fructu caret; quia tunc caret motione virtuosâ, quâ veluti formâ elevatur Sacramentum Novae Legis ad causandam physicè instrumentaliter gratiam. Nota in fine, quod si in instanti terminativo extrinseco absolutionis (in quo, juxta dicta supra, Sacramentum pœnitentiæ causat gratiam) labetur pœnitens in mortale; daretur proculdubio Sacramentum validum & infructuosum, quidquid alii dicant. Sed

casus est moraliter impossibilis ; adeòque nihil inde ad te-
dandas conscientias , pro quo à D. Th. & Theologis astrui-
tur Sacramentum validum , & infructuosum .

DUBIUM V.

*Utrum ad integratatem Confessionis , necessarium sit ,
per se loquendo , declarare circumstantias nota-
bileriter aggravantes intra eandem
speciem ?*

848

Concl. est neg. expressa D. Th. ut videbimus ,
adeòque ab omnibus Thomistis omnino
amplectenda. Nam, præter S.D. apertè propugnant B. Alb.
M. D. Bonav. imò Dur. & Scotus aliquique Scholæ Proceres,
quibus ex Thomistis subscribunt D. Antonin. Turrecrem.
Sylvester , Viguerius , Tabiena , Bart. Fumus , Zaanardus ,
& (præter plures alios nostrates , & extrates) duo illi Sa-
pientissimi , ac Venerabiles Professores Valentini , Familiæ ,
& domus nostræ columna , Hieronymus Cucalonius , &
Marcellus Marona , in M.S. cont. Alens. Ricard. Maj. Marfil.
Cajet. Victoriam , Canum , utrumque Sotum , J. à S. Th. plu-
reque alios Thomistas , & extraneos ; quorum aliqui D.
Thomam in sui partes trahere frustrà nituntur , alii verò fa-
tentur , illum pro nobis stare ; quia tamen aliter facturum
augurantur , si hucusque in Summa prevenislet ; ab illo
recedere non dubitant , imò (quod plus mirandum) trepi-
dantes nonnulli ubi non est timor , sententiam nostram pra-
cticè improbabilem pronuntiant , si Superis placet .

849 Prob. i. concl. auth. D. Th. qui illam probabilio-
rem vocat , & prout talem amplectitur in 4. d. 16. q. 3. a. 2.
qq. 5. Dicendum (inquit) quòd omnes circumstantias confiteri ,
est impossibile ; quasdam autem confiteri , est necessitatis . Sed
in hoc est differentia opinionis : Quidam enim dicunt , quòd om-
nes circumstantiae , qua aliquam notabilem quantitatem peccato
addunt , confiteri necessitatis est , si memoria occurrant : Alii
ve-

vero dicunt, quod non sunt de oecessitate confitenda, nisi circumstantiae, quae ad aliud genus peccati trahunt: & hoc PROBABILITYS EST. Sed addendum est, quae ad aliam speciem mortalis trahunt, cuius ratio est, quod venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quae quantitatem infinitam quodammodo habent: Unde circumstantiae aggravantes, quae aliam speciem peccato non tribuunt, vel quae tribuunt quidem, sed non mortalis peccati; non sunt de necessitate confessionis: Tamen easdem confiteri, perfectionis est, sicut & de venialibus dictum est. Quia scilicet, hujusmodi circumstantiae, quantumvis notabiliter aggravent, venialibus equivalent, ut ait ad 1.

850 Eadem repetit ibidem ad 3. & in 4. ad Anib. eadem d. 16. q.un. a.3. dicens: Circumstantia, quae novam rationem peccati mortalis addit, de necessitate est confitenda, alia autem non. Et ad 5. ait: Si talis circumstantia non trahit in aliud genus mortalis, non est confitenda. Et tandem opusc. 13. ad Lectorem Bisuntivum (quod legitimum Sancti D. foetum omnes agnoscunt, & planè demonstrat Echard. tom. I. pag. 334.) ibi, inquam, q. seu a. 6. sic ait: Circumstantias verò aggravantes, quae in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, sicut neque venialia; licet sit laudabile, quod homo ea confiteatur. Et infrà: Sic igitur hujusmodi circumstantias aggravantes, quae non trahunt in aliud genus peccati, non credo, quod aliquis teneatur confiteri. Quid amplius? quid apertius? quid inculcatius? Profectò si hæc non truncatim, ut par est, à quibusdam allegarentur, nullus tergiversandi remaneret aditus: Luce quippè meridianâ clarus apparet, S. D. & in propria sententia, & de omni omnino circumstantiâ ad aliud mortalis peccati speciem non trahente, locutum esse, quantumvis eas peccatis venialibus aequivalere dixerit quoad necessitatem confitendi. De circumstantiis autem leviter, seu non mortaliter aggravantibus, nullus sanæ mentis dubitavit unquam, an sint necessariò confitendæ. Non ergo de his, sed de illis procedebat quæstio.

851 Prob. deinde concl. ex Trident. sess. 14. cap. 5. ubi postquam definit necessitatem confitendi omnia peccata mor-

mortalia, omnesque circumstantias speciem peccati mutant-
tes, nihil de notabiliter aggravantibus exprimit. Imò sub-
dit: *Constat, nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi.* Ratio
autem à Conc. adducta pro explicandis circumstantiis spe-
ciam mutantibus, neutiquam nobis adversatur: Semel enim
confensis mortalibus quoad omnem speciem, & numerum;
exponitur omnis ratio specifica, & individualis, ad eorum
substantiam spectans: ergo integrè exponuntur, atque Ju-
dicibus innotescunt, ut de illorum gravitate rectè judicent,
quantumvis accidentale gravitatis augmentum non expri-
matur: Salvatur igitur optimè ratio Concilii, solum expres-
sis circumstantiis speciem mortalis mutantibus, non expres-
sis aggravantibus: sicut salvatur (juxta plures ex contrariis)
non expressis notabiliter minuentibus. Et hinc habetur
ratio fund. Nec enim induci debet obligatio adeò onerosa,
& difficilis, sine sufficienti fundamento, quale hic non ha-
betur, institutionis divinæ, & declarationis Ecclesiæ.

852 Nè autem sententia nostra, quam D. Th. proba-
biliorem, & D. Bonav. communiores pronuntiarunt, libe-
rior, aut laxior quibusdam videatur; audiendus est Sapien-
tiss. Syl. verbô *Confessio*, q. 9. sic de opposita Altisiodo-
rensis opinione judicans: *Non est vera regulariter, sed in ca-
su... scilicet, quando tales sunt (circumstantiae) quod eis non
scitis, Sacerdos scire non potest, quid sit acturus: vel ratione
jurisdictionis... vel damni dati... unde in talibus, dico idem
de ista circumstantia, sicut de peccatis jam confessis in recidi-
vante: quia tenetur quis eam dicere indirecte, inquantum sine
ea aliquando non potest bene sciri debitus satisfactionis modus,*
&c. Hæc ille, & quidem conformiter ad ea, quæ tradit D.
Th. in 4.d.22. q.1.a.4. circa finem corp. dicens, *quod in con-
fessione est aliquid exponendum dupliciter: Unò modò directe,
& sic exponi dicitur, cuius abolitio per confessionem queritur...
Aliò modò indirecte, sicut illud sine quo sciri non potest debitus
satisfaciendi modus.* Et hinc resolvit, recidivantem non te-
neri directe confiteri peccata dimissa, sed solum indirecte.
Qualiter nos dicimus, teneri quandoque pœnitentem cir-
cumstantias merè aggravantes confiteri, non tamen semper,
quid-

quidquid Mag. Pradus dicat: Recidivans autem semper tenetur consuetudinem confiteri, saltē interrogatus, ut Cōfessarius possit salutarem præservativam satisfactionem injungere, juxta mentem D. Th. Et hinc omnia ferè oppositæ sententiæ argumenta ruunt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

853 Opp. 1. Pœnitens debet peccatum suum Sacerdoti confiteri, ut ab eo modum satisfactionis accipiat; sed pro graviori peccato major injungitur satisfactio: ergo debet Sacerdoti circumstantias notificare, quibus qualitas peccati eonsideratur. En præcipuum Adversariorum argumentum, quod sibi in terminis objicit D. Th. locô laudatô ex sent. Cui sic occurrit. *Ad 2. dicendum, quòd determinata quantitas peccati* (qualis est illa v.g. quæ accrescit ex gradibus intensionis, quæ valde aggravare potest intra eandem speciem peccati) *non potest Sacerdoti innotescere, quia nec ipse peccator scit: Unde sufficit, quòd agnoscat quantitatem, quæ ex specie peccati consurgit.* Hinc videoas, Concil. Trid. ubi suprà respexisse, & suspexisse, pro more, D.Th. doctrinam: Quod enim S. D. dixit, sufficit; amplius expressit Concilium, dum dixit: *Nihil aliud exigiur: Omnipotenter gratis J. à S.Th. Gonetus, aliquique, extendere conantur rationem Concilii, ut comprehendat circumstantias aggravantes, cont. communiorem D. Th. sent.* quam si rejicere intendissent PP. uno verbo poterant, nec fecerunt, ut vel opposentes fatentur.

854 Igitur, juxta mentem Tridentini, & D. Th. ad rectum judicium Confessoris, requiritur, & sufficit, quòd ei innotescat numerus, & gravitas specifica, & essentialis peccati, qualis non est, sed merè *accidentalis*, quam afferunt circumstantiæ non mutantcs peccati speciem, quantumvis aggravantes; quia istæ sunt strictè circumstantiæ, & accidentia peccati, cuius proinde quantitatem nunquam possunt in infinitum augere; neque ex se, sed ex suppositione præcedentis deformitatis, habere possunt rationem majoris malitiæ: nec enim esset malum, accipere aliquid in magna quantitate, nisi esset alienum, adeoque magna quantitas, non repugnat rationi, nisi ex suppositione acceptiois rei alie-

alienæ, hoc enim est quod dat speciem furto, ut optimè ex D.Th. expendit Sylv. verbô *Circumstantia N.2.*

855 Quamvis igitur non explicatis hujusmodi circumstantiis, nequeat Confessarius judicare de gravitate *accidentali* peccati intra eandem speciem, quantumvis propter illam gravius ac periculosis saucietur animus: noluit tamen Christus (ut ex Concilio colligimus) ad illarum aperitionem nos adstringere: Vel ob moralem hujus impossibilitatem, nam licet una, vel altera possit explicari; aliæ fere omnes, difficillimè; lex autem universalis ad id quod frequentius contingit, attendit: Vel ob multò minorem necessitatem notitiæ earum, ad variandum Confessarii judicium circa pœnitentiam, seu *satisfactoriam*, seu *medicinalem*, & præservativam, injungendam.

856 Opp. 2. & simul initabis cont. solut. nam Catechismus Rom. (optimus utique Tridentini interpres, utpotè concinnatus ejusdem jussu à tribus illis Dominicanis, qui eidem interfuerunt, illustrissimis Aegidiô Fuscariô, Leonardô Marinô, & Sapientissimô Franciscô Forerio) cap. 5. p. 2. n. 42. ait: *Neque verò solùm peccata gravia explicare oportet, verùm etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valdè augent, vel minuunt.* Et appositorum exemplo de circumstantiis speciem peccati mutantibus, subdit: *Furtum etiam in peccatis numerandum est: verùm si quis aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quam is qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam aurum, præsertim verò, qui sacram pecuniam abstulit: ergo.* R. hoc argum. à ferè omnibus ex opponentibus esse solendum, cum eodem modō loquatur de *circumstantiis agravantibus*, ac de *minuentibus*, quas tamen nullus, per se loquendo, tenetur confiteri secundum omnes Doctores, ut loquitur Sylv. ubi suprà, nisi totaliter tollant malitiam mortalem. *Dicendum* igitur est, quod cum sèpè per accidens confiteri debeant (si nihil obstet) & valdè laudabile sit, eas confiteri; nihil mirum, ita admoneri à Catechismo, ad Parochos composito in communem fidelium instructionem, quibus salubriora consulenda sunt.

859. Opp. 3. quod ex nostra sent. plura sequi videntur absurdia: Primum, quod incestuosus non teneretur aperire circumstantiam affinitatis, aut consanguinitatis, primi aut secundi gradus; cum omnes incestus sint ejusdem speciei infimae juxta Cajet. alioisque. Secundum, foventem odium, vindictam, turpe desiderium, per menses aut annos, non teneri hujusmodi durationis circumstantiam declarare. Tertium, occidentem hominem nimis crudeliter, ut lentum igne adurendo, aut eviscerando, satisfacere dicendo, *homicidium commisi*. Quartum, uno jactu plures occidentem, aut infamantem, aut pluribus furantem, non teneri id exprimere. Quintum, neminem exprimere debere peccatum operis, seu actum externum, cum non variet speciem interioris, seu peccati cordis. Sextum, conjugatum cum conjugata congressum, satis peccatum suum exprimere, dicendo, *commisi adulterium*. Tandem, ut alia omissimus, furatum mille aureos satisfacere dicendo, *commisi fartum grave*: Quae omnia nimis absurdia sunt, & communis fidelium praxi contraria: ergo.

860. Miror valde, haec & similia objici potuisse contraferre communem, & apertam D. Th. sententiam, à Viris alioquin doctis, & tanti Doctoris Discipulis; sed amplius miror, nonnullos Casuistas haec omnia deglutire; Cum in ferre omnibus objectis, si ultimum excipias, supponatur, aut assumatur falsum; quippe in illis, aut peccati mutatur species, aut numerus evidentissime augetur; adeoque nullus catholicorum ambigere potest, quin sint necessariò per se aperienda. Ad 1. igitur N. seq. Nec enim opinio illa Cajet. nobis probatur; nec illam insinuat D. Th. 2. 2. q. 154. a. 9. ad 2. Imò oppositum aperte indicat ibidem ad 3. Omnes igitur incestus, sunt quidem ejusdem speciei *interiectæ luxuriæ*, non tamen *infimæ*, ob diversum oppositionis modum cum virtute pietatis. Datò autem oppositò, adhuc necessariò per accidens aperiendus esset gradus, *tum*, ob frequentem reservationem in primo, & secundo gradu; *tum*, ut Confessario innotescat vitanda occasio, quæ oriri solet secundum conjunctionis gradus.

861 Ad 2. N. pariter seq. Cùm enim ferè impossibile sit, eundem numerò actum tantō tempore, imò per diem integrum, durare; multiplicentur numerò necessitè est peccata; adeòque & *duratio* necessariò indirectè declaranda est, ut peccatorum numerus (necessariò aperiendus) faciliùs innotescat, cùm difficile valdè sit, sigillatim exprimere interruptiones, quibus multiplicantur peccata. *Quòd si certus esset de numero, neutiquam teneretur durationem actus explicare.* Ad 3. N. etiam sequel. illæ quippè circumstantiæ addunt homicidio novam *sævitiae*, & *feritatis* speciem. Videatur D.Th. 2.2. q.159. a.1. & 2. Ad 4.N. ant. Tunc enim multiplicantur numerò malitiæ in consideratione morali, ob diversos respectus ad plura objecta numerò distincta, adæquata, & completa, licet non physicè, ut docent Tapia, Salmant. & alii. *Datò autem oppositò, adhuc explicandus est numerus personarum.* *Tum, quia in 1. & 2. casu, possunt esse diversi status & qualitatis, diversitatem specificam derivantis.* *Tum, quia in omnibus, distinctum remedium, restitutionem, & satisfactionem exigit damnificatio unius, quam alterius; quod, non pœnitentis, sed Confessarii arbitriò est determinandum;* adeòque huic debet necessariò (saltem indirectè) innotescere.

862 Ad 5. N. ant. & prob. licet enim speciem non variet, illam tamen complet & consummat, juxta dicta t.2. N.414. & 852. Ad 6. N. ant. juxta comm. sententiam; cuius oppositum expungi jussum fuit Romæ in Codice Eman. Sà, teste Dianâ. Et merito; est enim ibi duplex in justitia numerò moraliter distincta, sicut est duplex sacrilegium, si uterque castitatis votò sit adstrictus. *Ad ult. Dist. ant. per se loquendo, C. per accidens, N. talis enim circumstantia sàpè confitenda est, ob reservationem, & censuram, quæ imponi solet furto notabilis quantitatis: & quoties Confessarius, eà incognitâ, scire non potest quid sic facturus circa debitum restitutionis modum præscribendum.* Quòd si restitutio jam esset facta, & nulla esset reservatio, aut censura; non foret necessariò confitenda.

863 Futile autem est, & mille patiens instantias, quod

de æquivalentia talis furti ad plura minora , objici solet: Quia in his, multiplicatur numerus peccatorum , necessario explicandus ex præcepto Christi, juxta Ecclesiæ diffinitionem ; secùs in illo. Falsum est præterea id , quod sæpè inculcatur , nempè , illud unum furtum gravius esse omnibus quibus æquivalet ; quippè in *gravitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis perversæ, quam effectus operis* , ut ait D.Th. 2.2. q.13.a.3.ad 1. & 1. 2. q. 73. a. 3. & 8. plura igitur illa furta, cùm sint totidem perversæ voluntates, graviora inde sunt , quam illud magnum , illis æquivalens. Imò gravius interdum delinquitur in minori furto , modò sit mortale , quam in magno , ob eandem rationem. Vide t.2. à N.887.

DUBIUM VI.

*Utrum moribundus , sensibus destitutus , possit
Sacramentaliter absolvī?*

864 **C**oncl. est affirmativa , modò per testem constet , illum ante Sacerdotis adventum , deisse signa pœnitentiæ ; secùs , si secùs , nè sub conditione quidem , quantumvis constet , quòd piè vixerit. Prima pars est frequentior inter Thomistas , & extraneos cont. Sotum , Canum , aliosque , ut videre est apud M. Pradum in præfenti dub.2.§.2. colligitur ex Aug. lib. de adulterinis conj. cap. 28. Traditur exprefsè à S.Leone Mag. ep.91. ubi , non solum loquitur de reconciliatione cærimoniali , sed etiam Sacramentali , ut ostendit ex contextu laudatus Pradus. Docetur etiam in Con. Arauf.I. can. 2. ubi dicitur : *Subito obmutescens . . . baptizari , aut pœnitentiam accipere potest , si voluntatis præterita testimonium , aliorum verbis habeat , &c.* Et eadē habent CC. Cartag.III.can.34.& IV.can.67. Tandem Rituale Rom. Pauli V. loquens de moribundo , ait : *Si confitendi desideriū , sive per se , sive per alios ostenderit , absolvendus est.* Consultò omittimus testimonium adduci solitum ex opusc.

opusc. 65. vulgatō nomine D. Th. quia certum est, non esse
S.Doctoris, sed *proculdubio vulgaris cuiuspiam Curati fatus*,
ut ait Barbavarius apud Echard. t. 2. de Scrip. Ord. Praed.
pag. 341. col. 2.

865 Secunda verò pars est com. cont. Tamb. Caram.
Theoph. Raynau. aliosque, quibus novissimè adhærent
La Croix, Hennus, Viva, & noster Madalena. Prob. autem,
tum ex decretis CC. & Rituali modò laudatis, expressè re-
quirentibus, ut moribundus possit absolvī, quòd per se, vel
per alios signa pœnitentiae dederit ... Non ergo expedit (conclu-
dit rectè inde Lugo) in re tanti momenti, sub pietatis specie,
sapere plusquam omnes nostri sancti PP. sapuerunt, sed obser-
vare terminos, quos apposuerunt nobis. Profectò tam altum
apud veteres omnes oppositæ praxis silentium, in re tanti
momenti, circa casum frequentissimum, non jam argu-
mentum negativum reputari debet, sed prorsùs invictum,
quòd illam improbaverint, nisi velimus, nimis crudeles
ipsoſ fuisse, aut saltē voluisse nos esse, praxim adeò uti-
lem, & benignam nobis occultando, quòd nefas est suspici-
ari. *Tum, quia certum est, & ut tale supponitur, nullam*
tunc fieri confessionem sacramentalem verbalem, per nu-
tus, aut testes; sacrilegum autem est proferre formam (ad-
huc sub conditione) super materiam certò nullam, ut pa-
tet in aliis Sacramentis: ergo. *Vita autem piè anteacta, neu-*
tiquam est moribundo actualis sui accusatio, ad absolutio-
nem ordinata, qualis essentialiter requiritur, ut pars hujus
Sacramenti, ex Christi institutione.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

866 Opp. i. cont. i.p. concl. Tridentinum sess. 14. cap.
5. exigere distinctam peccatorum confessionem secundūm
speciem, & numerum: ergo. Præt. Petere confessionem,
non est fateri se peccasse: Nec signa pœnitentiae, sunt signa
confessionis, sed doloris: Nec aliquid aliud Confessario ma-
nifestant, quām, illa exhibentem, esse peccatorem, quod
jam anteà noverat Confessarius: ergo. Tandem: Clemens
VIII. damnavit confessionem factam absenti, qualis ad
summūm est petitio illa confessionis, vel doloris signum

coram aliis, qui de illis teftantur poftèà Sacerdoti. *Ad 1.* R. Conc. loqui extra casum necessitatis; in hoc autem ſufficit imperfēcta & confusa confessio, cum obligatione tamē diftinctè poftèà conſitendi, ſi detur facultas. *Ad 2.* N. ant. qui enim dicit, *cupio confiteri*, utique ſubaudit, peccata commissa. *Ad 3.* N. etiam ant. Cūm enim ſignum illud nihil conferat ad veram coram Deo contritionem, cenſetur illud exhibens, aliud velle, adeòque confessionem.

867 *Ad 4.* N. ant. per illa enim ſcīt Confessarius, iſpsum peccaffe, & quidem notitiā juridicā & sacramentali, ſeu ortā ex pœnitentis accusatione ordinatā ad absolutionem, quām anteà non habebat: Signa enim illa à moribundo edita, cenſetur ad sacramentalem absolutionem directa. Quod ſi dubitet Sacerdos, an orientur ex pœnitentia ſeu dolore de peccatis, aut potius ex mærore & anguſtia morbi, abſolvere debet ſub conditione. *Nec audiendi* ſunt Genettus, aliique, perperām improbantes generatim absolutionem conditionatam. *Ad ult.* R. tali decretō non comprehendit præſentem caſum, ut ſufficienter declaravit Paulus V. in ſuo laudato Rituali, imò & ipfem Clemens VIII. Cardinali Beilarmino, & Archiep. Armachano; cujus declarationis habetur authenticum teſtimoniū, ut afferunt Lugo, Coninch. Platelius, & quamplurimi alii.

868 *Opp. 2. cont. 2. p. Augus. I. 1. de adult. conjug. c. 28.* oppofitum non obſcurè docere. *Præt.* Ex eo quod talis homo piè vixerit, præſumitur habere implicitam voluntatem ſuſcipienti Viaticum, & Extremam-Untionem: ergo & Pœnitentiam. *Præt.* Subitō morbo oppreffos, contingit extrema doloris signa dare, licet id non fuerit animadverſum. *Tandem:* Fertur, Clementem VIII. abſolvisse quendam operarium è fabrica S. Petri ruentem: ergo. *Ad 1.* datō Augus. loqui de reconciliatione sacramentali, R. iſpum non excludere à periclitante signa aliqua externa defiderii obtinendæ absolutionis, ſed tantum verba, quibus illud exprimat. *Ad 2.* R. disp. eſſe, quod pœnitentiæ Sacramentum exigit pro materia & parte eſſentiali, confessionem ſenſibilem, quæ tunc non datur: ſecūs eſt de Eucha-

rictia, & Extrema-Unctione. Ad 3. R. sœpè etiam aliter contingere. Nec si contingat, sufficeret; quia dolor debet aliquò modò Sacerdoti innotescere. Ad ult. R. factum illud esse fabulosum, ut, re benè examinatâ, testatur Card. Lugo.

DUBIUM ULTIMUM.

De Confessionis sigillo, satisfactione, & effectu Pœnitentiæ.

869 **A**D tractatus complementum, plura hic obiter tradenda duximus. Igitur circa sigillum inquires: *Quid sit, quō jure obliget, unde oriatur, quosnam obstringat, & quānam illius materia?* Ad 1. R. esse strictissimam obligationem celandi ea, quæ in confessione sacramentali audita sunt, adeò, ut nunquàm liceat illud, nè indirectissimè quidem, verbô, signo, nutu, aut aliter, sub quolibet imaginabili prætextu violare: adeòque differt à sigillo naturali, quod potest, & debet quandoque revelari ad vitandum majus malum communitatis, aut tertii innocentis. Ad 2. R. obligare jure naturali, divinô possitivô, & Canonicô: Adeòque illius transgressio, infidelitatis, iniustitiæ, & sacrilegii malitiâ fædatur. Ad 3. R. sigilli obligationem oriri ex omni & sola confessione sacramentali, seu factâ animô se accusandi in foro pœnitentiæ, quamvis absolutio non sequatur nec audiens sit Sacerdos. Si autem fiat animô decipiendi, irridendi, aut tentandi confessarium, non teneretur iste sigillô, cùm talis confessio non sit sacramentalis.

870 Ad 4. R. sigilli obligationem extendi ad quoscumque peccata pœnitentis solâ confessionis viâ immediate aut mediatè agnoscentes; adeòque ligat interpres, inventores confessionem alicujus scriptam, & jam peractam, circunstantes confessionale, si casu, vel studiô peccata au diant: & audientes publicam instante naufragiô confel-

lionem. *Ad ult.* R. sub sigillo cadere omnia peccata mortalia etiam in genere, & venialia in specie, cùm omnibus circumstantiis, ac objectis, & quibuslibet aliis, seu pœnitentis, seu alterius quomodolibet infamativis: Adeòque non licet Confessario uti notitiâ ex sola confessione habitâ, nisi de expressa pœnitentis licentiâ: nec proinde Prælatis ad externam gubernationem, ut districtissimè prohibuit Clemens VIII. decretô editô die 26. Maii an. 1594. & confirmatô ab Urb. VIII. Const. 26. Si tamen notitia aliunde habeatur, possunt illâ uti, cautè tamen, ne fractionis sigilli oriatur suspicio, & confessio odiosa reddatur.

871 Nec laudatum decretum ullatenus adversatur D. Th. q. 11. Suppl. a. 1. ad 4. dûm ait, quod contradicens electioni illius quem ex confessione novit prælatione indignum, nec suspicionem de crimine facit, nec confessionem revelat; si nimirum ejus indignitas aliundè innotescat, ob defectum scientiæ, ætatis, & id genus; hæc enim doctrina adeò certa est, ut oppositum sit absurdum: quilibet enim elector potest, imò tenetur contradicere electioni indigni ex defectu notorio scientiæ, ætatis, vel hujusmodi; quantumvis aliàs ipsius indignitatem ob crimina, ex confessione noverit. Quæ utinam advertissent nonnulli Casuistæ: Nunquam enim D. Th. dixit, posse electorem contradicere electioni illius, quem ex solâ confessione novit indignum. Nota quod Sacerdos, qui ex confessione noverit paratas sibi infidias in nemore, aut vinum toxicatum ad Sacrum celebrandum, posset absque fractione sigilli aliò declinare, aut à celebrando abstinere, quidquid quidam hæreant. Quia si confessio fuit sacramentalis, voluit utique pœnitens Sacerdotem monere ut evaderet, adeòque facultatem tribuit utendi notitiâ illâ ad sic evadendum.

872 Circa satisfactionem sacramentalem (suppositis supra dictis à N. 789.) Inquires, quid sit, an necessariò injungenda, & acceptanda, & quanta, & qualis? Ad 1. R. esse actionem, per quam in Sacramento pœnitentia retribuimus Deo recompensationem aliquam pro peccato, juxta sententiam Iudicis. Sic enim diffinitur à Trid. sess. 14. cap. 8. Requi-

quirit autem satisfactio (sicut de merito dictum est tom. 3. à N. 543.) ex parte quidem satisfacientis, statum gratiæ, & viæ; ex parte operis , quòd sit liberum , bonum , & supernaturale , & insuper (quod non requirit meritorum) quòd fit laboriosum, & pœnale : demùm ex parte Dei, acceptationem, seu voluntatem remittendi reatum pœnæ temporalis intuitu talis operis. Inter opera autem satisfactoria , tria sunt potissima, nimirùm *oratio, jejunium, & eleemosyna*, quæ tres peccatorum radices maximè extirpant ; Oratio quidem (quâ nos , nostraque omnia Deo subjicimus) comprimit *superbiam* : Jejunium, *concupiscentiam carnis*: Eleemosyna demùm , *oculorum concupiscentiam*, seu avaritiam. Nomine *orationis* comprehenduntur omnia ad Dei cultum spectantia: nomine *jejunii* , cæteræ corporis afflictiones: nomine *eleemosynæ* , quælibet misericordiæ opera.

873 Ad 2. R. affirmativè, per se loquendo , & quidem sub mortali ; quia tam Confessor , quam pœnitens tenentur Sacramentum integrare : & aliàs Sacerdos deesset graviter officio Judicis , & Medici ; illius quippè est , latâ tentiâ pœnam infligere ; hujus autem , præscribere medicinam. Dixi *per se loquendo* , quia moribundo sensibus penè destituto imponi nequit , nec acceptare valet. Ad 3. R. cum Trident. sess. 14. cap. 8. quòd debent Sacerdotes, quantum spiritus, & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate , salutares , & convenientes satisfactiones injungere , nè , si fortè peccatis conniveant , & indulgentiùs cum peccatoribus agant , levissima quedam opera pro gravissimis delictis injungendo ; alienorum peccatorum participes efficiantur. Ea autem pœnitentia maximè injungenda est , quæ aptior videtur pœnitentis emendationi. Contrarias peccatis pœnitentias injungat (inquit Rituale Rom.) velut avaris eleemosynas ; libidinosis , jejunia , vel alias carnis afflictiones , superbis, humilitatis officia ; Rariùs autem , vel seriùs consitentibus , vel in peccata facile residentibus , utilissimum fuerit consulere , ut sèpè , puta , semel in mense , vel certis diebus solemnioribus consteantur , & si expeditat , communicent , Consultò dicitur consulere , non præcipere , nè fortè (ut talibus moris est) præcep-

ceptum transgrediantur.

874 Curet igitur maximè Sacerdos, ut satisfactio sit commensurata peccatori, peccato, & fini; non secùs ac medicina corporalis proportionari debet infirmo, infirmitati, & intentæ saluti, ut appositi monet Cajet. Perpendat igitur diligenter pœnitentis conditionem, ætatem, sexum, valetudinem, convictum, infirmitatem, &c. Et prudenter interdùm minuat pœnitentiam, quam *satisfactoriam*, aut *vindicativam* vocant, si nimirùm pœnitens exhibeat intensi doloris signa, aut si indulgentia est lucranda, aut timeat Sacerdos, quòd pœnitens pœnitentiam non adimpleat: Tunc enim locum habet Maxima illa D. Vicentii Ferrerii, Gerſionis, D. Caroli Borromei, D. Francisci Salesii, aliorum, scilicet: *Tutius est animam cum parva pœnitentia impleta mittere ad Purgatorium, quam cum magna non impleta, mittere in gehennam.* Cui consonat illud Cajet. in Summa, verbô *satisfactio ex D. Th. quodl. 3. q. 13. a. 1.* quòd debiliter disposito pœnitenti danda est satisfactio parvula, ut parvulus contritionis affectus, seu ignis, nuper excitatus, foveatur appositâ paleâ, nec suffocetur appositis desuper lignis gravis satisfactionis.

875 *Unde melius est* (subdit ibidem D. Th.) quòd Sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis injuncta: & injungat sibi nihilominus aliquid quod pœnitens tolerabiliter ferat ex cuius impletione assuefiat, ut majora implete, quæ etiam Sacerdos injungere non attentaſſet: & hæc quæ præter injunctionem expressam facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ, ex illa generali injunctione, quâ Sacerdos dicit, quidquid boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum... (licet non habeant majorem vim ad præbendum remedium contra culpam futuram) & quantum ad hoc talis satisfactio est sacramentalis, inquantum virtute clavium est culpæ commissæ expiativa. Ex quibus liquet, peccatorum causas, & occasiones esse omnino præscindendas, nec enim de hac satisfactione præservativa intelligendæ sunt laudatæ maximæ.

876 Adde, ad tollendas peccandi consuetudines, nihil fe-

ferè utilius videri, quām præscribere pœnitentibus quotidianam *novissimorum* memoriam, maximè aeternæ gehennalis pœnæ: & quòd manè saltē, & vesperè, current elicere contritionis actum: ipfis consulere Sacramentorum frequentiam: & quòd quotidie manè cogitent, diem illum fortè esse vitæ suæ postremum; quòd sæpè reflectant super Dei præsentiam, & maximè dūm gravis urget tentatio: & quòd tunc invocatō Jesu nomine, ejus adjutorium implorent. Et ad luxuriam propensis suadeat, quòd pravas familiaritates, & otiositatem omnino fugiant: quòd diligenter servent visum, auditum, & tactum, ut cuidam juveni carnis illecebris vexato præscriptisse fertur Beatissimam Deiparam sibi apparentem: quòd sæpè recolant illud Hieronymi, *Momentaneum est quod delectat, aeternum quod cruciat:* quòd Christum è Cruce pendentem frequenter, etli per instans, contemplentur; ut illud Bernardi repetere possint: *Dominus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Demùm pejerandi, maledicendi, aut quamvis aliam pravam consuetudinem habentibus, adhibendum est medicamen illud totiès à D. Vincentio præscriptum, nimirùm, quòd pœnitentes sibi meti ipsi onus imponant, totiès *Pater noster*, aut *Ave Maria* protinus recitandi, quotiès consuetudine abrepti, illa protulerint.

877 Circa pœnitentiæ effectum (de quo D. Th. à q. 86. ad 89. 3. p.) dicendum est, tres esse præcipuos pœnitentiæ effectus, nimirùm, remissionem omnium mortaliū, adeoque & reatus pœnæ aeternæ; remissionem venialium, & recuperationem virtutum, ac reviviscentiam meritorum. *Quoad 1. p.* constat ex Scripturis generaliter promittentibus veniam quorumvis peccatorum serio pœnitentibus, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ... omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Unde Catechis. Rom. p. 2. n. 23. ait: *Nullum esse tam grave, & nefarium scelus, quod pœnitentiæ Sacramentō, non quidem semel, sed iterū, & sæpius non deleatur.* Reatus autem pœnæ aeternæ, incompositibilis est cum gratia remissiva peccati, & tribuente jus ad aeternam

nam hæreditatem. *Quod 2.* autem p. constat ex Trid. sess. 14. cap. 5. Et quidem per omnia Sacra menta novæ Legis remittuntur ex opere operato venialia, cùm omnia sint instituta ad sanctificandam animam, & perducendam eam in vitam æternam, adeòque ad removenda impedimenta, qualia sunt venialia. Ut autem de facto remittantur per Sacramentum Pœnitentiæ (ultra virtualem saltē displicentiam de illis) oportet, quòd pœnitens illa voluntariè non reticeat; sunt quippe materia propria (et si non necessaria) hujus Sacramenti, non autem aliorum Sacmentorum: ideòque in his remittuntur sine eorum recensione.

878 Extra Sacra menta autem, nunquam remittuntur sine pœnitentia formal i, aut virtuali, seu quod idem est, sine actu contritionis, aut charitatis: Unde per Sacra mentalia mediata solū remittuntur; quatenus scilicet, excitant præfatos pios voluntatis motus mediō gratiæ auxiliō quod impetrant. *Remittuntur* etiam in Purgatorio, dūm justus cum illis decedit, ut communis tenet sent. cum D. Th. q. 7. de malo a. 11. Et quidem virtute gratiæ, prout ista exit in actum charitatis detestantis illa, ut ibidem docet D. Th. ita quòd culpa venialium remittitur per exercitium gratiæ, reatus autem, per pœnam patienter tolleratam. Et sic intelligendus est S.D. in 4. d. 21. q. 1. a. 3. ut optimè notat M. Prado. Non tamen remittuntur ibi per meritum propriè, & simpliciter dictum, quod locum non habet extra viam, ut passim docet D. Th. Nec oppositum tradit loco mōx laudatō qq. 1. ad 4. quia loquitur apertè de merito impropriè, & latè sumptō, seu secundum quid tali. Vide Bergom. dub. 889. Ex dictis habetur ratio, ob quam unum mortale remitti non possit sine alio, secūs veniale; nimirūm, quòd mortalia solā gratiæ sanctificantis infusione remittuntur, secūs venialia.

879 Tertia denique pars traditur à D. Th. q. 89. & quidem quoad reparationem virtutum infusarum, constat, quia sunt proprietates inseparabiles gratiæ habitualis. Quāvis autem per pœnitentiam (ut objectioni occurramus) non recuperetur virginitatis materia, recuperatur tamen

virginitatis propolitum, quod est formale in virtute, ut docet D.Th. 2. 2. q. 152. a. 3. ad 3. *Quoad reviviscentiam autem meritorum per peccatum mortificatorum, est adeò certa, ut oppositum temerarium, & impium pronuntient, qui mitiùs judicant, ut videre est apud M. Pradum q. 89. dub. 1.* & quidem meritò, colligitur enim ex illo Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit.* Nocéret autem plurimùm, si veterum meritorum fructum impediret. Ex illo etiam Joél 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca.* quod de meritorum reviviscentiâ exponunt PP. Demùm ex illo ad Hebr. 6. *Non enim injustus est Deus, ut obliviſcatur operis vestri, &c.* Quod de operibus mortificatis intelligunt Ambr. Ansel. aliquie PP. imò, quantum apparet, etiam, Trident. sess. 6. cap. 16. initio.

880 Qualiter autem merita reviviscant, & juxta quam mensuram? acriter controvertitur. Nos autem, juxta mentem D.Th. 2. 2. q. 24. a. 6. à simili, dicendum judicamus, sublatò per pœnitentiam abstaculò peccati, reviviscere merita omnia moralirer in esse meriti, adeòque cum debito, & jure ad totum gloriæ, gratiæ, & charitatis augmentū ipsis correspondens; in quocumque gradu gratiæ, & charitatis, in esse habitūs, & qualitatis, homo à peccato resurget. Confertur quidem gratia, & charitas juxta mensuram, & gradum præsentis dispositionis, ut perpetuò docet D. Th. imò & tradere videtur Trident. sess. 6. cap. 7. Augmentum autem gratiæ, & charitatis, præcedentibus meritis reviviscentibus debitum, dabitur pœnitenti, dum iste per ferventiores actum, & proportionatum se disposuerit. Unde si in gratia decedat, omnem omnino gratiæ, charitatis, & gloriæ latitudinem prioribus meritis mortificatis debitam, assequetur. Videantur dicta tom. 3. à N. 895. de præmio actibus charitatis remissis debitò. Videsis Illust. Marinis hic q. 89. a. 6. cap. 5. & 6.

881 Sed opp. D. Th. hic q. 89. a. 5. ad 3. expressè docere, quod ille qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem præmium essentialē secundum quantitatem

tem charitatis in qua inveniuntur: ergo. R. cum D. Marinis ubi suprà, laudata verba non esse crudè, & ut primô auditu sonant intelligenda; aliàs flagitosissimus homo, si à Deo excitatus in ferventiores prorumperet actum, melioris es-
ser conditionis, quàm ille, qui post anteactam sanctissimè vitam, in unum mortale fragilitate posteà lapsus, ab isto remissè resurgeret. Ibi igitur insinuat D. Th. eandem do-
ctrinam ab ipso stabilitam 2. 2. q. 24. a. 6. & quidem accu-
ratissimè. Nec dicit, *consequentur premium essentiale secundùm quantitatem charitatis in qua resurgit, sed in qua inveni-
tur*, seu *invenietur*; scilicet quandò gloriā consequetur:
Tunc autem jam habebit charitatem, & gratiam secundùm omnem gradum præcedentibus actibus debitum, & ipsi collatum in via, vel pro priori ad receptionem gloriæ in ipso Patriæ ingressu, ad quod nulla tunc requiritur disposi-
tio, juxta dicta tom. 3. N. 902.

882 Nota in fine, pœnitentiam esse specialem virtu-
tem, cuius objectum formale, est jus divinum læsum per offensam, ut reparabile per satisfactionem, & compensatio-
nem quandam: Materiale verò, ipsum peccatum ut offen-
sa Dei per satisfactionem expiabilis. Et hinc habes, esse
virtutem à charitate, & religione distinctam: Charitas enim
opponitur peccato ut contrario bono divino; pœnitentia
verò averatur illud, ut juri Divino oppositum: Adeoque
contritio non est actus elictus charitatis, sed pœnitentiæ;
Nec enim est simplex displicentia peccati, quæ propria est
charitatis; sed intentio illud destruendi, & pro eo satisfa-
ciendi, quod proprium est pœnitentiæ. Objectum autem
religionis, est jus divinum ortum ex supra Dei excellen-
tia, & beneficiis ab eo acceptis; pœnitentia verò respicit
illud, ut læsum per offensam, & reparabile per satisfac-
tionem: Est igitur pœnitentia pars potentialis justitiæ commu-
tativæ, non quidem ex defectu stricti debiti, sicut liberali-
tas, & gratitudo; sed ob impotentiam exhibendi Deo æqua-
lem, & condignam satisfactionem. Ac de Pœnitentia hacte-
nus.

DISPUTATIO II.

De Extrema-Unctione, & Ordine.

DUBIUM I.

Quænam sint Extremæ Unctionis materia, & forma, quis Minister, quodnam subjectum, & quinam effectus?

883 **S**upp. i. ex Trid. sess. 14. cap. & can. i. Extremam Unctionem esse verè, & propriè Sacramentum a Christo Domino institutum, & à Beato Jacobo Apost. promulgatum, illis verbis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Quibus docet materiam, formam, proprium Ministrum, & effectus hujus salutaris Sacramenti, ut subdit Trident. ex Apostolica trad. supp. præt. institutum illud fuisse post Resurrectionem unà cum Sacramento Pœnitentiæ, cuius est appendix. supp. demùm, hoc Sacramentum non esse ad salutem necessarium medii, sed tantùm præcepti: iterarique posse in diversis morbis, non eodem. His supp. sit*

884 Prima concl. Remota hujus Sacramenti materia est oleum olivarum ab Episcopo benedictum: proxima, quinque sentium unctio: forma verò, solemnis illa precatio: *Per istam sanctam Unctionem, &c.* Constat ex CC. Florent. & Trident. & Rituali Rom. Colligitur ex verbis Jacobi mōx laudatis, ac Traditione Ecclesiæ. Et optimis congruentiis prob. quoàd singulas pp. à D. Th. q. 29. ferè per totam. Nota autem, quòd Presbyteri Græci, non propriâ authoritate benedicunt istud oleum, sed sibi ab Episcopo, (sal-

(taltèm Summo) tacitè, vel exprestè delegatâ. *Nota* præt. unctionem organorum s. sensuum (vel partium vicinarum, si illa deficiant) esse necessariam necessitate Sacramenti; sic enim constat ex communi Ecclesiæ praxi, & traditione, Christi voluntatem nobis exponente. *Ubi* autem est consuetudo ungendi pedes, & renes in viris, servanda est; nec aliud vult Florent. septuplicem recensens unctionem. *Hæc* autem fieri debet sub forma crucis ex Ecclesiæ consuetudine. *Nota* demùm, de essentia formæ esse, quod sit deprecativa; ait enim Jacobus, *orient super eum, & oratio fidei salvabit infirmum.* Et in hoc sensu accipi possunt formæ Ecclesiæ Mediolanensis tempore Ambrosii, & Véneta, ut eas legenti constabit.

885 Secunda concl. Soli Sacerdotes sunt hujus Sacramenti Ministri. Constat ex illis Jacobi verbis, *inducat Presbyteros*, quô nomine non intelliguntur ibi ætate Seniores, aut Primores in Populo, ut volunt hæretici: sed, aut Episcopi, aut Sacerdotes, ut diffinit Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. *Quamvis* autem omnis Sacerdes possit validè conferre hoc Sacramentum, licet tamen, solus Parochus, aut qui ab eo licentiam accepit, extra necessitatem; hâc enim urgente, quilibet Sacerdos potest. *Parochus* autem tenetur ex iustitia illud suis subditis ministrare, & quandoquè etiam cum periculo vitæ, ut si infirmus nec poenitentiæ, nec Eucharistiæ susceperit Sacraenta: tunc enim posset esse ad spiritualem infirmi salutem necessarium, ut si solùm fuerit attritus de peccatis.

886 Tertia concl. *Omnis, & solus baptizatus, est subjectum hujus Sacramenti, modò ratione aliquandò valuerit, & gravi ter ægrotet.* Prima pars constat, quia baptismus necessariò presupponitur tanquam janua ad alia Sacraenta. *Secunda* verò patet, quia in parvulis, & perpetuò amentibus nullæ sunt reliquiæ peccatorum. *Tertia* constat ex illo Jacobi, *Infirmatur quis ex vobis, quæ de gravi infirmitate ad mortem, semper intellexit Ecclesia.* Unde hoc Sacramentum non est conferendum extremo supplicio afficiendis, nec prælium, quamlibet periculose, inituris. Et hinc in-

feres, unctionem, quam Græci adhibent quandoque sanis, teste Arcudiō, Goariō nostrō, aliiisque, non esse Sacramentalem. Inungendi sunt, juxta Ecclesiæ praxim, qui piè vixerint, et si id non petierint, nec jam petere possint. Censentur enim velle christianè mori.

887 Ultima concl. *Principalis effectus hujus Sacramenti, est remissio peccatorum quoad reliquias peccati, & ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniant.* Sic D. Th. q. 30. a. 1. & colligitur ex laudatis Jacobi verbis, & ex Trident. sess. 29. cap. 2. Nomine autem reliquiarum peccati intelligitur hic debilitas, & ineptitudo quædam ad vitæ spiritualis opera, contra quam roboratur homo per hoc Sacramentum, quod est quædam spiritualis sanatio, vel medicatio, sicut Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, & pœnitentia quædam spiritualis suscitatio. Sed quia hoc robur (subdit D. Th.) gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum; ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia, & Confirmatione suprà dictum est. Et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: *Si in peccatis est, dimittentur ei.*

888 Nec obstat, quod Trident. inter effectus hujus Sacramenti priùs recenseat peccatorum remissionem, quam confortationem contra præfatam debilitatem. Nec similiiter obstant verba illa formæ: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti, &c.* Non inquam obstant; quia Concilium priùs voluit referre effectum communem huic, & aliis Sacramentis vivorum (quantumvis per accidens) quam sibi proprium, & specialem, quamvis iste sit primarius, & per se. Informa autem sumitur *delictum*, non prout est in se, sed in suo vestigio, & effectu, aut reliquiâ, quæ est infirmitas illa memorata: Unde nomine causæ, significatur effectus, sicut Rom. 7. fomes peccati dicitur *peccatum*. Præter hos effectus, est & alius minus principalis, & secundarius, nempe, allevatio quædam ægritudinis corporalis; imò interdum perfecta sanitas, ubi saluti anima expedierit, ut loqui-

tur Trident. Quæ h̄ic objici solent, facilè ex dictis solves.

DUBIUM II.

Quid, & quotuplex sit Ordo?

889 **C**um Scripturæ testimonio, Apostolicâ traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse verè, & propriè unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis, inquit Trident. sess. 23. cap. 3. & eadem repetit can. 3. Ex quibus liquet, Concilium sumere Ordinem pro ipsa sacra Ordinatione, seu consecratione, quā potestas Ordinis conferatur, quæ est actio sensibilis, & transiens. Si autem sumatur Ordo pro gradū quoddam, seu statu Ministrorum Ecclesiæ; est quid permanens, & constat, non esse Sacmentum. Dùm autem D.Th. q.34. supplem. a.1. in secunda solut. ad 1. ait: Quod ipse character interior est essentialiter, & principali-ter ipsum Sacmentum Ordinis, loquitur apertè de Sacra-mento Ordinis in facto esse, sumendo effectum pro causa. Quamvis autem Sacra Ordinatio per se primò respiciat alio-rum sanctificationem; respicit nihilominus per se secun-dò propriam ordinati, ut sit idoneus Minister. His supp-
fit

890 Prima concl. Sacmentum Ordinis sic rectè dif-finitur à Mag. in 4. dist. 24. *Signaculum quoddam, per quod spiritualis potestas traditur ordinato.* Id est: *Sacmentum, quō potestas spiritualis significatur, & traditur in ordine ad Sacro-sanctum Christi Corpus consecrandum:* Nec enim *signaculum accipitur in laudata diffinitione pro charactere Ordinis, sed pro Sacramento, quō character imprimitur, qui est potestas illa spiritualis, ut post D. Th. exponit Mag. Sotus ibi-dem q.1. a.1.* Unde non rectè Scotus ait, quod Sacra-mentum Ordinis sit *potestas spiritualis*: Nam potius, ut diximus, est *Ordinatio*, per quam eadem potestas acquiritur.

Se-

891 Secunda concl. Septem sunt Ordines, nempè, Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus. Ratio congruentiae traditur à D. Th. q.35. a.2. sed ratio à priori est voluntas Christi, nobis per traditionem manifestata: Unde Trident. sess. 23. cap.2. recensitis Sacerdotiō, & Diaconatu, subdit: *Ab ipso Ecclesia initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria ... in usu fuisse cognoscuntur.* Tres priores dicuntur *Majores*, quia constituant hominem in altiori potestatis gradu: Dicuntur etiam antonomasticè *Sacri*, Tum ratione materiæ circa quam habent actum, quia Sacerdotium, & Diaconatus habent actum circa corpus, & sanguinem Christi consecratum; Subdiaconatus autem, circa vasa consecrata. Tum tatione continentiae, quæ propterèa eis indicitur, ut mundi sint, qui sancta tractant. Unde Subdiaconatus semper fuit *Sacer* primō titulō, licet non secundō. Omnes autem sunt *Sacri* secundūm se, sunt quippe vera Sacraenta, tum quia Trident. recensitis omnibus cap. 2. laudatō, ait cap. 3. indefinitè: *Ordo est verum Sacramentum, tum quia quilibet habet materiam, & formam propriam, specialem confert potestatem, & imprimet characterem: Unde Ecclesia præcipit, ut ordinati per saltum, omissoſ (quamlibet *Minores*) suscipiant Ordines.*

892 Tertia concl. *Episcopatus non est Ordo distinctus à Sacerdotio, prout Ordo est Sacramentum.* Sic omnes veteres Theologi post Mag. in 4. dist. 24. lit. L. D. Th. Albert. Mag. D. Bonav. Scotus, Richardus, & reliqui. Est etiam com. Thomist. quibus ex Societ. adhærent Henriquez, Reginal. Comitolus, Amicus, & plures alii, cont. Canonistas, Cajet. & Petrum Sotum ex nostris, & plures RR. Supponit concl. ex Trid. sess. 23. cap. & can. 7. Episcopatum esse gradum quandam, & Dignitatem in Ecclesiastica Hierarchia, altiorem Sacerdotiō, cui eminentiora officia sunt annexa, & hic Gradus, & Dignitas respectu inferiorum, significantissem dicitur *Ordo*, non tamen *Sacramentum*.

893 Prob. autem concl. rat. D. Th. hic q.40. a.5. Omnis *Ordo*, ut *Sacramentum*, ordinatur ad Eucharistiam;

ted Episcopatus non aliam dicit habitudinem ad Eucharistiam , præter eam quam dicit Sacerdotium , nam ad eam consecrandam quivis Sacerdos æqualem habet potestatem , ac Episcopus : ergo . *Potestas* autem consecrandi Eucharistiæ Ministros (ad quam recurritur) est inferior potestate directâ illam consecrandi , quâ nihil in ordine supernaturali præstantius : adeòque Episcopatus foret Ordo Sacerdotiô inferior . *Præt.* Unus Ordo non dependet ab alio de necessitate Sacramenti ; sed Episcopatus dependet à Sacerdotio , quia nullus potest recipere Episcopatum , nisi priùs habeat Sacerdotium : ergo . *Accedit* , quòd Majores Ordines non conferuntur nisi in Sabbatis ; sed Episcopatus confertur in diebus Dominicis : ergo . *Tandem* : In tota Episcopi consecratione nulla apparet forma , & materia Sacramenti , sive unctiones , sive traditionem baculi , speculeris ; Unde Episcopatus non est *alius Ordo* , sed *alius Gradus in eodem Ordo* : Ideòque August. in qq. Vet. & Novi Testamenti c. 101. attendens , quòd Apost. promiscuō nomine appellaverit Presbyteros , & Episcopos , ait : *Quid est enim Episcopus , nisi primus Presbyter , hoc est Summus Sacerdos?*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

894 *Opp. 1. cont. 2. concl.* Quòd aliqua virtus est major , èo minùs multiplicatur ; sed hoc Sacramentum est dignius aliis , quatenùs constituit suscipientes in altiori gradu : ergo cùm alia non multiplicentur in plura , quæ recipient prædicationes totius , nec istud multiplicari debet . *Præt.* Regimen Monarchicum , in quo unus principatur , præferitur Aristocratico , in quo diversi gubernant : ergo Regimen Ecclesiæ , cùm sit nobilissimum , non debet diversis Ordinibus constare . *Præt.* Quia aliàs tredecim essent Sacra menta , quod est hæreticum . *Tandem* : Officia Minoribus Ordinibus attributa , sæpè à Laicis exercentur : ergo .

895 *Ad 1. R. ex D. Th. q. 37. a. 1. disp.* esse , quòd alia Sacra menta dantur ad effectus aliquos percipiendos ; hoc verò , ad actus agendos ; ideoque distinguuntur oporet , juxta actuum diversitatem , non secùs ac potentiae . *Ad 2. R.* cum eodem ibidem ad 3. N. conseq . Licet enim in

Regno tota potestatis plenitudo residet in Rege; non tamen excluduntur Ministrorum potestates, quæ sunt participationes potestatis Regiæ; & similiter est in Ordine: In Aristocracia autem, apud nullum residet plenitudo potestatis, sed apud omnes. *Ad 3.* N. sequel. Hæc enim distinctio, non est totius *integralis*, neque totius *universalis*, sed *potentialis*, quod secundum perfectam rationem est in uno; in aliis autem, aliqua ipsius participatio: nam tota plenitudo est in Sacerdotio, in aliis autem, participatio quædam Ordinis, & ita omnes sunt unum Sacramentum. Sic S. D. ibidem ad 2. *Ad ult.* N. conf. Cùm enim convenientius ab ordinatis, quām à laicis exerceantur; oportuit, specialem dari ordinationem ad illa ritè obeunda.

896 Opp. 2. cont. 3. Ordo nihil est aliud, quām quidam potestatis gradus in spiritualibus dispensandis; sed Episcopi possunt dispensare aliqua Sacra menta, quæ non possunt Sacerdotes, ut Confirmationem, & Ordinem: ergo. *Præt.* Præfata spiritualis potestas, non est jurisdictionis; alias posset committi non Episcopo, quod falso est: ergo est potestas Ordinis: habet ergo Episcopus aliquem Ordinem, quem non habet simplex Sacerdos: ergo. *Ad 1.* resp. D. Th. q. 40. a. 5. ad 2. potestatem Episcopo collatam respectu aliquorum Sacramentorum, non habere rationem characteris, adeoque Episcopatum non esse *Ordinem sacramentalem*, imprimenter characterem, & ordinatum specialiter ad Eucharistiam, in qua Christus continetur, cui per characterem configuramus. *Ad 2.* resp. ad 3. Dist. conf. est potestas *Ordinis Sacramenti*, N. *Ordinis Hierarchici*, seu communiter dicti, respectu corporis mystici, C. & N. 2. cons. Episcopatus ergo est Ordo, seu Gradus, & Dignitas Sacerdotiō altior; non tamen *Sacramentum*. Et distincti potest: *Ordo hierarchicus per potestatem confirmandi, ordinandi, & regendi Fideles*. Et hinc habes contra nonnullos, potestatem Episcopalem, cùm sit jurisdictionis, & ordinis hierarchici, esse delebilem, & morte finiri. Et sanè alias, si aliquis Summus Pontifex defunctus resurgeret; essent duo Summi Pontifices, quod est absurdum. Ac de his Sacramentis satis.

TRA-

TRACTATUS ULT.

DE MATRIMONIO.

A dist. 29. ad 42. 4. sent. seu, à q. 41. ad 68. suppl.

897 **P**ræter omnibus notam Matrimonii necestatem in mortalitatis subsídium, Rerum publicarum salutem, Civitatem frequentiam, & pacem; sunt & plurima alia commoda ad Christianam societatem proventura, si fideles illius sanctitatem, & prospectam habeant, & inviolatam servent, ut Romanus loquitur Catechismus: Quapropter Apostolorum Principes divinô Spiritû afflati, pluribi accurate tradidere omnia, ad illius seu officia, seu dignitatem pertinentia, & quæ Theologis amplissimam differendi materiam subministrant. Quorum præcipua sequentibus disputenucleare tentabimus. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Sponsalibus.

898 **Q**uia Matrimonium mutuum importat contrahentium consensum de præsenti; ideo D. Th. postquam de illo, & ut naturæ officio, & ut Sacramento, peregit q. 41. & 42. absolutam illius considerationem exorditur q. 43. à *Sponsalibus*, quæ illius sunt sponsio, seu promissio, ut opposita juxta se posita clariùs elucescant. Quia tamen sponsalia sunt præliminaria, & quædam veluti matrimonii inchoatio; propterea soleme-

ne est jam Scholaisticis , ordinem D. Th. (seu potius Magistri) tantisper invertere , & Matrimonii considerationem à *Sponsalibus* auspicari , quibus morem gerere visum est. Sit igitur

DUBIUM UNICUM.

Quid sint Sponsalia , à quibus contrabibilia , & qualiter dirimenda ?

899 **S**PONSALIA à spondendo , seu sponte promittendo dicta , trifariam accipiuntur. Primum impropriè pro muneribus sponso , aut sponsæ oblatis , ut cum I. Reg. 18. dicitur : Non habet Rex sponsalia necesse. Secundò pro Matrimonio non consummato , ut Matth. 1. Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Joseph. Tertiò propriè pro futuri Matrimonii promissione , prout imprecentiarùm.

900 Prima concl. Sponsalia sunt : *Promissio mutua futurarum nuptiarum*. Sic diffiniuntur in utroque Jure. Can. Nostrates 30. q. 5. & l. 1. ff. de *Sponsalibus* , & ab universis Theolog. cum D. Th. hic q. 43. a. 1. Dicitur *promissio* , nec enim sufficit propositum , aut simplex voluntas , obligacionem non inducens. Additur *mutua* , quia sunt contractus onerosus , parem utrinque obligationem importans , adeoque *claudicare non possunt* , scilicet dum fiunt , ut vulgo dicitur : Unde licet promittens teneatur acceptatam ab alio promissionem implere ; non tamen dantur sponsalia , nisi acceptans repromittat , saltè implicitè , qualiter censetur repromittere puella , si manum , nullum , aut quid simile , à viro porrectum in signum sponsalitii , ultrò illa suscipiat , nec exprimat , nolle se ex parte sua obligari. Dicitur demum *futurarum nuptiarum* , per quod à Matrimonio , & à quolibet alio contractu essentialiter distinguuntur. *Jure* autem , et si non necessariò præmittitur Matrimonio , ut interim deprehendi posse , quod nulla adsint impedimenta.

901 Promissio sponsalitiae , ut valida sit , debet esse libe-

bera , exteriūs verbis aut signis expressa , & acceptata ; hæc enim ad essentiam veræ promissionis spectant. Hinc , fictè promittens Matrimonium, et si graviter peccet, ad illud non obligatur ; sed ad damnum (si quod inde promissario euenirit) compensandum : unde & tenetur removere fictiōnem per verum consensum , si scandalum , aut grave promissarii damnum aliter vitari non possit. Validē autem fiunt sponsalia , vel *immediate* per ipsos sponsos , vel *mediatè* per eorum parentes, aut curam habentes, ipsis præsentibus, nec contradicentibus ; tunc enim eorum taciturnitas censetur tacitus consensus. Cap. unicō de *Sponsalibus impuberum* in 6. Vel publicè , vel *clandestinè* , cùm nulla detur lex sponsalia clandestina irritans , imò nec prohibens. Illud autem juris , eō ipso , quod Matrimonium sit invalidum , etiam sponsalia , quæ sunt *prævia ad ipsum* , intelligitur de impedimento *antecedente* Matrimonium , quale non est clandestinitas , sed *concomitans* , adeoque non irritat sponsalia , ipsum præcedentia. Nec Matrimonium *clandestinum* habet vim sponsalium , juxta Sacræ Congreg. declarationem. Et idem de *ficto* esto judicium.

902 Contrahuntur etiam validē sponsalia , vel *absolutè* , vel *conditionatè* : Et si conditionatè , stante conditione , stat promissio , modò illa bonis Matrimonii non sit contraria , qualis foret ista , *Ducam te , si venena sterilitatis procures*. Quod si conditio (et si turpis sit) Matrimonii tamen bonis non aduersetur , ut si spondens diceret , *Ducam te , si furtis meis consentias* ; tunc tollenda quidem foret conditio , sed promissio staret , ut ait D. Th. a. 1. in fine corp. *sponsalia* autem conditionata non transeunt in absoluta per copulam subsequentem : Hæc quidem Jure antiquō valida erat ad contrahendum Matrimonium , adeoque *licita* , & *conjugalis* censebatur , per quam proinde conditio deponebatur ; secūs nunc , ob decretum Tridentini .

903 Ex dictis inferes , sponsalia validē inita , obligare sub mortali ad Matrimonium præfixō tempore contrahendum ; vel ubi commodè fieri poterit , si nullum sit præfixum : Est enim obligatio iustitiæ in re gravi : Unde & Eccl-

clesia excommunicat renuentem adimplere promissum; & Confessarius tenetur illum in absolutum dimittere, quia sciens persistit in peccato mortali. Nec in promittentis potestate est, se obligare sub levi in materia gravi, qualis est hic: sicut de voente docet D. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. & 10. ad 2. Et hinc sponsi utriusque sexus, injustitiam committunt, si cum aliis fornicentur, cum laedant jus, quod alter acquisivit ad corpus alterius, sibi, & non alteri tradendum; nam licet non habeat jus in re, habet tamen ad rem, ut in qualibet alia promissione acceptata, datur ad rem promissam.

904 Hinc etiam infertur, quod licet in sponsalibus apponi non possit obligatio pœnalis justè resilienti, ut habetur cap. *Gemma*, de *Sponsalibus*, & leg. *Titia*, ff. de *verbis*; potest tamen apponi injustè resilienti, quia id non laedit Matrimonii libertatem, cum nec ratio, nec jura concedant libertatem ad injustam fidei fractionem, immo tales censuris, & carceribus ad Matrimonium compellant.

905 Ex sponsalibus validis, & certis oritur impedimentum *justitiae publicæ honestatis*, dirimens Matrimonium cum consanguineis alterius sponsi in primo gradu tantum, ut decernit Trid. sess. 24. cap. 3. ubi etiam hujusmodi impedimentum substulit à sponsalibus quacumque ratione invalidis. Hoc autem impedimentum non tollitur per mortem alterius, ut à variis Pontificibus diffinitum est: Sicut nec auferitur affinitas orta ex Matrimonio, dissolutò isto per alterius conjugis mortem: Nec similiter tollitur per ullam sponsalium dissolutionem, etiam mutuo consensu factam, ut declaravit S. Congreg. Trid. apud Gobat. tract. 9. casu 14. & hanc esse mentem, & praxim Curiæ Romanæ, testatur Aversa.

906 Secunda concl. Soli illi possunt validè sponsalia contrahere, qui aliquando possunt Matrimonium validè, & licite inter se inire. Ratio est, quia nemo potest se obligare ad impossibile, aut illicitum. Hinc, habens impedimentum dirimens, aut impediens, non potest sponsalia contrahere, cum prmissio Matrimonii invalidi, aut illiciti, sit nulla.

Quia

Quia tamen plura sunt impedimenta dispensabilia ; potest illa habens, sponsalia contrahere sub conditione dispensationis obtinendæ, cùm promissio illa sit de re possibili, licitâ, & usitatâ inter fideles : Adeòque neutri tunc licet ante negatam dispensationem resilire, & eâ obtentâ, transit promissio in absolutam, inducitque impedimentum *justitiae publicæ honestatis*. Sic autem promittens, teneretur dispensationem petere, si id promisserit. Si tamen ligatus fuerit votô Religionis suscipiendæ, posset, dispensatione obtentâ, resilire ; cùm sit illi liberum post sponsalia absoluta, (imò & bimeltri post Matrimonium ratum) Religionem ingredi, & profiteri, juxta inferiùs dicenda.

907 Tertia concl. *Usum rationis non habentes*, nequeunt sponsalia contrahere. Constat ex dictis, quia sine usu rationis nequit dari vera promissio, quæ est essentialiter libera. Hinc, pueri, qui ad usum rationis non pervenerint, quamvis septennium transcenderint, sponsalia contrahere non poslunt. Quia tamen, ut in plurimum, in fine primi septenii incipit affulgere rationis lumen ; ideo ab utroque Jure determinatur ætas septenii completi, pro sponsalibus contrahendis. *Quòd* si malitia suppleat ætatem, id est, si ante septennium, apertè constet, pueros habere sufficientem rationis usum, validè contraherent, ut docet D. Th. h̄c a. 2. ad 7. cùm malitia suppleat ætatem respectu Matrimonii, majoris utique momenti, quam sponsalia. Accedit, quòd L. in sponsalibus, dicitur, *satis esse*, sponsos quid agant intelligere.

908 Ultima concl. Sponsalia puberum multifariam legitimè dirimuntur : nempè, per mutuum & liberum consensum; per quodcumque superveniens Matrimonii impedimentum dirimens; per supervenientem alterius fornicationem; per discessum in longinquum, insciâ, aut renuente parte; demum, per notabilem mutationem. Est com. & prob. i. generaliter, cùm enim per sponsalia neuter tradatur in possessionem alterius, sed promittatur; & Matrimonium sit res ubi tantam oportet circumspectionem adhiberi, ratio fert, ut tot de causis ejusmodi pollicitatio quassetur. Prob. deinde sigilla-

latim. Et quidem quoad 1. dissolutionis causam, conitat ex cap. *Præterea de sponsalibus*, ubi Innocent. III. decernit, quod possint sibi utrinque relaxare fidem, initar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & posteà eandem sibi remittunt. *Nec semper est levitatis, retractare quæ prius firmata sunt* (inquit D.Th.a.3. ad 5.) *quia incertæ sunt providentia nostræ, ut dicitur Sap. 9.*

909 Accedit, quod res omnis per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, ut Regula juris habet; si nimis, ex natura sua dissolubilis sit, uti sunt sponsalia; sed hæc mutuō consensu fiunt: ergo. *Sponsalia autem impuberum non possunt ante pubertatem mutuō consensu dissolvi.* Cap. *A nobis de despons. impub.* Sed factus pubes, potest statim, (id est, intra triduum) absque alterius consensu refilire. *Hinc*, quando alter sponsorum renuit Matrimonium cum altero contrahere, iste manet liber, cum fides fuerit mutuò data; ipse tamen renuens non absolvitur ex parte sua, quamdiu pars altera non contraxerit cum alio. *Et si terminus Matrimonio contrahendo fuerat præfixus; eo transacto, ille per quem non steterat, solutus fuit promissionis vinculō, ut habetur cap. Sicut ex litteris de sponsalibus.*

910 Secunda autem causa habetur in pluribus Juris cap. Et constat, quia executio promissionis sponsalitiae, redditur tunc impossibilis; adeoque dissolvitur promissio, cum nemo teneatur ad impossibile. *Quod si impedimentum superveniens, sit dispensabile* (ut affinitas orta ex copula illicita cum consanguineis in 1. aut 2. gradu, & cognatio spiritualis,) dissolvit sponsalia ex parte innocentis, secùs ex parte apponentis impedimentum: Unde iste teneatur (alterò exigente) dispensationem propriis expensis procurare: quod si nolit, tenetur damnum innocentis (si quod est) reparare. *Si verò impedimentum superveniens, sit professio Religiosa, aut Ordinis Sacri susceptio, certum est, utrinque sponsalia dirimi.* Si autem sit *ligamen*, dissolvit quidem ex parte innocentis, secùs ex parte illud apponentis; unde iste, soluto Matrimoniò per mortem sui jun-

jugis, tenetur priorum sponsalium fidem servare : sicut qui, post emissum castitatis aut Religionis votum, Matrimonium contraxit, tenetur, iltō solutō, illud implere. *Textus* autem in oppositum adduci soliti, loquuntur pro tempore, quō Matrimonium durat, cuius vinculum prævalet sponsalibus, tametsi horum obligationem non extinguat, sed suspendat.

911 Sponsalia tamen supervenientia, quantumvis juramentō, aut copulā firmata, neutiquām priora dirimunt: Nec enim juramentum, aut copula fornicaria, firmare ulla-tenūs possunt contractum invalidum, cujusmodi sunt posteriora sponsalia, utpotè promissio rei illicitæ: Sponsus igitur priora sponsalia servare debet. Quòd si prior sponsa cedere velit juri suo, ob vitandam posterioris corruptæ ja-cturam; tenebitur spondens cum secunda nubere; non quidem ratione sponsalitii, quod nullum fuit; sed ratione damni resarcendi. Si autem prior nolit cedere juri suo; cum illa debet contrahere, quidquid Salmant. Gonetus, Irribaren, aliique absque ullo fundamento dicant; & sibi imputet corrupta: Nec enim debet lucrum ex culpa sua cum alterius injuria reportare. Et sanè ingens alias ac facilis pa-tèret aditus ad illudendum legitimis sponsalibus.

912 Quamvis etiam professio religiosa omnino utrinque dirimat præcedens sponsalitium; solus tamen religiosis ingressus non dirimit ex parte ingredientis, sed solum ex parte remanentis in seculo: Ingrediens enim, cum egredi possit, non redditur inhabilis ad matrimonium; censetur tamen cedere juri suo, ipso religionis ingressu; adeoque alter statim à sponsalibus liberatur, secùs ipse, nisi profiteatur. Quòd si uterque religionem ingrediatur, & deserat, uterque manet liber; non quidem ob notabilem mutatio-nem, ut Vvigantis autumat, cum sit utrinque æqualis; sed quia utriusque ingressus secum fert mutuum dissolvendi consensum. *Notandum* hīc est, quòd, cum juramentum sequatur conditionem principalis contractus; qui sponsalia juramentō firmavit, potest, non contractō prius matrimoniō, ingredi religionem, etiam invitā sponsā; nisi for-te

tē urgens necessitas oppositum suadeat, ut consulendi famæ, honori, aut vitæ sponsæ, aut legitimandi prolem ex ea susceptæ: tunc enim tenebitur promissum contrahere Matrimonium, etiam non juratum.

913 Inquires autem: *An sponsalia dirimantur, per superveniens votum simplex perpetua castitatis, & suscipiendi Ordines Sacros?* R. affirmativè. *Promissum enim non infringit, qui illud in melius mutat, ut dicitur cap. Pervenit 2. de jurejurando.* Et quidem votum illud esse validum, vel adversarii fateantur oportet, cùm asserant, quòd illō emissō nubens, non posset petere debitum. *Promissio autem sponsalitia (ut instantiis occurram) ex natura rei includit conditionem illam, Nisi meliorem statum elegero;* quippè nemo creditur velle se privare ascensu ad perfectiorem gradum. *Et hinc ruunt instantiae de illicita donatione rei, temel alteri promissæ;* & de nullitate voti de alia re, semel alteri datâ: *Quia in prima non includitur talis conditio: Votum autem aliud non est de meliori bono: continentia verò perpetua, etiam post sponsalia est melius bonum, & opus consilii.* Cap. autem *veniens imponitur pœna mulieri, castitatem voenti post sponsalia;* non quidem, ob emissionem talis voti; sed quia illō obstricta, & priori sponsō jam uxoratō, volebat alteri nubere, ut paret ex contextu.

914 Quoàd tertiam dissolutionis causam, nempè, *supervenientem alterius fornicationem,* constat ex cap. *Quemadmodum de jurejurando:* ubi licet de fornicatione sponsæ agatur, ad sponsum jurè extenditur, ob rationem ibi allatum, quia scilicet in sponsalibus includi censetur conditio, *nisi contra legem sponsarium feceris.* Et idem dicendum de osculis, amplexibus, & id genus; nam licet hæc graviora censeantur in sponsa, æqualia tamen sunt in utroque, quoàd suspicionem inducendam de fide in futurum non servandâ, ut docet D. Th. a. 3. ad 6. *Hinc, si uterque fornicetur, aut alia modò memorata committat, neuter resilire potest, quia paria delicta mutuâ compensatione tolluntur:* Gravius quidem dedecus oritur viro: sed, si hōc non obstanti, non licet marito divortium facere in simili casu;

nec

nec licebit à sponsalibus resilire : æquè siquidem frangitur tunc fides sponsalitii à sponso , ac à marito conjugii.

915 Quoàd quartam dissolutionis causam , seu *discessum in longinqua* , &c. habetur cap. *De illis de sponsalibus*. Et ratio est ; quia sic discedens , videtur cedere juri suo; adeòque potest alter illicò resilire, non obstante Jure Civili, quod in hoc à Canonico correctum est. Et mirum est, id non advertisse Hennum. *Quoàd ultimam demùm* , constat ex pluribus Juris Cap. & ratio est , quia promittens, censetur promittere juxta communem aliorum intentionem , & rebus in eodem statu moraliter permanentibus. *Notabilis autem mutatio accidere potest* , vel in *bonis animæ* , ut si alter fiat hæreticus, ebriosus, nimis asper, &c. Vel in *bonis corporis* , ut si fiat phreneticus, hydropicus, cæcns, paralyticus, gallicus, aut quâvis aliâ habituali infirmitate corripatur: Vel *demùm in bonis fortune* , ut si depauperetur. Et idem dicendum, si horum quodlibet ante sponsalia occultum, contractis sponsalibus detegatur. *Quòd si alter fiat inopinatè ditior* , resilire non potest , quia tunc ipse , non alter mutaretur : Nec homo generosus relinquere debet sponsam , ob hujus supervenientem paupertatem , modò onera Matrimonii possit aliunde utcumquè sustinere.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

916 Omnia, quæ cont. concl. objici solent , ex dictis soluta manent. Opp. nihilominus 1. cont. 1. Quia aliàs deberent sponsi compelli ad Matrimonium ; sed Ecclesia illos non compellit , ut patet cap. *requisivit de spons.* ergo. *Præt.* Ad valorem Matrimonii sufficit traditio unius , & acceptatio alterius: ergo ad valorem sponsalium, sufficit promissio acceptata : ergo non requiritur repromissio. *Ad 1. R.* cogendos quidem esse per se loquendo , & ita decrevit Alex. III. cap. *ex litteris 2. de spons.* Quandoquè tamen id non expedire , ob graviora damna , frequenter inde evenire solita , ut ex Lucio III. laudatō cap. *Requisivit* , docet D. Th. a. 1. ad 2. *Ad 2. R.* disp. esse, quòd Matrimonium neutiquàm claudicare potest, secùs promissio ; adeòque acceptatio matrimonialis , est simul traditio ; acceptatio au-

tem

tem promissionis , non continuò est repromissio , ob dicta.

917 Opp. 2. cont. 3.concl. Contractus , qui per alios fieri potest, non requirit discretionem in eis ad quos pertinet ; sed sponsalia fieri possunt per Parentes , utrōque impuberum ignorante, ut habetur cap. 1. de *sponsal. impub.* ergo in illis non requiritur rationis usus , adeoque fieri possunt ante septennium. *Præt.* Ad Matrimonium non idem assignatur tempus puellæ,& puero: ergo nec utriusque assignare debet septennium in sponsalibus, ad Matrimonium ordinatis. *Tandem:* Si aliqui ante septennium contrahant sponsalia , & post illud contrahant per verba de præsenti ante tempus pubertatis; censentur verè desponsati ; sed non ex secundo contractu , quia tunc non intendunt sponsalia contrahere ; sed Matrimonium : ergo ex primò ; adeoque ante septennium possunt sponsalia contrahi.

918 Ad 1. R. cum D. Th. a.2. ad 1. sponsalia impuberum à parentibus contracta , dependere à consensu filiorum, postquam usum rationis habuerint , ut habetur in eodem cap. ac proinde alter , vel uterque reclamare potest; unde nihil tunc actum est : Quapropter septennium requiritur , vel ad contrahendum , vel ad confirmandum sponsalia. *Ad 2. R.* cum eodem ad 3. disp. esse quòd usus rationis , ad sponsalia exactus , simul advenit utrius sexui; secùs aptitudo generandi, quæ ad matrimonium attenditur. *Ad ult.* R. quòd licet per secundum contractum in casu illo , non faciant Matrimonium ; ostendunt tamen, se ratam habere priorem promissionem , quæ ex secundo contractu accipit firmitatem. Sic S.D. ibidem ad 5.

919 Opp.3. cont. id quod in 4. concl. diximus de ingressu religionis , nimirūm, quòd sponsalia ex parte ingredientis non dirimat. Per professionem dissolvitur Matrimonium ratum:ergo & per ingressum, sponsalia; hæc enim se habent ad Matrimonium, sicut novitiatus ad professionem. N. conf. & prob. Argumentum enim à similitudine , non tenet in his quæ à jure positivo pendent, cujusmodi sunt hæc. Unde cum de ingressu religionis respectu sponsalium nihil in

in Jure habeatur, benè verò de professione respectu Matrimonii rati; non licet ab uno ad alterum arguere.

DISPUTATIO II.

De Matrimonio ut Sacramento.

REsumimus hīc Ordinem D.Th. seu Magistri, & omis-
tū consideratione Matrimonii, quatenus est in na-
turæ officium, quia nihil difficultatis ingerit; de illo ut Sa-
cramento differimus cum S. D. q. 42. ut inde absolutam
illius considerationem cum eodem à q. 44. absolvamus.

DUBIUM UNICUM.

*Quæ sit hujus Sacramenti materia, & forma, &
quis Minister.*

920 **S**upp. 1. Matrimonium inter novæ Legis Sa-
cramenta numerandum esse, id enim SS. PP.
nostri, CC. & universalis Ecclesiæ Traditio, semper docuerunt,
ut ait Trident. in Procœm. lœss. 24. Supp. 2. institutum
fuisse hoc Sacramentum à Christo, vel in Canà Galileæ,
dùm præsentia suâ Nuptias honoravit Joan. 2. Vel dùm
abrogatâ lege repudii, ad primam ejus indissolubilitatem, &
unitatem Matrimonium revocavit Matth. 19. Vel demùm
post resurrectionem: Secundum tamen frequentius defen-
ditur, & probabilius censemus. Supp. 3. sic rectè diffiniri
hoc Sacramentum: *Signum sensibile gratiæ unientis personas*
legitimè conjunctas ad individuam vitæ societatem. Cujus dif-
initionis bonitas constat ex dictis, & ex dicendis circa
quidditatem Matrimonii secundum se, seu absolutè conside-
rati. Supp. tandem, contractum in Matrimonio esse *Sa-*
cramentum tantum, gratiam verò Sacramentalem, esse rem

& Sacramentum simul : quia contractus significat , & non significatur ; gratia econversō, significatur , & non significat : vinculum tandem , & significatur per contractum, & significat unionem Christi cum Ecclesia. His supp. sit

921 Prima concl. *Materia proxima hujus Sacramenti, est mutuus contrahentium consensus sensibiliter expressus, ut traditio; forma vero, ipse consensus, ut acceptatio.* Eit D. Th. ferre com. & supponit , materiam remotam esse contrahentium corpora. Prob. autem : Quia talis consensus modō explicatō, est materia, & forma contractū matrimonialis ergo & Sacramenti , cùm Christus non immutaverit contractum, sed eundem ad dignitatem Sacramentalem evexit. Prob. ant. Nam consensus unius ut traditio , determinatur per consensum alterius , ut acceptatio est : In quo-vis autem contractū illud est materia , quod per formam determinatur; & illud est forma, quod determinat : ergo. Unde utriusque contrahentis consensus est virtualiter duplex , habens sub una virtualitate rationem traditionis, & materiæ, & sub altera, rationem acceptationis, & formæ.

922 Secunda concl. *Non Parochus, sed contrahentes ipse sunt hujus Sacramenti Minister.* Eit com. cont. Guliel. Paris. Canum, & Sylvium. Et constat , *tum ex Trident. sess. 24. cap. 1. de reform.* affirmante, Matrimonia clandestina, quæ fiebant absente Sacerdote , fuisse valida , quandiu Ecclesia non fecit ea irrita. *Tum ex D. Th.* non semel afferente, benedictionem Sacerdotalem non esse formam hujus Sacramenti , sed esse quoddam Sacramentale. *Tum,* quia soli contrahentes sunt Ministri Matrimonii in ratione contractū, nam soli ponunt materiam & formam , mutuòque se obligant : ergo & in ratione Sacramenti , ob dicta num. præcedenti.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

923 Opp. 1. cont. 1. concl. Ante Trid. & etiam nunc ubi illud non est receptum , sponsalia transiunt in Matrimonium per copulam carnalem maritali affectu habitam: ergo hæc posset esse materia , & forma Sacramenti , quod videtur absurdum. *Prat. Florent.* in Decreto Eug. doce-

re videtur, materiam, formam, & Ministrum, realiter distingui in quolibet Sacramento: ergo Tandem. Quia aliàs causa materialis, & efficiens coinciderent in eandem personam, cùm ipsi conjuges sint hujus Sacramenti Ministri: ergo. *Ad 1.* datô quòd tunc contractus matrimonialis esset Sacramentum, C. cons. Nec enim incónvenit, copulam illam, physicè acceptam, & in ratione signi sensibilis manifestativi consensus, esse materiam & formam Sacramenti, quod sanè informe foret, si illa in peccato mortali fieret. *Ad 2.* N. ant. Nec enim id docet Concilium, sed solum, quòd tribus illis constat quodvis novæ Legis Sacramentum. Et datô ant. nihil inde; unaquæque enim materia partialis divisim sumpta, realiter secernitur à forma partiali, quâ perficitur; tametsi copulatim & simul acceptæ, non distinguantur. *Ad ult.* N. cons. nam quod adducitur in antecedens non incónvenit, imò illud exigit natura talis contractus, quòd contrahentes mutuò se tradunt, ut patet exemplò se in servum vendentis, qui simul foret causa efficiens, & materialis illius contractus.

924 Opp. 2. cont. 2. CC. & PP. vocant frequenter Parochos *Ministros* hujus Sacramenti. Afferunt præt. Matrimonium sanctificari benedictione Sacerotali. Præt. quia alioquin contrahentes in mortali, dupliciter peccarent, nempè, indignè ministrando, & suscipiendo Sacramentum: ergo. *Ad 1.* R. Parochos vocari hujus Sacramenti Ministros, quoad solemnitatem dumtaxat, non quoad substantiam. Dicitur autem Matrimonium sanctificari benedictione Parochi, negativè, quatenus si defuerit, etiam ante Trid. non fuisset Matrimonium sanctum, sed illicitum. Verba autem illa, quæ jussu Trident. profert, hunc habent sensum: Egò tanquam Ecclesie Minister vos ritè, & solemniter conjunctos declaro. *Ad ult.* N. sequel. peccarent quidem ut recipientes; non ut Ministri, sicut dicitur de Laico baptizante in casu necessitatis. Sic post Sotum, & Th. Sanchez, respondetur frequenter cont. Basil. Pont.

925 Inquires 1. An matrimonium inter absentes, per procuratores, aut litteras contractum, sit verum Sacramentum?

R.

R. communiter *affirmativè* cont. Dur. Cajet. Canum, aliosque. Et meritò : Eſt quippe verus contractus, ſicut & reliqui : ergo & Sacramentum ; nec enim Christus mutavit, ſed elevavit naturam contractus matrimonialis. *Nec* fundamenta oppofita urgent, cùm enim hoc Sacramentum ſit contractus, ſolam moralem requirit inter contrahentes præſentiam : Baptismus autem, & pœnitentia, v. g. cùm non ſint contractus, requirunt, quod præſentia (expressa illis verbis, *Ego te baptizo, Ego te abſolvo*) ſit physica, adeoque confeſſi non poſſunt abſenti. *Nec* inconvenit, contrahentes, gratiā quandoque recipere dormientes; ſicut illam dormiendo reciperet qui baptizari, aut martyriū ſubire deſiderans, in ſomno baptizaretur, aut in odiū fidei occideretur.

926 Inquires 2. *An ratio Sacramenti separabilis ſit à matrimonio fidelium?* R. frequentius *affirmativè* cum Cajet. Victoria, & Canō, cont. Th. Sanchez, Texedam, Uvigant, aliosque. Et meritò ; nec enim datur Jus aliquod irritans contractum matrimonialem fidelium ex defectu intentionis conficiendi Sacramentum : non quidem *Naturale*, aut *Canonicum*, ut omnes fatentur : nec etiam *Divinum*, ratio enim Sacramenti, ad quam Christus evexit talem contractum, hunc ſubſtantialiter non immutavit. Potuit quidem Christus pro ſuo libito, ſic contractum elevare ad rationem Sacramenti ut rationes illæ fierent inseparabiles ; ſed ita elevasse non conſtat. Imò oppofitum ſuadet praxis judicialis Ecclesiæ, quæ nunquām separari jussit conjuges iudæos baptizatos, quantumvis ſæpè judicialiter conſtitet, matrimonium contraxisse abſque ulla Sacramenti intentione. *Fundamentum* autem Adversar. præfatæ elevationi innixum, probat quidem, ſeparationem Sacramenti à ratione contractus eſſe ſacrilegam, ſed non invalidam.

927 Inquires 3. *utrum Matrimonium poſſit denuo fieri Sacramentum per baptismi fuſceptionem, aut renovationem confensus?* R. negativè. Nec enim hoc Sacramentum ſtat in vinculo permanenti, ſed in contractu actuali, qui neutiquām potheſt idem numero per confensus renovationem reproducī. Dices: Legitimum infidelium Matrimonium, fit

ratum per susceptionem baptismi : ergo fit Sacramentum, ratione cuius dicitur *ratum* inter fideles. N. cons. Matrimonium autem fidelium dicitur *ratum* in Jure *ratione Sacra-menti*, id est , baptismi , quia hōc ipsō , quōd conjuges sint baptizati, habet illorum Matrimonium sacram illam significationem indissolubilis unionis Christi cum Ecclesia, adeòque evadit firmius , & indissolubilius quam antea.

DISPUTATIO III.

De Matrimonio , absolute & secundum se considerato.

DUBIUM I.

Qualis requiratur consensus ad Matrimonii valorem?

928

A Nte resol. supp. 1. cum D. Th. q. 44. a. 3. tria in Matrimonio considerari, nempe, *cau-sam* ipsius, seu consensum ; *essentiam*, seu conjunctionem; & *effectum*, seu vitam communem in rebus domesticis. Supp. 2. matrimonium absolute sumptum, sic recte in Catech. Rom. diffiniri : *Viri & mulieris conjunctio inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens.* Dicitur *con-junctio*, quia Matrimonium in facto esse , essentialiter con-sistit in vinculo illo permanenti , quō conjuges formaliter sunt uniti, ortō ex mutua traditione; ad differentiam vincu-li sponsalitii ex promissione orti, ideoque additur *marita-lis*. Reliquae particulae indicant conjunctionis *subjectum* ab omni impedimento dirimente liberum , & *indissolubilitatem*. Supp. tandem, ad vinculum, seu essentiam Matrimonii, re-quiri mutuum contrahentium consensum : hunc tamen solus Deus supplere potest , ob supremum & independens dominium in omnium hominum corpora & animos, quō usus

usus fuit in Matrimonio Osee, juxta D.Th. 1.2. q.100. a. 8. ad 2. His supp. sit

929 Prima concl. *Consensus ad valorem Matrimonii requisitus*, debet esse verus & non fictus, plenè deliberatus, signis exterioribus expressus, & ab omni coactione seu metu gravi liber. Prima p. constat, quia sine vero consensu non stat verus contractus. Secunda etiam, quia id exigit gravitas obligationis seu vinculi matrimonialis. Tertia autem, quia debet utrique parti innotescere, ut acceptari possit. Quòd si Deus per se, vel per Angelum, mutuum internum consensum contrahentibus manifestaret, esset æquivalenter expressio humana, adeòque sufficeret; quidquid PP. Salman. aliique dicant. Quarta demùm p. constat ex cap. *Veniens de sponsalibus*, & aliis, in quibus irritatur contractus matrimonialis sic initus, quantumvis alias jure naturæ validus. Vide-*sis* tom. 2. à N. 206. Et hinc habetur, matrimonia coacta, valida esse inter infideles, si nullum jus Civile ea apud ipsos irritet, cum *Canonico* non subdantur.

930 Secunda concl. *Ad valorem Matrimonii*, sufficit *consensus conditionatus*, si conditio sit de præsenti, vel præterito, eaque subsistat, quantumvis inhonesta sit, modò naturæ aut fini Matrimonii non repugnet. Sic D.Th. q. 47. a. 5. Conditio autem repugnat naturæ aut fini Matrimonii, si aduersetur proli, fidei, aut *Sacramento*, quæ sunt tria Matrimonii bona. Per prolem intelligitur legitima prolis generatio, & recta educatio: Per fidem verò, fidelitas conjugalis. Per *Sacramentum*, indissolubile Matrimonii vinculum. Porrò hujusmodi conditiones Matrimonio repugnantes, illud semper irritant, licet sint de futuro, ut habetur ex cap. finali de *conditionibus appositis*, ubi dicitur, Matrimonii contractum effectu carere, si alter dicat alteri, *contraho tecum*, si proli generationem evites; vel donec inveniam aliam, honore vel facultatibus ditiorem: aut si pro quæstu adulterandam te tradas. Quia nempè, primum repugnat fini Matrimonii: Secundum, ejus indissolubilitati: Tertium autem, ejus sanctitati, & fidei.

931 Tertia concl. Si conditio adjecta sit de futuro, &
ne-

necessaria, non irritat; si impossibilis, censetur non apposita; si contingens, suspenditur valor Matrimonii usque ad conditionis eventum: Et tunc non requiritur novus consensus. Prima p. constat, quia *talia futura*, ut Solem oriri cras, sunt *præsentia in causis suis*, ut ait D. Th. ubi suprà. Secunda verò p. habetur cap. *Si conditiones*, ubi dicitur, quod tales conditiones debent pro non adjectis haberi, in foro scilicet externo, secùs in foro conscientiæ, si consensus desit, ut si quis illum verè tali conditioni alligare velit. Tertia p. liquet, quia sic contrahens, non habet animum tradendi potestatem sui corporis, donec adimpleatur conditio, adeoque talis contractus ante conditionis purificationem, est quidem *matrimonialis*, sed quia valor est in suspenso, sortitur de præsenti vim sponsalitii, ut docet D. Th. Ultima demùm p. est satis frequens cont. Sotum, Suar. Pontium, Gonatum, aliosque. Et constat paritate aliorum contractuum, ut emptionis, & venditionis, sic initorum; & novum consensum non desiderantium ad sui valorem, purificata conditione. In ratione autem Sacramenti, erit validus præfatus contractus, dum verificatio conditionis, sensibiliter notificabitur inter contrahentes: Nec reiteranda est tunc præsentia Parochi & testium, ut S. Pius V. & Clem. VIII. declararunt, teste Prospero Fagnanò.

932 Quarta concl. *Ad valorem Matrimonii, non requiritur consensus explicitus in copulam conjugalem, sed solum implicitus.* Sic D. Th. hic q. 48. a. 1. & 3. p. q. 29. a. 2. Et quoad 1. p. est com. cont. Gratianum, & constat, tum quia cum copula carnalis non sit de essentia Matrimonii, potest esse consensus in istud, sine consensu saltē explicito in illam. Tum, quia Beatissima Virgo sine tali consensu, immo cum opposito, verum contraxit Matrimonium. Tum, quia contrahens Matrimonium cum explicita intentione ingrediendi Religionem ante illius consummationem, non habet explicitum consensum in copulam, sed contrarium. Quoad 2. verò p. etiam est com. quamvis aliqui solis vocibus dissentiant. Prob. autem rat. D. Th. quia carnalis copula continetur implicitè, sicut effectus in causa, in jure seu potesta-

state ad carnalem copulam: ergo consensus implicitus in tale jus, est consensus implicitus in copulam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

933 Opp. 1. cont. ult. p. concl. Quia aliás fidelis contrahens ex metu gravi, reus esset mendacii, & sacrilegii: Mendacii quidem, quatenus dicit, *Accipio te in meam*, quod non intendit: Sacrilegii verò, quatenus utitur forma Sacramenti istud non intendens. *Præt.* Matrimonium ex metu gravi (injustè illatō) contractum, attentō naturæ jure, est validum, ob dicta tom. 2. N. 210. ergo nequit per Jus positivum irritari, cùm hoc nihil possit in illud. *Ad 1.* N. ant. Nec enim est mendax, nam verba illa non significant tunc quod sonant; sed more psittacorum proferuntur, ad evasionem mali imminentis. Nec est sacrilegus, quia taliter prolata verba illa, non habent rationem formæ. *Ad 2.* dist. conf. nequit irritari jam factum, C. faciendum, N. Potest enim Jus positivum apponere contractui certas conditiones, quibus non stantibus, nec subsistat ipse contractus, ut patet de præsentia Parochi & testium: Nec propterea Jus positivum dominatur Naturali, cùm istud se habeat quoàd hoc permissivè, sicut circa bonorum divisionem, & similia.

934 Opp. 2. cont. 1. p. ultimæ concl. Contractus matrimonialis per se primò versatur erga copulam, cùm ex natura sua ordinetur ad prolis procreationem, ad quam copula est medium necessarium: ergo necessariò requirit expressum in copulam consensum, sicut quilibet contractus, in suum primarium objectum. *Præt.* cont. 2. p. Beatis. Virgo, quæ verum contraxit Matrimonium, nullum habuit consensum implicitum in copulam, aliás peccasset cont. Virginitatis votum, cui non solum nubere adversatur, sed & velle nubere, juxta Aug. *Præt.* Dominium corporum distinguitur ab usu, potestque ab isto separari: ergo possunt conjuges in tale dominium consentire, quin implicitè consentiant in usum seu copulam. *Ad 1.* N. ant. objectum enim talis contractus, non est copula, sed dominium corporum in ordine ad illam, adeòque non re-

qui-

quiritur expressus contensus in copulam , sed sufficit implicitus.

935 Ad 2. N. ant. Ad prob. N. sequel. *Tum* , quia ut ait D.Th. 3.p. q.28. a.4. Mater Dei, antequām desponsatur, non absolutē vovit virginitatem , sed sub conditio-ne, si Deo placéret. Ubi autem acceptō sponsō , hoc ei īnotuit , simul cum eo absolutē virginitatem vovit ante-quām ab Angelo annuntiaretur. *Tum* , quia etiamsi anteā ab solutē vovisset, certificata tamen erat per revelationem, nullum ex Matrimonio virginitati suæ præjudicium immi-nére, ut ait S.D. in 4.d. 30. q.2. a.1. qq.2. ad 3. Ad 3.N. conf. quia tale dominium est essentialiter jus ad copulam, quæ in illo tanquām effectus in causa continetur ; adeoque prorsus repugnat , conjuges consentire in tale dominium, quin implicitē consentiant in copulam. Ut alia argum. di-luas, nota ex D.Th. hīc q.48. a.1. ad 3. quod si Mulier dicat Viro, *Consentio in te, ut non cognoscas me* , non est con-sensus matrimonialis , quia illa conditio explicita , non solū actui , sed potestati contrariatur copulæ carnalis ; ideoque est contraria Matrimonio : Votum autem virginitatis, non con-trariatur potestati carnalis copulæ, sed actui solū : adeo-que cum illo stat contractus matrimonialis , nisi deducatur in pactum.

DUBIUM II.

Utrum Matrimonium , absolutè sumptum , sit jure naturæ , seu ab intrinseca sua natura , indissolubile?

936 **A**nte resol. supp. ut certum apud omnes, ma-trimonium , etiam non consummatum , à prima sui institutione fuisse indissolubile jure divinō, ut con-stat ex illo Gen.2. *Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem , & adhæredit uxori suæ , & erunt duo in carne una.* Quæ verba nomine Dei ab Adam fuisse prolata , significa-vit

vit Christus Matth. 19. ubi illa non in Adam, sed in Deum retulit. Et declarat Trid. sess. 24. initiō. Et cùm illa protulerit Adam antequām cognoverit Hevam; intelligenda etiam sunt de matrimonio non consummato. *Quamvis* autem tempore Legis scriptæ, fuerit dispensatum in hoc præcepto per repudii libellum; in Lege tamen Evangelica, fuit illud in pristinum vigorem restitutū à Christo, dum Matth. 19. subjunxit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Unde Apost. 1. Cor. 7. *Precipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam,* &c. Hoc supp.

937 Concl. est affirm. expressa D. Th. hic q. 67. a. 1. & 3. cont. Gen. c. 123. Et ferè com. cont. nonnullos diversimodè illam negantes. *Prob.* autem 1. ex dictis N. præced. nam præceptum illud divinum de indissolubilitate matrimonii, non fuit positivum; nam præter illud de esu pomi, nullum præceptum merè positivum imposuit Deus homini in Paradiſo, juxta omnes: ergo fuit naturale, seu Dei ut Authoris naturæ instituentis matrimonium. *Præt.* Cap. finali, de conditionibus appositis, dicitur, esse contrà substantiam matrimonii conditiones oppositas illius perpetuitati. *Præt.* Disolutio matrimonii opponitur rectæ educationi prolis, in qua hujus bonum, à Matrimonio per se primò inspectum, consistit. *Quod si oppositum quandquæ eveniat, id erit per accidens,* sicut & quod matrimonium non consummetur. *Profectò:* Matrimonio potius adversatur dissolutio, quam Polygamia, quæ tamen contra illius naturam esse, nullus ambigit. *Tandem:* In essentiali diffinitione matrimonii secundum se, suprà ex Catechis. laudatâ, ponitur indissolubilitas ejus. Et idem videre est in diffinitione Magistri, à nemine non receptâ: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

938 Opp. 1. In præceptis juris naturæ nequit Deus dispensare, adeoque multò minus Papa; sed matrimonium ratum dissolvitur authoritate Dei per professionem religiosam; & consummatum inter infideles, per conversionem alterius ad fidem, & olim inter Judæos, per libellum re-

pudii ex Dei dispensatione: Plures item Papæ dissolverunt matrimonia *rata*: ergo. *Dist. maj. quoad 1.p.* Nequit Deus dispensare propriè, C. impropriè, subdist. in præceptis primæ tabulæ, & in aliquo secundæ, C. in reliquis, N. Solutio constat ex dictis tom. 3. à N. 24. ad 33.

939 Solùm addendum circa libellum repudii, quòd per illud licet & validè dissolvebatur matrimonium, ut jam communiter defenditur, & exprestè docet D. Th. in cap. 19. Matth. quamvis in 4. sent. dubius hæserit, ob reverentiam propugnantium frequentiùs tunc oppositum. Et ratio favet. *Tum*, qui Judæi nunquàm de illo reprehenduntur in Scrip. *Tum*, quia Deut. 24. concedebatur fœminæ repudiatae facultas alteri nubendi: Imò, hòc defunctò, non licebat, illam à primo viro iterùm recipi; quæ stare non possent, si repudium non fuisset validum & licitum. *Nec* obstat, quòd locò Deut. mulier repudiata dicatur *polluta*, & *abominabilis facta coram Deo*; intelligitur enim de pollutione, & abominatione solùm *legali*, qualis erat tangentis mortuum v. g. *Nec* etiam obstat, quòd Matth. 19. dixerit Christus, repudium fuisse permisum Judæis, ob *duri-
tiam cordis eorum*; solùm enim innuit occasionem permissionis, & quia illa prava erat, hanc revocat, quam nec decebat in nova lege continuari.

940 Ad id quod in minori additur de praxi quorumdam Pontificum, qui in matrimonio ratu dispensarunt. R. dispensasse quidem *de facto*, opinantes, se posse dispensare; & probabiliorem judicantes opinionem id asserentem. Sed hoc non obstat, quominus opposita omnium ferè Theologorum sententia, appareat nobis probabilior, & vera: Praxes enim Pontificum, à Successoribus aliquandò revocatas esse, tanquàm minùs rectas, constat ex cap. *Li-
cet de sponsa duorum*, ubi Pontifex statuit, matrimonium ratum non solvi per subsequens consummatum; *quanquam* (inquit) *aliter à quibusdam Antecessoribus nostris sit aliquan-
dò judicatum*.

941 Objectæ autem praxi opponimus perennem aliorum Pontificum praxim per 14. sècula ante Martinum V. qui

qui primus omnium diligentie fertur: Imò & quorundam Martini Successorum, ut Innocentii VIII. Adriani VI. S. Pii V. aliorumque, palam afferentium, talem facultatem in se non agnoscere: Illud tandem Innocentii III. cap. 1. de *converso conjugat*. Ex quo matrimonium inter legitimas personas contrahitur; in nullo casu, illis viventibus, dissolvi potest; nisi forte secus, fuerit ex revelatione divina. Ubi ly *contrahitur* evincit, sermonem esse de omni legitimo matrimonio, quantumvis non consummatō. Ecquis autem non præferat Pontificiam decisionem quorundam Pontificum factis? Verbō igitur dicimus, laudatos Pontifices dispensare, quidem *de facto*, non *de jure*. Quod si de jure dispensasse demus; farta tecta nihilominus maneret conclusio. Id enim egissent auctoritate Dei, dispensare potentis modò supradictō, ut opinio illa (cui non assentimus) docet. Videsis tom. 2. N. 602.

942 Opp. 2. *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, ut habet Regula juris in 6. sed vinculum Matrimonii nascitur ex mutuo contrahentium consensu: ergo. Præt. Cæteri humani contractus mutuo contrahentium consensu dissolvi possunt: ergo & matrimonialis. Ad 1. R. Regulam illam multas habere exceptiones, ut dicit Glossa, & locum non habere in rebus naturâ suâ indissolubilibus. Et argumentum probat nimis, nimirum, posse Matrimonium consummatum dissolvi mutuo conjugum consensu: Item, votum solō voventis libitō posse dissolvi. Et alia id genus, in quibus instatur. Ad 2. R. disp. esse, quod solus contractus matrimonialis per se ordinatur ad finem ex natura sua exigentem indissolubilitatem, juxta dicta supra.

943 Opp. 3. illud Christi cap. 19. Matth. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæciatur*: ergo si uxor fornicetur, potest dimitti, & alia duci, adeoque ob fornicationem dissolvitur Matrimonii vinculum, quod proinde non est naturâ suâ indissolubile. N. conf. exceptio enim illa, *nisi ob fornicationem*, non afficit totam sententiam, sed solum primam ejus partem, scilicet,

cet, uxoris dimissionem sive separationem quoàd thorum, ut docet D.Th. hic q. 62. a. 5. ad 4. communiter receptus: unde sensus est, *Quicumque dimisserit uxorem suam quoàd thorum (quod facere non potest in perpetuum, nisi ob illius fornicationem) &c.* R.2. ex Aug.lib.de adulterinis conjugiis, ly nisi non sumi exceptivè, sed negativè, ut sensus sit, *Quicumque dimisserit uxorem suam non lapsam in adulterium, &c.* In de autem malè infertur, quod si illa adulteraverit, liceat marito eam dimittere, & aliam ducere: hoc enim est arguere ab opposito antecedentis, ad oppositum consequentis. Nota hic, quòd error ille de dissolubilitate vinculi matrimonialis, ob alterius fornicationem, licet vulgo tribuatur Ambrosio; immerito tamen, quia intrusus fuit scriptis ejus à pravis hominibus, ut ait D. Th. super cap.7. 1. ad Cor. Id quod multis suadet Natal. Alex.cap.1. de Matrim. a. 7. In illum inciderunt ex Catholicis, Cajet. & Cathar. Sed ante Tridentini proscriptionem.

944 Inquires: *An Matrimonium inter baptizatos, sit indissolubilius Matrimonio non baptizatorum?* R. affirmativè: est quippè ulteriùs indissolubile, quatenus est signum perpetuae conjunctionis Christi & Ecclesiæ, ut ait D. Th. hic q. 67. a. 1. Quæ quidem sacra supernaturalia significatio, est intrinseca ex Christi institutione omni baptizatorum Matrimonio, etiam non consummato, ut potè illi conveniens ratione Sacramenti Baptismi, quod est Sacramentum fidei: Unde Ephes. 5. de omni fidelium Matrimonio indistinctè & generatim dicit Apost. *Hoc Sacramentum magnum est, ego autem dico, in Christo & Ecclesia,* id est, propter unionem Christi cum Ecclesia, quam significat. Quòd si Matrimonium fuerit consummatum; majorem adhuc sortitur indissolubilitatem, quia tunc ulteriùs significat hypostaticam unionem Verbi cum humanitate.

945 Ultrà præfatas sacras significaciones, habet & tertiam Matrimonium baptizatorum, nempè unionis Dei cum anima per gratiam; sed hæc separabilis est à tali Matrimonio, ut potè solùm illi conveniens ut Sacramento, & in fieri; significatio autem unionis hypostaticæ, separabilis etiam

etiam est à tali Matrimonio, ut potè soli consummato conveniens: Restat ergo, quod sola significatio perpetuæ conjunctionis Christi ut sponsi cum Ecclesia per dilectionem & fidem, est omnino inseparabilis à vinculo matrimoniali baptizatorum, adeoque convenit illi, quantumvis per accidens non fuerit Sacramentum in suo fieri, nec enim competit illi ratione Sacramenti *Matrimonialis*, sed *Baptismi*, juxta dicta N. 905.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Impedimentis Matrimonii.

946 Impedimenta Matrimonii, alia sunt *impedientia tantum*,

quæ scilicet Matrimonium reddunt solummodo illicitum: alia verò *dirimentia*, quæ insuper reddunt illud invalidum. Impedientia tantum, licet olim plura fuerint, nunc tamen non extant nisi 4. hoc verius comprehensa: *Sacratum tempus*, *vètitum*, *sponsalia*, *votum*. *Sacratum tempus* dicitur, clausum à Dominica 1. Adventus usque ad Epiphaniam, & à Feria IV. Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè: quô tempore Tridentinum sess. 24. cap. 10. prohibet *solemnitates Nuptiarum*; ut *Nuptias benedicere*, *sponsam traducere*, *nuptialia celebrare convivia*. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. *Vètitum* Ecclesiæ, est, prohibitio facta ob iustam causam, ab Episcopo, ejus Vicario, vel etiam à Parocho, de non contrahendo cum certa persona. *Sponsalia*, scilicet, validè contracta, nec legitimè dissoluta. *Votum*, scilicet, simplex votum castitatis in seculo servandæ, ingrediendi Religionem, non nubendi, aut Sacros Ordines suscipiendi.

947 Impedimenta dirimentia, duodecim olim numerabantur, his versibus expressa,

Error, conditio, votum, cognatio, crimen;

Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,

Si sis affinis, si fortè coire nequibus.

Quibus duo addita sunt à Trident. nimirūm, Clandestinitas, & Raptus.

Si Parochi & duplicis desit praesentia testis,

Raptave, sit mulier, nec parti reddit a tutæ.

Duodecim priora optimè declarantur à D.Th. hic q.50. a. 1. Matrimonium enim impediri potest nè validè fiat, vel ex parte contractus, aut ex parte contrahentium. Ex parte contractus, cùm fieri debeat per consensum liberū, qui tollitur per ignorantiam & coactionem, impediunt *error & vis.* Ex parte autem contrahentium, potest quis impediri, vel *simpliciter*, vel *respectu alicujus personæ*: Si simpliciter, id non potest esse nisi quia impeditur à matrimoniali actu; & hoc, vel quia omnino non potest, unde *impotentia coeundi*: vel quia liberè non potest, unde *servitutis conditio*: vel quia licetè non potest, quatenus obligatur ad continentiam, aut ex officio suscepto, unde *Ordo*, aut ex voto emissō, unde *votum*: Si autem impeditur à Matrimonio non *simpliciter*, sed *respectu alicujus personæ*; vel hoc est, quia jam conjugatus est, unde *ligamen*: vel quia debet proportio ad alteram personam; & hoc, aut propter nimiam distantiam, unde *Cultus disparitas*: aut propter nimiam propinquitatem, unde *cognatio*, *affinitas*, & *honestas*: Vel postremo, ob indebitam conjunctionem ad ipsam, unde *crimen adulterii*, prius cum ipsa commissi. *Hæc* in summa D.Th. & quidem præclarissimè. Quæ autem circa hujusmodi impedimenta speciatim discutienda occurunt, sequentibus dubiis breviter resolvemus. Sit igitur

DUBIUM I.

De singulis Impedimentis dirimentibus summatis.

948 **P**rimum impedimentum dirimens Matrimonium, & quidem naturæ jure, est *error* circa personam, ut si putans ducere Cajam, ducat Titiam, seu error sit *antecedens*, seu *concomitans*, uterque enim tollit volunt-

luntarium essentialiter exactum ad contractum matrimoniale. Jacob autem (ut objectioni occurram) verè quidem contraxit cum Lia , sed non dum credidit esse Rachelem ; sed quando, detecto errore, adhuc ipsam voluit. Sic etiam valida quidem fuit (juxta August.) benedictio illa Jacob, sed tunc , cùm cognitâ fraude , ipsam ex divinō instinctu ratificavit Isaac. Error autem solius qualitatis quantumvis antecedens , non dirimit jure naturæ Matrimonium , ut si falsò credatur nobilis , dives , virgo : Nec enim tollit voluntarium circa substantiam contractus conjugalis: Nisi fortè contractus fuerit conditionatus circa qualitatem , ut si dicatur , *contra te tecum* , *si sis nobilis* , &c. aut licet sit absolutus , directè tamen feratur in ipsam qualitem ; ut si dicatur , *contra te cum filia Regis* , nec sit : Tunc enim nullus est consensus in illam personam ; adeoque error qualitatis transit in errorem personæ.

949 Secundum est *Conditio servilis ignorata*, quantumvis vincibiliter, si pars altera sit libera. Sic enim habetur in Jure Can. cap. *Si quis ingenuus 29. q. 2. & cap. Ad nostram*, de *conjugio servorum*. Non tamen dirimit jure naturæ, cùm sit tantum error circa qualitatem personæ: nec servitus impedit totaliter usum matrimonii , cùm non sint de se incompatibles. Tertium est *votum solempne castitatis* in Religione approbata, aut Sacris Ordinibus annexum, ut constat ex Trident. Sess. 24. can. 19. sic diffiniente : *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse . . . anathema sit.* Eandem vim habet votum simplex castitatis, quod in Societate Jesu , absoluto tyrocinio, emititur, ex Bulla Gregorii XIII, quæ incipit, *Ascendente Dominò.* Quô autem jure dirimat solempne monachale votum, dub. seq. resolvemus.

950 Quartum est *Cognatio*, quæ triplex est ; *naturalis*, *spiritualis*, & *legalis*. Naturalis seu *Consanguinitas*, est, *Vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum*. Quæ quidem in linea recta dirimit in quocumque gradu : in transversali seu collaterali, usque ad quar-

quartum inclusivè. Quòd autem jure? dub. Ieq. differemus. In linea recta tot sunt gradus, quot numerantur personæ, non numeratò stipite, seu personâ illa à qua initium ducitur: Hinc, pater & filius contingunt se in primo; Avus & nepos, in secundo, & sic deinceps. In linea autem transversa, personæ æqualiter distantes à communi stipite, tot gradibus adinvicem distant, quot à stipite recedunt. Hinc, fratres, & sorores, sunt in primo gradu: Consobrini, in secundo, & ita deinceps. Quòd si inæqualis sit distantia, in illo gradu censentur ab invicem distare, quòd remotior recedit à communi stipite: Unde si unus sit in quinto gradu, alter in quarto, non erit opus dispensatione ad contrahendum Matrimonium.

951 Cognatio spiritualis, est, propinquitas orta ex Baptismo, vel Confirmatione: quæ post Trid. fess. 24. de reform. Matr. cap. 2. tantum contrahitur inter baptizantem, aut confirmantem, & patrinos ex una parte; & inter baptizatum, aut confirmatum, & illius patrem & matrem, ex altera: quod Hispanè sic vulgò exprimitur: entre los tres de afuera (si duo sint patrini) y los tres de dentro. Cognatio demùn legalis est propinquitas orta ex adoptione, & dirimit matrimonium inter adoptantem, hujusque uxorem, & filios ac nepotes usque ad quartum gradum; adeoque censetur, quoàd hoc, impedimentum perpetuum: & inter adoptatum & proles naturales, ac uxorem adoptantis. Hæc tamen cognatio adoptati ad proles adoptantis, cessat per mortem adoptantis, aut emancipationem adoptati.

952 Quintum est crimen. Duo autem sunt crimina distincta à raptu, Matrimonium dirimentia. Primum est homicidium, quòd ex duorum conspiratione, alterius conjux occiditur, ut postmodùm Matrimonium inter se contrahant: cap. Laudabilem de conversione infidelium: Vel quòd, post admissum adulterium, vir aut foemina, etiam sine prævia alterius conspiratione, conjugem interficit, intentione contrahendi Matrimonium cum parte superstite. Quòd si aliò fine, quam contrahendi inter se, mors illata sit; non dirimetur Matrimonium. Alterum crimen est adulterium

sic commissum, ut adulteri, quantum in se est, vel Matrimonium ineant, vivente compare: Vel saltēm fidem sibi præstent de Matrimonio inter se, mortuā compare, in-eundō.

953 Sextum est *disparitas cultūs* seu Religionis: quæ dirimit Matrimonium inter baptizatum & non baptizatum, & econtra; idque jure tantum Ecclesiasticō, seu scrip-tō, seu per universalem consuetudinem introductō. *Faten-dum* tamen est, tale conjugium esse illicitum, tūm jure na-turali, si adsit (ut ferè semper adest) periculum subversio-nis conjugis fidelis, pravæ educationis prolis, & rixosæ cohabitationis domesticæ. Tūm jure divinō positivō, cùm sit prohibitum propter idem periculum, non modò in Le-gē Veteri, Exodi 34. Deut. 7. & 3. Reg. 11. sed etiam in Novâ, 1. ad Cor. 7. & 2. ad eosdem 6. juxta Amb. Ansel.-D. Th. pluresque alios ibidem. *Nec* obstat exemplum Cæ-ciliae, Monicæ, Clotildis, aliarumque Sanctiss. Mulierum, quæ cum viris non baptizatis nupserunt: Dicendum enim est, vel respectu illarum non fuisse præfatum periculum, ut credibile est: Vel ignoranter invincibiliter id eas egisse, ob consuetudinem tunc invalecentem, quam Cyp. & Aug. testantur.

954 Matrimonium autem fidelis baptizati cum hære-tica, & econverso, validum quidem est, cùm nullō jure irritetur; illicitum tamen est, tūm jure naturæ, si sit peri-culum subversionis, &c. tūm Ecclesiasticō. Licitum nihilo-minus esse poterit, si, cessante memoratō periculō, adsit Pontificis dispensatio, iusta de causa, ut ad pacem inter Principes stabiliendam, aut si spes affulgeat conversionis conjugis hæretici ad fidem, & id genus. *Nec* obstat, quod fidelis tunc ministraret Sacramentum notoriè indigno: Cooperaretur præterea sacrilegio hæretici indignè illud sus-cipientis, quod nunquam licet. *Non* inquam, obstat, quia hoc Sacramentum non exigit Ministrum consecra-tum: Unde sicut propterea potest conjux illud absque sa-crilegio *indignè*, seu in mortali existens, ministrare, quam-vis non suscipere: sic & potest ministrare illud *indigno*.

Nec tunc cooperatur sacrilegio hæretici , quia utitur jure suô, & hæreticus potest & tenetur Sacramentum dignè suscipere , ritè se disponendo , suscipiendo fidem , & contendendo de peccatis : quemadmodùm licet , urgente necessitate, petere mutuum ab usurario , quem petens scit , non daturum absque usura.

955 Septimum est *Vis*, coactio, seu metus gravis , injuste incussus in ordine ad extorquendum consensum Matrimonii. *Injustè* autem incutitur à persona privata : quòd si à Judice legitimè incutiatur , non dirimit. Vide suprà N. 907. Octavum est *Ordo Sacer*, ex Ecclesiæ constitutione dirimens; sed aliter apud Latinos, quam apud Græcos, seu Orientales: nam apud istos, dirimit ex sua tantùm vi; apud Latinos verò , etiam ex voto continentiae annexo , quod emittitur ipsâ Ordinis Sacri susceptione, etiamsi verba non intercedant : Quòd si quis dùm iniciatur, malitiosè nolle votum emittere , maneret nihilominus inhabilis ad contrahendum Matrimonium, ex vi Ordinis Sacri, sicut apud Græcos; quia Ordo Sacer dirimit præcisivè à voto. *Hinc* apud Græcos, Ordo non impedit usum Matrimonii priùs contracti, secùs apud Latinos, nisi quis, ignorantे, aut contradicente uxore, iniciaretur; quia non debet ex hoc ei præjudicium generari. Sic D.Th. hic q.53. a.3.

956 Nonum est *Ligamen* seu vinculum prioris conjugii, quantumvis non consummati: & dirimit jure naturali, & divinô positivô; quia permissio illa polygamiæ , & repudiî, à Deo olim indulta, sublata est à Christo in Lege Evangelica , & Matrimonium redditum est *monogamum* , ac indissoluble, sicut erat ex prima sui in Paradiso institutione, ut non semel dictum est. Ut autem conjux superstes possit novas nuptias inire ; requiritur , quòd certum nuntium accipiat de morte conjugis , ut decernitur cap. In præsentia de sponsal. Decimum est *Honestas* , seu *Justitia publicæ honestatis*. Quæ oritur, tum ex sponsalibus validis, de qua diximus suprà N. 883. Tum ex Matrimonio rato , etiam invalido, modò non sit invalidum defectu consensûs, quia tunc non oritur hoc impedimentum, ut deciditur cap. unicō de

Sponsal. in 6. ubi nomine *Sponsalium* venit etiam Matrimonium ratum. Hæc autem honestas dirimit usque ad 4. gradum inclusivè, ut constat ex Bulla S. Pii V. incipiente, *Ad Romanum.*

957 Undecimum est *Affinitas*, seu propinquitas personarum orta ex copula carnali, sive licitâ, sive illicitâ. Quæ provenit ex licita seu conjugali, dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè; quæ autem provenit ex illicita, jure novō Trid. sess. 2. c. 4. lollū dirimit usque ad secundum inclusivè. *Affinitas* non parit affinitatem: unde, & possunt duæ sorores Matrimonium contrahere cum duobus fratribus: Et filia uxoris ex alio Matrimonio, cum filio mariti ex alio pariter conjugio, &c. *Duodecimum* est *Impotentia* ad copulam carnalem. Quæ, si sit perpetua, & conjugium antecedat, undecumque oriatur, Matrimonium dirimit jure naturæ; secùs si superveniat Matrimonio, quia cùm istud ex natura sua sit perpetuum, si semel est validum, semper est validum. Si autem dubitetur, an impotentia sit perpetua, vel tantum temporalis? Matrimonium non dirimit, sed datur à Jure conjugibus triennium ad experientiam bonâ fide faciendam: Quòd elapsò, si adhuc duret, censetur perpetua, & Matrimonium dirimit.

658 Tertiumdecimum est *Clandestinitas*: Per quam non intelligitur defectus denuntiationum, sed præsentia Parochi & duorum saltèm testium. Hæc autem præsentia debet esse humana, debent enim advertere, & scire quid agatur, Parochus quidem, ut Minister Ecclesiæ; testes autem, ut de re gesta testimonium ferre valeant: Unde nullus esset contritus, si forent amentes, ebrii, aut dormientes. Si Hispanus v.g. diverteret in Angliam ut ibi clandestinè contraheret, invalidè contraheret, ut post Sacram Congr. declaravit Urb. VIII. 14. Augusti 1627. Nota autem, quòd Ecclesia ex justissimis causis, matrimonia clandestina semper detestata est, atque prohibuit, ut ait Trident. sess. 24. cap. 1.

959 Ultimum est *Raptus* seu *violentæ fœminæ renitentis abductio*: Quæ jure novō Tridentini sess. 24. cap. 6. dirimit Matrimonium inter raptorem, & raptam, etiam post rap-

tum consentientem , quandiu in raptoris manet potestate. Quòd si à raptore separata,& in loco tuto ac libero constituta , consentiat; validum erit Matrimonium. Raptor tamen , & eum auxiliantes , súbjacent excommunicationi aliisque pœnis, de quibus Trid. locô cit. Tenetur præterea raptor ut ibidem decernitur , raptam dotare , sive eam ducat in uxorem , sive non. Ex dictis resol. 1. quòd si puella volens , (sed invitis parentibus) abducatur , non est raptus dirimens : quamvis si volens à raptore cognoscatur , erit raptus species luxuriæ , ob injuriam illatam parentibus. Nec amplius docet D.Th.2.2. q.154. a.7. quidquid Hennus conetur. Resol. 2. Matrimonium dirimi , quantumvis non hujus, sed libidinis causâ rapiatur fœmina; quia non definit esse verus raptus , adeòque comprehendi videtur decretô Tridentini. Quòd si non vi , sed dolô abducatur ; non erit raptus, sed seductio.

DUBIUM II.

An votum solemne castitatis monasticæ , jure naturæ dirimat Matrimonium.

660 **C**oncl. est affirm. frequentior inter Theol. & quasi illorum propria , illam quippè tenent Altifiod. B. Alb. Mag. Alensis, D.Th. D. Bonav. atque alii hujus classis, qui (inquit Sotus) pro constitutissimo semper hoc habuerunt. Quibus, præter ferè omnes Thomistas, subscribunt Maldonatus , Valentia , aliquique RR. contra Canonistas, & plures Theol. quibus ex nostris adhærent Caget. Sylv. Palud. Araujo , & novissimè Ludov. Fliegen. Prob. autem 1. ex cap. Cùm ad Monasterium , ubi Innoc. III. ait : *Abdicatio proprietatis , sicut etiam custodia castitatis , adeò annexa est Regulae Monachali , ut contra eam nec Summus Pontifex possit indulgere.* Cui decisioni adeò firmiter adhæsit D.Th. 2.2. q. 88. a.11. ut dixerit , oppositum esse ignorantiam quorundam Juristarum , *Licet quidam Jurista* (in-

(inquit) ignorantē contrarium dicant : Posset autem Papa dispensare , si ex solo jure Canonico matrimonium dirimere : ergo .

961 Quantūm hæc decretalis Decisio torqueat Adversarios , vel ipsa occurrenti diversitas manifestè indicat . Respondet imprimis Dur. Pontificem non loqui de dispensatione cum causa : *Alii* cum Th. Sanchez dicunt , usum fuisse exageratione hyperbolicā : *Alii* cum Ferdin. Mendoza , & Batil. Pont. afferunt , nomine *Summi Pontificis* intelligi quemcumque Episcopum : *Alii* frequentius cum Dur. & Cajet. existimant , Papam loquutum fuisse in sensu composto , id est , quod non potest dispensare cum Monacho , manente Monachō ; non autem in sensu diviso , id est , quod nec possit dispensare , faciendo de Monacho , non Monachum . *Quintus* respondet Sayrus , Innocentium tanquam Doctorem privatum , illius fuisse opinionis , cuius contrarium alii Pontifices dispensando docuerunt . *Alli* tandem dicunt , sensum esse , non posse Papam dispensare de potentia ordinaria , secus de absoluta .

962 Sed nulla ex his solut. subsistit . Non quidem *prima* . Quia sine justa causa , nec in minimo voto potest Papa indulgere , seu licentiam dare . *Nec secunda* , tum quia talis sensus nullum est , vel apprens fundamentum in tota illa Decretali . *Tum* , quia si talis interpretatio semel admittatur , nihil firmum ex Constitutionibus , & Canonibus Ecclesiæ colligi posset , omnesque Pontificum , & CC. leges nullius redderentur efficaciæ . *Nec tertia* . *Tum* quia nullus Episcopus , præter Romanum , *Summus Pontifex* in singulare audivit unquam , licet alii Episcopi , *Summi Sacerdotes* , & *Summi Pontifices* sæpè antiquitus appellarentur . *Tum* , quia in Synodo Rom. sub S. Greg. VII. anno 1073. decretum fuit , ut soli Episcopo Rom. tribueretur titulus *Summi Pontificis* , contra quosdam Schismaticos illum sibi arrogantes : ergo Innocentius III. qui renuntiatus est Romanus Pont. anno 1198. juxta tunc usitatam , & præceptam phrasim , loquutus est .

663 Nec *quarta* stare potest . *Tum* , quia in sensu com-

polito nulla est difficultas , nec in eo est aliquod discrimen inter votum simplex , & solemne , ut patet ; adeoque opus non erat Decretali , cùm certum sit , quòd in tali sensu non potest Pontifex in aliquo voto , quamlibet simplici , dispensare . *Tum* , quia dicere , quòd possit Papa facere de Monacho non Monachum , vocat D. Th. *ignorantiam quorundam Juristarum* . *Tum* , quia Pontifex facere non potest de conjugato conjugiō consummatō , non conjugatum . *Tum* demum , quia si continentia non esset essentialiter annexa professioni solemni , sed ex sola Ecclesiæ constitutione , ut ip̄si tenent ; posset quamoptimè Pontifex facere , quòd Religiosus , manendo Religiosus , posset licetē uti matri moniō , sicut potest id facere in Clericis secularibus , sacris initiatis , ut patet in Græcis .

964 Quinta etiam ruit , nam licet illa Decretalis non sit decisio fidei , ut est certum ; est tamen authentica Juris declaratio ; adeoque irrefragabilis authoritatis in suo genere ; & sane longè majoris , quam facta Pontificum ; Pontifex enim condit Canones , ut Doctor universalis Ecclesiæ ; dispensat autem , ut particulris operans . Quapropter jurè S.Th. Innocentii potius canonem amplexus est , quam Cœlestini factum secutus , inquit Sylvester . Et hinc , cùm sententia nostra canonicae innitatur sanctioni ; probabilior sit necessitatem adversâ , uni Pontificum factō , nec certō , innixā . Ultima denūm stare nequit . *Tum* quia distinctio illa potestatis , folius Dei Omnipotens est propria , ob omnimodam illius independentiam . *Tum* , quia illâ gratis Pontifici assertâ , falsò diceret Innocentius , non posse Papam dispensare , si absolutè posset : sicut falsò diceretur , non posse Deum id , quod solum de potentia absoluta potest , ut v. g. substantiam panis in Corpus Christi convertere .

965 Prob. 2. concl. rat. D. Th. Solemniter vovens , donat se totaliter Deo , corpusque illi totaliter tradit ad perpetuam continentiam , naturaliter matrimonio contrariam , donatione à Deo realiter per Prælatum acceptatâ : ergo iure naturæ erit invalida matrimonialis ejusdem corporis traditio . *Præt.* Matrimonialis corporis traditio facta uxori ,

ri, jure naturæ ab Ecclesia indispensabili, dirimit aliam, quantumvis hujusmodi polygamia secundario dumtaxat matrimonii fini aduersetur, juxta omnes: ergo potius traditio corporis Deo facta, & acceptata, primario matrimonii fini utique adversa naturaliter dirimet matrimoniale ejusdem corporis traditionem. Et maximè cum solemnis professio non utcumque consecret Deo, sed per modum holocausti, juxta PP. adeoque nulli hominum licet, corpus sic Deo consecratum, in alios usus convertere.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

966 Opp. 1. Votum simplex, & solemnne castitatis, sunt ejusdem speciei, cum ejusdem virtutis Religionis sint actus; sed simplex non dirimit naturæ jure: ergo nec solemnne. Præt. Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, ut ait Bonif. VIII. cap. un. de Voto in 6. ergo tantum dirimit jure Ecclesiasticō. Præt. Vota simplicia Jesuitarum, solo jure Ecclesiasticō dirimunt, cum tamen ipsos æquè veros constituant Religiosos, ac solemnia aliarum Religionum: ergo. Præt. Votum solemnne clericale, dirimit solo jure canonico: ergo. Tandem. Matrimonium stare potest simul cum solemnni professione, ut si alter, vel uterque conjux Religionem profiteatur: ergo ruit ratio concl. tunc enim dominium corporis in duos esset translatū, nempe, in conjugem radicaliter, & simul plenè in Deum.

967 Ad 1. dist. maj. sunt ejusdem speciei formaliter, C. materialiter, N. nam simplex, est mera promissio; solemnne vero, est promissio cum actuali sui traditione; illò quippe, & traditur persona, & promittuntur actus ad voti observantiam necessarii. Ad 2. Dist. ant. solemnitas *accidentalis* & *extrinseca*, C. *substantialis* & *intrinseca*, subdist. sumpta radicaliter, & intrinsecè, N. quantum ad exercitium & in actu secundo, C. & N. cons. Quamvis enim substantialis & intrinseca voti solemnitas, consistens in perfecta, & absoluta sui traditione in manu superioris, acceptantis vice Dei, pendeat quoad sui valorem in actu secundo, ab Ecclesiæ constitutione, tanquam à conditione necessaria; inde tamen minimè infertur, quod non dirimat jure naturæ sub-

Iubsequens Matrimonium : quemadmodum & vinculum Matrimonii, quamvis in fieri pendeat ex libero contrahentium consentiu ; semel tamen legitimè contractum , jure naturæ dirimit aliud , saltem si fuerit consummatum.

968 Ad 3. N. conf. quia per illa vota non fit traditio, *simplicer & absolutè acceptata* ; sed quasi *conditionatè* ad arbitrium Præpositi Gen. juxta causas in Constitutionibus Societatis expressas : Unde naturâ suâ non dirimunt Matrimonium. Ad 4. R. diſp. esse , quòd votum solemne *Monachale* fert secum totalem & perfectam sui traditionem, quam non fert *Clericale* ; sed quasi partiale , ad ministeria dumtaxat naturaliter compoſſibilia cum statu conjugali. Ad ult. N. conf. & prob. Solùm enim infertur, quòd sicut tunc fit professio ex privilegio Christi , qui & noluit matrimonium consummatum tunc dissolvi , sed manere omnino firmum , ob sacram unionis hypoſtaticæ significationem : sic & posset solemniter professus validè nubere , Deo dispensante, quod nemo negat.

966 Opp. 2. pluries ab Ecclesia dispensatum fuisse cum solemniter professis, ut nuberent , ut cum Ramiro Aragonum Rege , Casimirô Polonô , Constantiâ Siculâ , Nicolaô Justinianô , aliisque ; sed Ecclesia dispensare non potest in jure naturali : ergo. En argumentum , cui maximè fidunt Adversarii , sed immerito : Nam imprimis , Historiæ talia prodentes , si commenta non sunt , apertis saltèm æquivocationibus nituntur , quamlibet juris declarationem de nullitate voti quacumque ex causa , veram dispensationem protinus existimantes : & quoslibet in Monasteria secedentes , uel inde eductos , solemniter professos statim judicantes , quòd nihil levius. Et quidem Ramirus ad Regnum & Nuptias subito transiit , nullâ expectata dispensatione , cuius nec illam divinantes aliquod proferunt monimentum : Quòd si illam obtinuit ; non quidem ab Innoc. II. sed ab Antipapâ Petro Leonis , seu Anacletô II. nupsit quippè Ramirus Agneti , Aquitanici Ducis filiæ , partibus Anacleti pertinaciter adhærentis , ut observat Eruditissimus amicus meus

meus D. Joannes de Ferreras tom. 5. Annal. Hisp. ad ann.
1134. N.6.

970 Casimirus verò, si professionem emisit, metu à Boleslao coactus emisit; adeoque nullâ ad nubendum dispensatione indiguit, sed nullitatis voti declaratione dumtaxat. *Monachatum autem Constantiæ*, puram esse fabulam, multis ostendunt Baron. Ciaconius, Joan. Nicolai, Carriere, Cabassut. aliique. Secesserat quidem illa in Monasterium, ob Regni perturbationem; vota tamen nunquam emisit, adeoque ut Henrico VI. nuberet, opus non fuit dispensatione; cuius propterea neutiquam meminit Secretarius ipse Imperatoris, qui Nuptias illas accuratè descripsit, cum tamen, Constantiam è Monasterio eductam, referat. Et sanè si quæ fuisset re verâ data dispensatio à Cœlestino, vel ab Alex. III. non latuisset Divum Th. iisdem temporibus vicinum, ut notat laudatus Nicolai 2. 2. q.88. in Scholiis ad art. 3. In facto autem Nicolai Jultiniani, nulla interfuit dispensatio, sed juris interpretatio de nullitate voti. *Nota* autem, quod eruditiss. M. Maluenda in Annal. Ord. nostri ad ann. 1198. optimè vindicat Bernard. Justinianum ab impugnatione Baronii, circa hujus facti narrationem. *Hæc dicta sint in gratiam historicæ veritatis, tametsi ad solutionem objectionis minimè necessaria.*

971 Gratis enim admissis dispensationibus illis, facilè R. ex dictis N. 920. illas neutiquam præjudicare maximæ probabilitati sententiæ D. Th. & Theologorum, quæ potissimum innititur irrefragabili autoritate Decretalis Innocentii III. quam nemo non præferat aliorum Pontificum factis, ob dicta N. 945. & quæ utinam perpendisset, ut par erat, noster Ludovicus Fliegen, nè tam leviter trepidasset ubi non erat timor. Argumentum ergo solùm evincit, sententiam oppositam esse probabilem, & re verâ probabiliorem apparuisse Pontificibus illis dispensantibus, juxta dicta tom. 2. N. 602. quod quis nisi temerè neget? sed quid inde contra communem D. Th. & Theol. sententiam?

DUBIUM ULTIMUM.

*Utrum omnis gradus consanguinitatis linea rectæ,
O nullus transversæ, dirimant jure natura-
li Matrimonium?*

972 **C**oncl. est affirm. & quoad i. p. est frequen-
tior cont. Cajet. cui adhaerent Th. Sanch.
Basil. Pont. Uvigant, Redink, aliique, docentes, solùm
primum gradum sic dirimere, & cont. alios, id extenden-
tes ad quosdam alios determinatè gradus, ut secundum, 4.
aut 7. Ratio autem concl. est illa, quâ omnes Theol. cum
D.Th. probant, primum gradum consanguinitatis jure na-
turæ dirimere, nempè, quod actus conjugalis adverlatur
magnæ illi reverentia, quam filii debent suis parentibus.

973 Talis quippè reverentia naturaliter debetur om-
nibus Progenitoribus, quantumvis remotissimis, cùm isti
verè siut causæ per se suorum posteriorum, tales enim sunt
respectu filiorum immediatè à se genitorum, sicut isti res-
pectu suorum, & sic deinceps; quod autem est causa causæ,
est causa causati, in eodem genere & ratione causæ. Et
quidem (ut evasioni occurramus) necesse naturaliter est,
adeoque per se, quod immediatus pater sit filius alterius;
quamvis aliter divinitus, seu per accidens evenire posset: si-
cuit & quod filius hujus patris, à solo Deo idem numerò
produceretur: ergo omnes omnino parentes, quamlibet
remotissimi, æquè sunt causa per se posteriorum, ac imme-
diati; adeoque parilis utriusque debetur naturaliter à filiis
reverentia, cui contrariatur conjugalis actus: ergo.

974 Secunda verò conclusionis p. est conformior D.
August. & Doctori Ang. ut videbimus. Et defenditur à
Caj. Sylvestro, Candido, Ludov. Legionensi, ejusque Ne-
pote Basil. Pont. PP. Salm. Redink. aliisque Thomistis, &
à pluribus extraneis, ut Dur. Abul. Richar. aliisque, cont.
Sotum, Pet. Ledes. aliquosque. Prob. autem authorit. D.Th. 2. 2.

q. 154. a. 9. ad 3. apertè docentis, conjunctionem parentum cum filiis, esse secundum se indecentem, & legi naturali repugnantem ; secùs conjunctionem fraternalm : sed hujus indecentiam taxari secundum consuetudinem , vel legem humānam, aut divinam, utique positivam , aliàs ineptissimè illam naturali contraponeret. In cujus confirmationem inducit Augustinum 15. de Civit. sic loquentem : *Commixtio sororum & fratrum, quantò fuit antiquior, compellente necessitate; tantò postea facta est damnabilior, religione prohibente.*

954 *Præt. Gen. 20.* docet D.Th. Saram verè fuisse sororem Abrahæ, & immediatam filiam patris sui Tharè, præferens hanc expositionem oppositæ, tanquam Textui conformiorem. *Sed quia* (inquit) *in Hebreo habetur*, verè soror mea est filia patris mei , & non matris meæ, & magis sonat, quod Habrae soror fuerit ; *in ejus excusationem dicimus*, necdum illò tempore tales nuptias lege prohibitas : ergo apertè censet, fraterna connubia non esse lege naturali prohibita, aliàs omni tempore essent talia. *Nec* interpretari potest de indulgentia in lege naturali factâ, cùm hujus tunc (post tria scilicet, à diluvio decursa secula,) nulla appareat causa, quidquid sit de mundi exordio. *Sed* nec tunc credibile est, nupsisse primos fratres cum sororibus suis ex divina dispensatione: ecquis enim credit, Deum legem condidisse , in qua opus fuerit statim dispensare ? *Tandem.* Frater & soror non sunt una caro , nec repugnat inter ipsos æqualitas , nec unius ad alterum est naturaliter debita reverentia illa, carnali adversa commercio ; cùm nullus eorum sit naturaliter superior respectu alterius : ergo nihil est quod suadeat, talia connubia rationi naturali adversari.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

955 Opp. 1. cont. 1.p.concl. Nam D.Th. ubi proximè solùm agnoscit repugnantiam ad rationem naturalem in conjunctione Parentum cum filiis , quorum nempè est per se & immediata cognatio , &c. ergo. N. ant. nam talem repugnantiam agnoscit ibi in conjunctione quarumcumque personarum, habentium per se ipsas , immediate , vel mediately , cognitionem , seu sanguinis unitatem , quales uti- què

quæ sunt omnes lineæ rectæ; tametsi ponat exemplum in primo gradu, seu in parentibus, & filiis, qui non solum per se, sed etiam immediatè, talem habent consanguinitatem; exemplum autem non limitat assertionem. *Subjungit* autem doctrinam, quâ suprà secundam firmavimus concl. generaliter docens, quod conjunctio personarum non habentium per se ipsas consanguinitatem, quales sunt omnes lineæ transversæ, non dicit naturalem repugnantiam; cuius etiam apponit exemplum in 1. gradu, seu conjunctione fraternali. Utramque igitur lineam amplexus est, ut *incestum* generatim explicaret, qui est, *commixtio sanguine conjunctorum*.

977 Opp. 2. cont. eandem. Per longam generationum seriem sensim minuitur, ac tandem deperditur sanguinis participatio, cui innititur magna illa reverentia parentibus debita naturaliter dirimens paternam conjunctionem: ergo. *Præt.* Quia alias frustra Innoc. III. cap. *Non debet decerne*ret, quod hoc impedimentum, ultrà quartum gradum non progrederetur: ergo. *Ad 1. R.* illud ab omnibus ferè opponentibus solvendum esse, utpotè docentibus consanguinitatem lineæ rectæ, non dirimere jure naturæ ultra primum gradum. *N.* igitur ant. cuius fallitatem planè ostendunt traductio peccati originalis, & illud Matth. 1. *Fili David, Fili Abraham.* Si enim verè Christus dicitur, & est illorum filius, plurimum illorum sanguinis participavit, post tām longam generationum seriem. *Ad 2.* quō imme-ritò convincitur Redink, *N.* ant. cùm enim consanguinitas possit dirimere utrōque jure, *naturali scilicet, & canonicō*, ut patet in primo gradu rectæ lineæ, juxta omnes: restrinxit Pontifex impedimentum ad quartum gradum, quatenus jure canonicō ortum, & ad septimum gradum olim extensum; immotò illō manente, quatenus jure naturæ præscriptō, circa quod nihil potest Papa.

678 Opp. 3. cont. 2.p. ex cap. *Gaudemus*, de *divortiis*, ubi Innoc. III. interrogatus, an separandi essent, qui ante conversionem conjugati fuerant in gradibus jure prohibitis? respondit, eos qui in secundo gradu, vel 3. & deinceps

con-

contraxerant , separandos non esse : ergo cùm de 1. gradu taceat, oppositum de illo censére videtur. *Præt.* Trid. sess. 24. cap. 5. decernit , quòd in secundo gradu potest cum Principibus dispensari : ergo innuit , quod in primo non potest. *Ad 1.* N. cons. noluit enim Pontifex decernere id quod inter Theologos erat sub lite ; ideoque, utrâque opinione circa 1. gradum , in sua probabilitate relictâ , respondit de aliis gradibus , de quibus non est controversia. Quemadmodùm Trident. decernens sess. 14. cap. 5. necessariò confitendas esse circumstantias peccati speciem mutantes ; non propterea diffinit , confitendas non esse merè aggravantes ; sed id Theologorum disputationi reliquit. Per quæ patet ad 2. Cujus consequentia instatur apertè , nam in secundo gradu etiam limitat ad Principes : ergo cum non Principibus non poterit in eo dispensari?

979 Opp. tandem. Abraham putavit sufficienter celare Matrimonium suum, dicendo Gentilibus , Saram esse sororem suam : ergo conjugium fraternum est irritum jure naturæ , quod solum poterant Gentiles attendere. *Præt.* D. Th. ubi suprà in corp. ait : *Naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus ; & per consequens aliis consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquuo originem trahuntur.* ergo. Tandem : Nunquam Pontifex dispensavit, ut frater sorori nüberet : ergo signum est , quòd non potest, id quod ferè omnes Theologi à Philippo II. Hisp. Rege consulti, responderunt , dùm ille filios suos Philippum , & Elisabetham Claram Eugeniam, Matrimoniō copulari avéret.

980 Ad 1. N. cons. sufficiebat enim , quòd Matrimonium fraternum apud omnes gentes fuerit semper jure civili nullum. *Ad 2.* R. ultimis verbis solum tradere ex jure naturæ congruentiam , ob quam Ecclesia moveri potuit ad decernendum hoc impedimentum in quibusdam gradibus lineaè transversæ. Et sanè testimonium ab opponentibus æquè solvendum est ; nam illud , *qui ex eisdem parentibus de propinqua, &c.* quosdam alios gradus , præter primum, apertè significat. *Ad ult.* N. cons. aliàs nec in affinitate primi gradûs potuisset dispensari per 14. sæcula , & amplius , cùm

cum nullus in ea dispensaverit Pont. ante Mart. V. vel Innoc. VIII. ut vel ipsi opposentes fatentur. Igitur nullum unquam dispensasse in primo gradu consanguinitatis transversæ, non indicat *impotentiam*, sed *inconvenientiam* dispensandi; cum enim nulla sit Respublica, quæ fraterna conubia non irritaverit; vix occurrere potest sufficiens dispensandi causa. Nec aliud indicat responsum illud Theologorum ad Regem Philippum.

981 Inquires: Quis dispensare possit in impedimentis Matrimonium dirimentibus? R. Solum Deum dispensare posse in dirimentibus jure divinō, aut naturali, & solum Papam, per se loquendo, in dirimentibus jure canonicō. *Prima* pars constat, quia non apparet, quod talis potestas sit ulli à Christo concessa; nullus autem inferior potest in lege superioris dispensare, nisi id sibi fuerit concessum. *Secunda* pars etiam constat, quia nullus alius habet jurisdictionem in jus canonicum; dispensatio autem est actus jurisdictionis. *Prescripta* nihilominus consuetudo, Summorumque Pontificum consensus, Episcopis autoritatem vendicant dispensandi in impedimentis occultis, post Matrimonium bonâ fide (ex parte alterius saltē conjugis) contrātum, deprehensis, si periculum sit in mora, & difficilis fit recursus ad Papam, aut ejus Delegatum, ut censet omnis Theologorum, & Canonistarum Natio. Vide dicta circa dispensationem Tomo 3. à N. 96. Atquè ultimus Tractatus, & totus Cursus Theologicus hunc in modum absolutus fit, in laudem D. O. M. Beatissimæ Deiparæ, Patriarchæ Dominici, Angelici Doctoris, SS. Vincentii, & Ludovici, omniumque Beatorum.

*Omnia S. Rom. Ecclesiæ correctioni, & Sapientum
Hominum judicio submissa sunt.*

INDEX.

TRACTATUS I.	De Divini Verbi Incarnatione.	Pag. 1.
DISP. I.	De convenientia , & necessitate Incarnationis.	Ibi.
Dub. I.	Utrum conveniens fuerit Deum incarnari?	3
Dub. II.	Utrum purus homo posset de condigno satisfacere pro sua , vel aliena lethali offensa?	8
Dub. III.	Utrum satisfactio Christi fuerit ex se valoris simpliciter infiniti , condigna , & superabundans?	16
Dub. IV.	Utrum Christi satisfactio fuerit ex toto rigore justitiae?	20
DISP. II.	De motivo Incarnationis.	23
Dub. I.	Utrum si homo non peccasset , Deus incarnatus fuisset?	Ibi.
Dub. II.	Utrum solo existente peccato originali , vel solis existentibus actualibus , futura esset Incarnatio ex vi præsentis decreti?	28
DISP. III.	De unione Verbi incarnati , seu de quidditate Incarnationis.	30
Dub. I.	Utrum Persona , vel Hypostasis Christi post Incarnationem sit verè composita?	31
Dub. II.	Quinā sit terminus formalis unionis hypostaticē?	36
Dub. III.	Utrum Christus mereri potuerit de condigno , aut de congruo , suam Incarnationem?	40
Dub. IV.	Utrum SS. Patres veteres meruerint de congruo Verbi Incarnationem , ejusque circumstantias?	46
DISP. IV.	De modo unionis ex parte Personæ assumentis.	52
Dub. I.	Utrum Verbum Divinum per se primò , & immediatè terminaverit humanitatem ratione subsistentiæ absolutæ . & communis , vel potius relativæ , & personalis?	Ibi.
Inquires:	An potuerit humanitas assumi ad subsistentiam absolutam , & communem tribus Personis?	58
		Dub.

- Dub. II. Utrum plures Personæ Divinæ eandem possint assumere humanitatem, & eadem plures? & an unus esset, & diceretur simpliciter, & absolute homo in utraque hypothesi? 59
- Inquires: An convenientius fuerit Personam Filii incarnari, quam aliae? 68
- DISP. V. De modo unionis ex parte naturæ assumptæ, vel assumptibilis. ibi.
- Dub. I. Utrum repugnet de potentia absoluta assumi natu-
ram propriâ substantiâ terminatam? 69
- Dub. II. Utrum sanguis Christi fuerit immediatè unitus Verbo; & an effusus in passione, in resurrectione resu-
mendus, manserit sic unitus in triduo? 73
- Dub. ult. Utrum Verbum priùs aslumpserit partes humani-
tatis, quam totam humanitatem; & animam priùs quam corpus? 82
- TRACTATUS II. De Gratia Christi à q. 7. & 8. 3. p. 86
- DISP. I. De Gratia Christi substanciali, seu unionis. 87
- Dub. unic. Utrum gratia unionis sanctificet formaliter Christi humanitatem ratione divinitatis, aut personali-
tatis Verbi? ibi.
- DISP. II. De gratia habituali, virtutibus, & donis Christi. 94
- Dub. I. Utrum in anima Christi fuerit gratia habitualis, &
ad quid necessaria? ibi.
- Dub. II. Utrum à primo conceptionis instanti fuerint in Christo virtutes omnes, illius dignitati, & beatitudini non repugnantes, Spiritus Sancti dona, & gratiæ gratis datae? 100
- Dub. III. An, & qualiter gratia habitualis Christi fuerit in-
finita? 109
- DISP. III. De gratia Christi capitali. 115
- Dub. unic. Utrum Christus, quæ homo, ita sit caput Angelorum, quod gratiam, & gloriam essentialiem in ipsos influat? ibi.
- TRACTATUS III. De Scientia, & Potentia animæ Christi à q. 9. ad 13. inclusivè 3.p. 125
- DISP.

DISP. I. De Scientia beata animæ Christi.

126

Dub. I. Utrum intellectus humanus Christi à primo conceptionis momento fuerit scientia beata illustratus?

126

Dub. II. Utrum anima Christi scientiâ beatâ cognoverit omnia præsentia, præterita, & futura?

133

DISP. II. De Scientia indita, vel per se infusa, animæ Christi.

136

Dub. I. Utrum Scientiâ per se infusâ, distinctè, & in particulari noverit Christus omnia naturalia, seu naturaliter, seu per revelationem cognoscibilia ab intellectu creato?

ibi.

Dub. II. An & qualiter præfetâ scientiâ cognoverit anima Christi supernaturalia creata, & Beatissimæ Trinitatis Mysterium?

142

DISP. III. De Scientia acquisita, vel experimentali animæ Christi.

147

Dub. unic. Utrum Scientia naturalis fuerit propriis actibus à Christo comparata?

ibi.

Inquires I. An per hanc scientiam cognoverit Christus omnia?

150

Inquires II. Utrum Christus in hac scientia profecerit? Et an aliquid ab homine, vel ab Angelo didicerit?

ibi.

Inquires tandem: An præter triplicem scientiam hucusque expositam, fuerit in anima Christi scientia naturalis, per se infusa quoad species, qualis agnoscitur in Angelis, & anima separata?

151

DISP. ult. De Potentia animæ Christi.

ibi.

Dub. unic. Utrum humanitas Christi, non solum moraliter, sed & physicè instrumentaliter concurrat ad productionem gratiæ, aliorumque effectuum supernaturalium, & miraculorum?

152

TRACTATUS IV. De defectibus à Christo in humanitate assumptis, & de consequentibus unionem, convenientibus Christo quantum ad esse, & fieri ad q. 14.

15.

DISP. I. De defectibus corporis assumptis à Filio Dei.

ibi.

Dub. unic. An, qualiter, & quosnam corporis defectus

af-

assumpserit Christus?	ibi.
DISP. II. De defectibus animæ à Christo assumptis.	165
Dub. I. Utrum humanitas Christi, ex vi præcisè unionis hypostaticæ, facta fuerit impeccabilis?	ibi.
Dub. II. Utrum in Christo potuerit esse fomes peccati?	175
Dub. III. Utrum in Christo potuerit esse ignorantia?	180
Dub. IV. An, & qualiter fuerint in Christo dolor sensibilis, tristitia, timor, ira, cæteræque passiones?	184
DISP. ult. De consequentibus unionem, quantum ad ea, quæ convenient Christo secundum esse, & fieri?	191
Dub. I. Utrum hæc propositio <i>Deus est homo</i> , sit propria, per se, & in materia naturali?	ibi.
Dub. II. Utrum in hoc ineffabili mysterio detur vera, & propria communicatio idiomatum; & quænam sint hujus regulæ?	195
Dub. III. Utrum istæ sint veræ: <i>Deus factus est homo</i> :: <i>homo factus est Deus</i> :: <i>Christus est creatura</i> :: <i>iste homo, demonstratō Christō, incepit esse?</i>	200
Dub. IV. Utrum istæ sint veræ: <i>Christus, secundum quod homo est creatura</i> :: <i>Christus, secundum quod homo, est Deus</i> :: <i>Christus, secundum quod homo, est hypostasis, vel Persona?</i>	206
Appendix. De pertinentibus ad unitatem in Christo.	210
TRACTATUS V. De Merito Christi.	213
DISP. I. De Existentia meriti Christi.	214
Dub. unic. An, & quando Christus meruerit?	ibi.
DISP. II. De actibus, quibus Christus meruit.	219
Dub. I. An & qualiter meruit Christus per actum charitatis?	ibi.
Dub. II. Utrum Christus meruerit per actus præceptos?	222
DISP. III. De his quæ Christus sibi, & aliis meruit.	231
Dub. unic. Quid Christus sibi, nobisque meruerit?	ibi.
DISP. appendix. De adoptione Christi.	237
Dub. unic. Utrum Christus, qua homo, dici possit Filius Dei adoptivus?	238
TRACTATUS VI. De Sacramentis generatim.	241
DISP. I. De necessitate Sacmentorum.	242
Dub.	

Dub. I. Quid sit Sacramentum?	ib.
Dub. II. Utrum omnia Sacraenta Novæ Legis constent rebus, & verbis, tanquam materia, & forma, & ut intrinsecis, & essentialibus?	246
Dub. III. Utrum Christus D. materias, & formas omnium septem Sacramentorum per se ipsum immediatè formaliter determinaverit?	250
Dub. IV. Quænam mutatio materię, aut formę invalidet Sacramentum?	254
Dub. ult. Utrum Sacraenta fuerint semper necessaria ad humanam salutem?	259
DISP. II. De effectibus Sacramentorum.	266
Dub. I. Utrum Sacraenta Novę Legis causent instrumen taliter physicę gratiam?	ib.
Dub. II. Utrum Sacraenta vivorum aliquando conferant primam gratiam.	273
Inquires: Quid addat gratia sacramentalis supra gratiam habitualem?	278
Dub. III. Quid sit character sacramentalis, & quodnam immediatum illius subjectum?	279
DISP. ult. De Institutore, Ministro, & numero Sacra mentorum.	286
Dub. I. Utrum Christus D. omnia Sacraenta Novæ Legis immediate instituerit, & qua potestate?	ib.
Dub. II. An & qualis requiratur intentio Ministri ad valorem Sacramenti?	291
Dub. III. Utrum ad valorem Sacramenti requiratur fides, aut probitas Ministri?	301
Dub. IV. Utrum Ministri consecrati in peccato mortali ministrantes mortaliter peccent?	305
Dub. ult. De numero, & ordine Sacramentorum Novæ Legis.	308
TRACTATUS VII. De Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia.	315
DISP. I. De Baptismo.	ib.
Dub. I. Quid sit Baptismus, quando institutus, & quænam illius materia, & forma?	ib.

Dub. II. Quis sit Baptismi Minister , qualis necessitas , quodnam subjectum , & quinam effectus?	323
Dub. ult. Utrum convenienter describantur tria Baptisma- ta , & quodnam sit potissimum?	332
DISP. II. De Sacramento Confirmationis.	336
Dub. I. Quænam sint materia , & forma Confirmationis , & quinam effectus?	ibi.
Dub. II. Quisnam sit Confirmationis subjectum , & quis Minister?	343
DISP. III. De Augustissimo Eucharistiae Sacramento.	348
Dub. I. Pro quo supponat in recto Eucharistia , an sit unum tantum Sacramentum , & qualiter necessaria?	349
Dub. II. Utrum materia remota Eucharistiae sit panis triti- ceus , & vinum vitigineum ? & an aqua vino mixta tran- substantietur in sanguinem , ubi non est prius in vinum conversa?	355
Dub. III. Utrum in Eucharistia verè , realiter , & substancialiter totus Christus contineatur ; fiatque per consecrationem vera transubstantiatio?	362
Dub. IV. Quænam verba sint de essentia , seu necessitate formæ Eucharistiae?	368
Dub. V. Quinam sint effectus Eucharistiae , quotuplex sump- tio , & qualis ad illam dispositio?	377
Dub. ult. Utrum Sacrosanctum Missæ Sacrificium in sola conlecoratione essentialiter adæquate consistat?	387
TRACTATUS VIII. De Pœnitentia , Extrema-Uncione , & Ordine.	392
DISP. I. De Pœnitentia.	ibi.
Dub. I. Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ , & quænam il- lius materia , & forma?	393
Dub. II. Quid , & quotuplex sit contritio , & qualis requiri- ratur , & sufficiat ad iustificationem obtainendam in hoc Sacramento?	397
Inquires : Quando obliget præceptum contritionis?	404
Dub. III. Quid sit confessio sacramentalis , quo jure obli- get , & qualis esse oporteat?	405
Dub. IV. An , & qualiter dari possit Sacramentum Pœni- ten-	

tentiæ validum , & informe?	407
Dub. V. Utrum ad integratatem confessionis necessarium sit per se loquendo declarare circunstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem?	413
Dub. VI. Utrum moribundus , sensibus deſtitutus , poſſit ſacramentoſter abſolvi?	420
Dub. ult. De confeſſionis ſigillo , ſatisfactione , & effectu Pœnitentiaſ.	423
DISP. II. De Extrema-Uncione, & Ordine.	431
Dub. I. Quænam ſint Extremæ-Uncionis materia & for- ma, quis Miſter , quodnam ſubjectum , & quinam ef- fectus?	ibi.
Dub. II. Quid , & quotuplex ſit Ordo?	434
TRACTATUS ULT. De Matrimonio.	438
DISP. I. De Sponſalibus.	ibi.
Dub. nnic. Quid ſint ſponſalia , à quibus contrahibilia , & qualiter dirimenda?	439
DISP. II. De Matrimonio ut Sacramento.	448
Dub. unic. Quæ ſit hujus Sacramenti materia & forma , & Minifter?	ibi.
DISP. III. De Matrimonio abſolute & ſecundum ſe confiderato.	452
Dub. I. Qualis requiratur conſensus ad matrimonii va- lorem?	ibi.
Dub. II. Utrum Matrimonium , abſolute ſumptum, ſit jure naturæ , ſeu ab intrinſeca ſua natura , indiſſo- luble?	456
DISP. ult. De Impedimentis Matrimonii.	461
Dub. I. De ſingulis impedimentis dirimentibus ſumma- tim.	462
Dub. II. An votum ſolemne caſtitatis Monachice jure natu- ræ dirimat Matrimonium?	468
Dub. ult. Utrum omnis gradus conſanguinitatis lineæ re- cta , & nullus transverſe , dirimant jure naturali Matri- monium?	474
Inquires : Quis diſpensare poſſit in impedimentis Matri- monium dirimentibus?	478







